Digitized by Google



*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

ACTA ERUDITORUM

ANNO

MDCCXV

publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Elect. Sax. Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes,

JOH. FRID. GLEDITSCH & FIL.

THOMAM FRITSCHIUM

&

FRID. GROSCHUF.

TYPIS JOH. CASP. MULLERI,

A. MDCCXV.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCC XV.

HADRIANI RELANDI PALÆSTINA EX monumentis veteribus illustrata.

Tomi II.

Trajecti Batav. ex libraria Guil. Broedelet, 1714, 4.
Alph. 6 pl. $7\frac{1}{2}$ Tab. æn. 14.

PAlæstinæ accuratiorem descriptionem, quam eruditi dudum desiderarunt, Clar. Relandus, cujus labores utilissimos alibi laudavimus, elucubravit, & publico eruditorum usui dedit. Dividitur opus in tres Libros, quorum primus de Palæstinæ nominibus, situ, terminis, partitione, aquis, montibus & campis agit: secundus intervalla præcipuorum locorum exponit: tertius ordine, ut vocant, alphabetico urbes & vicos recenset & prolixe describit. Ne existimes, antiquam aliquam & vulgatam mappam hic illic correctam ab eodem proferri: ipsa enim res docet, omnes tabulas veluti dubias atque ambiguas ab eo sepositas, ea vero omnia quæ ad situm & intervalla quicquam facere sunt visa, ex veterum Latinorum, Græcorum, Hebræorum item & Arabum scriptis esse collecta. Ex his pauca adducemus, quæ Clar. Autoris studium in hoc opere adhibitum evidenter monstrabunt. In Libri I capite primo annotavit, terram Canaan non comprehendere regionem a duodecim tribubus occupatam, quia Num. XXXIII, 51 de Israelitis castra metantibus dicitur: *mox ibitis trans Jordanem in terram Canaan.* Quod quoque colligitur ex Josuæ XII, 11, ubi de Rubenitis, Gaditis & Menassitis trans Jordanem habitantibus refertur, eos ex- p. 2. 4

 struxisse

ſtruxiſſe altare מול ארץ כנען *ex adverſo terræ Canaan*, quod
uti verſu 10 ſcriptum, על הירדן ad Jordanem fuit. Plura ibi
teſtimonia ex Jud. XXII, 9 & 32 & Judæorum ſcriptis producta
legas, quæ confirmant, Jordanem terminum orientalem terræ
Canaan fuiſſe, ſecus ac Bochartus & Lightfootus vulgari lo-
quendi conſuetudine abrepti ſcripſerunt. Prætermiſſis, quæ a Ju-
dæis ex more ipſius de terræ totius diviſione & Israeliticæ ſan-
p. 8. ctitate traduntur & hic collecta leguntur, ad caput V progredi-
mur, in quo occaſione vocis הארץ regioni Iſraelitarum aſſertæ,
21, ſq. quæſtionem de tenebris Chriſto patiente ſuper πᾶσαν (& ὅλην) τὴν
γῆν exortis movet, phraſinque eam Matth. XXVII, 45, Marc. XV,
33, Luc. XXIII, 34 occurrentem de univerſa terra interpretatur,
29, ſq. quia eodem ſenſu Luc. XXI, 35 πρόσωπον πάσης τῆς γῆς, Apoc.
XIII, 3 ὅλη ἡ γῆ, Rom. IX, 17 & X, 18 adhibita. Situm porro Palæ-
52. ſtinæ indagaturus, eum a Judæis in medio orbis poſitum prædi-
cari obſervat; ſed collatis pluribus locis, quæ veteres in eodem
ſitu fuiſſe dixerunt, negat vel Judææ, vel Athenis, vel ulli alii
urbi illud elogium competere. Frequenter quoque mendoſa
Auctorum loca emendat, uti in Cyrillo p. 58, & Joſepho p. 59 &
p. 61, quæ conjecturæ, uti videtur, non ſunt rejiciendæ. Dum
Palæſtinæ terminos inquirit, Ægyptumque Palæſtinæ conter-
minam eſſe negat, ſententiam celebris Bocharti ſub examen vo-
cat, qui vocem מצרים, quæ Ægypto nomen dedit, non ho-
minis, ſed regionis nomen fuiſſe contendit in Geograph. Sac. L.
IV, 24. Ejus rationem, quod forma dualis id non patiatur, con-
vellit Noſter, adducens dualia plura, v. gr. Ephraim, Schaccha-
raim 1 Chron. VIII, 8, & pluralia Muppim, Schuppim 1 Chron.
VI, 15, aliaque Nehem. VII, 52, Gen. XLVI, 21, 1 Chron. XXIV, 8
occurrentia, quæ omnia non regionum, ſed perſonarum no-
mina eſſe contextus convincit. Quæ obſervatio utique neceſſaria
eſt: ſi enim a Bocharti ſententia ſtare, & nulla pluralia vel
dualia pro perſonarum nominibus habere volueris, frequenter
regiones in filiorum locum non ſine errore ſubſtitues. Dum
90. Cap. XVII Nabotheos deſcribit, ex Joſepho Suidæ locum, quem
corruptum eſſe interpretes monent, illuſtrat. Scripſit Suidas
ἀγείρας ὁ χωλὸς ubi quidam *πτωχὸς*, alius *ὀχλογωγὸς* ſubſti-
tuit;

tuit; ſed Noſter ex Joſepho Lib. VI de B. J. cap. 12 probat, Nabathæi cujusdam filio nomen ἀγείρας fuiſſe, ὥσπερ σημαίνει χωλός: cujusmodi loca a Noſtro reſtituta plura obſervavimus. In capite XXVIII inquirit, quæ urbes in partitione terræ ſingulis tribubus datæ ſint. Primo loco poſuit urbes Judæ in tractu Auſtrali ſitas & Joſ. XV, 21--32 deſcriptas. Refert Autor libri Joſuæ v. 32, urbes omnes ibidem nominatas eſſe numero 29, quarum tamen nomina, ſi in codice numeres, vel 36 vel 38 eſſe cognoveris. Ut hoc dubium tollatur, LXX confert, qui omiſſis quibusdam Hebræi codicis nominibus 30 exhibent, & ſic proxime ad 29 accedunt. Cum hoc non ſatisfaceret, removendas eſſe putabat urbes, quas Simeonitæ accepere, quibus demptis numerus 29 minor exſurgit: quare tandem ex Scripturæ locis probat, quædam adeſſe urbium Simeoniticarum nomina pluribus aliis communia. Non improbamus hanc methodum, fortaſſe tamen res intricata expediretur, ſi aliquot nomina conjungamus, maxime quæ a LXX ſunt omiſſa. Nam noſtris æque ac antiquis temporibus contigit, ut unius urbis diverſæ partes diverſis nominibus appellentur. Sic quoque LXX cum codice Hebræo conveniunt, ſi ſupponamus, eos addidiſſe quandoque nomina, quæ partes urbium denotarent. Inter reliquas urbes p. 150. Judæis accerſitas Joſ. XV v. 60 in LXX codice urbes undecim adducuntur, quarum nomina in Hebræo codice non leguntur, quæ Hieronymus a noſtro Cl. Autore L. III p. 643 adductus Judæorum malitia eraſa eſſe putavit. Sed recte negavit hoc Cl. Vir, rationibus non ſpernendis ſuffultus. Supereſt tamen quæſtio, qua occaſione illæ urbes, quas inter & Ephrata, quæ eſt Bethlehem, refertur, codici Græco acceſſerint. Non videtur probabile, LXX illas addidiſſe; non enim apparet, quo fine hoc feciſſent. Ni fallor majori ratione quis aſſereret, illa urbium nomina a Sacerdotibus vel Scribis addita eſſe circa noſtri Soſpitatoris tempora, cum Herodes principes Sacerdotum interrogaret, ubi Chriſtus naſciturus ſit? Cui reſponderunt, in Bethlehem Judææ, provocantes ad Mich. V, 2. Non dubito, eo tempore Judæos inquiſiviſſe omnia, quæ de illa urbe ſacris literis erant tradita. Et cum Bethlehemum in urbium Judææ apud

Josuam recensione non invenirent, addiderunt eam cum aliis
ejusdem tractus locis, ut Salvatoris urbs natalis celebrior redderetur. Reliqua singularum tribuum loca prolixe in hoc capite
traduntur, & cum LXX senibus, aliisque Scripturæ locis conferuntur, ut numerus a Josua dictus sibi constet. Mittimus Kedarenos, Madianitas, Ammonitas, Ituræos aliosque plures Orientis
populos Israelitis vicinos, quos Noster ex antiquorum scriptis
p. 337. fuse & docte delineavit. Cap. LII de monte olivifero agens ex
Quaresmio annotat, eundem trium luminum montem esse nuncupatum, & in veteri editione Act. cap. I pro eo, quod nunc legitur *a monte, qui vocatur Oliveti*, lectum fuisse, *a monte trium
luminum.* Quia illuminabatur a parte Occidentis igne jugi, qui
erat in altari, & a parte Orientis primos radios Solis excipiebat, antequam hi urbem collustrarent, & denique copiam
olearum producebat, unde fomentum est lumini. Sed Noster
mavult legere montem trium culminum, quia totidem habuit,
unum in medio, e quo ascendit Sospitator, alterum ad Austrum,
quod mons offensionis dicitur ab imaginibus numinum a Salomone illic collocatis, tertium ad Septentrionem, quod omnium
396. est altissimum. In Libro secundo, qui locorum distantias metitur, conqueritur de erroribus in Palæstinæ mappis, nec illa Adrichomii excepta, hic illic obviis, asseritque laborem incredibilem imo & invidiosum in se suscipere, qui errores omnes indicare & menda tollere in animum induceret. Ne vero quicquam
eorum omitteret, quæ lucem affundunt, milliaria Romana, stadia &c. explicat, ad eaque reliquas mensuras refert. Nec signa
intervallorum sive lapides intactos relinquit, qui in viis publicis
414. Palæstinæ collocati fuerunt. In primis ex tribus vetustissimis
itinerariis Romanis, Hierosolymitano Anno æræ Christianæ 333
conscripto, Antonini, & tabula Peutingeriana, ea collegit, quæ
ad descriptionem nostræ terræ faciunt. Adjecta est etiam tabula
nova, quæ intervalla multorum locorum indicat, quotquot ex
antiquorum scriptorum monumentis tam sacris quam profanis
427. habentur. In explicatione hujus tabulæ cap. VI observat duplicem fuisse Emmauntem, aliam a Luca commemoratam & 60
stadiis ab Hierosolymis distantem, aliam in campestribus sitam
& de-

& deinde Nicopolin dictam. Prolixiores esse nolumus in recensione, ex his enim facile judicium fertur, quo studio & labore Cl. Vir Geographiam Sacram excoluerit. Et quamvis multa supersint dubia & ambigua, quæ posteris dilucidanda relinquuntur, gratias tamen debemus Cl. Viro, quod multa, imo plurima certa vel probabilia reddiderit, antea dubia vel falsa.

REMARKS UPON A LATE DISCOURSE of Free-Thinking.

i. e.

ANIMADVERSIONES IN NUPERUM DISCURSUM de Cogitandi libertate, in Epistola ad F. H. D. D. Autore PHILELEUTHERO LIPSIENSI.

Pars II.

Londini, apud Joh. Morphew & E. Curl, 1713, 8.
Plag. dimidiat. 11.

PErgit Celeberrimus Bentlejus, sub Phileleutheri Lipsiensis nomine, hac secunda Animadversionum suarum parte (primam A. 1714 p. 312 seqq. enarravimus) Discursum, *Tolando* hactenus vulgo tributum, sed rectius, ut nonnulli putant, *Collierio* vindicandum, pro more suo, hoc est, salse & erudite excutere. Cle- p. 2.
rum in vertenda Scriptura sacra pia fraude uti, Anonymus probaverat exinde, quod ἐκκλησία aliquando reddatur *Church*, aliquando *Assembly*, & ἐπίσκοποι aliquando *Bishops*, aliquando *Oversee rs.* Sed Cl. Bentlejus in *genere* illi non solum in memori- 3.
am revocat, quæ in fine Præfationis Bibliorum Anglicanorum eam in rem dicuntur, sed etiam, quod in omnibus linguis vox moralis vel politicæ significationis, diversas ideas arbitrarie conjunctas in se continens, raro in alia lingua vocem sibi penitus respondentem habeat. Imo quod in una eademque lingua plurimæ voces morales successu temporis, & usus communis inconstantia, modo strictiori modo latiori significatu veniant. In *spe-* 4.
cie vero ostendit, Act. XIX, 32 vocem ἐκκλησία bene redditam esse *Assembly*, cum ibi intelligatur multitudo gentilium in theatro urbis congregatorum: bene itidem redditam esse vocem 7.

ἐπίσκοποι *Overseers, Inspectores*, cum *Bishop*, vel ut Lutherus habet, *Bischoff* illiterato Anglo vel Germano non aliam ideam quam moderni Episcopi, atque adeo erroneam & falsam suppe-
p. 5. ditet. Ἐπισκόπους Scripturæ eosdem esse, qui sint πρεσβύτεροι, prius nomen esse ætatis & ordinis, posterius officii. Neque hoc causæ modernorum Episcoporum detrimento esse, quippe qui cum omni antiquitate Christiana nunquam putaverint, se & ordinem ipsorum succedere ἐπισκόποις Scripturæ, sed ἀποστόλοις.
6. Summam rei hanc esse. Nomen ἐπίσκοπος, cujus generalis idea sit *inspector*, longe ante Christianorum tempora in usu fuisse, universalem relationem ad res Oeconomicas, Civiles, Militares, Navales, Forenses & Religiosas habens. Illud postea assumtum esse ad significandos Rectores Ecclesiarum, ut διάκονος, nomen pariter vulgaris & diffusæ alias usurpationis, ad notandos earundem Ministros. Presbyteros itaque, viventibus Apostolis, fuisse ἐπισκόπους, *inspectores*. Apostolos vero martyria sua prævidentes successores suos in variis locis constituisse, ut Paulum Ephesi Timotheum, & in Creta Titum; hos vero pro modestia sua non ἀποστόλους se appellari voluisse. Hinc nomen ἐπισκόπων illis ceu proprium tributum & ab hoc tempore nomen illud, quod antea Presbyterorum fuerit, ad superiorem ordinem re-
7. strictum esse. Porro piæ fraudis Anonymus Clerum accusaverat, quod Act. VII, 59 Stephanum ἐπικαλούμενον vertant *calling upon God, invocantem Deum.* Sed primo reponit Noster, quod *God,*
8. *Deus* in versione Anglica literis Italicis impressum sit, deinde, quod Θεὸν textus authenticus manifeste subintelligat, cumque verba ibi juxta nostra exemplaria hæc sint, ΕΠΙΚΑΛΟΥΜΕΝΟΝ ΚΑΙ ΛΕΓΟΝΤΑ, videatur, quod vel ΘΝ *Deum* præcedenti syllaba ΟΝ, vel ΚΝ *Dominum* per sequentem ΚΑΙ absorptum sit, quodque Interpretes Anglicani ejusdem fuerint sententiæ, perpendentes, quod ἐπικαλεῖσθαι τὸν Θεὸν & τὸν κύριον frequen-
10. ter apud LXX inveniatur. Verba Hieronymi, quem exempli loco produxerat Anonymus, quod Patres corruperint & truncaverint Autores, minus illum intellexisse, ostendit doctissimus Bentlejus. Observat nimirum, Hieronymum, a Vigilantio tanquam fautorem Origenis hæresium accusatum, se ita defendisse,
quod

quod studiorum suorum natura ad legendos varios libros, ut O-
rigenis, Apollinarii, Eusebii, ipsum ducat, quodque aliquos li-
brorum istorum Latine verterit in gratiam eorum, qui Græca
non intelligerent, non vero ad hæreses illorum propagandas; si-
quidem mala, quæ imperitum lectorem offendere possint, vel
omiserit, vel amputaverit, vel refutaverit. Et sic etiam Anony- p. 11, 12.
mum pervertisse verba Hieronymi, non minus solide Noster de-
clarat. Animadvertit etiam, illum in Sectione Tertia a p. 99 13.
usque ad p. 110 *cogitandi libertatem* pro communi rationis &
judicii usu perperam accepisse, postea vero rursus pro Sce-
pticismo, incredulitate & Atheismo usurpasse. Sacerdotes a- 14.
lere, onus esse innuerat Anonymus ante tempora Christiano-
rum incognitum; sed in Græcia, Italia, Ægypto, & ceteris regioni-
bus omnibus, in quibus humanitas & litteræ locum habuerint, an-
te nativitatem Salvatoris sacerdotes & numero plures, & digni-
tate majores, & redituum copia feliciores fuisse, imo ipsum Jose- 15.
phum, Plutarchum, Catonem, Ciceronem &c. quos ille libere
cogitantibus adscripsit, extitisse sacerdotes, docet Cl. Bentlejus.
Infinitas opinionum, religionum, & cultuum varietates nullas 19.
turbas excitasse, scripserat Anonymus. Contrarium vero pro-
bat Noster ex eo, quod Socrates propter opiniones suas mortem
pertulerit, Aristoteles fuerit accusatus & profugus, Stilpo exter-
minatus, Diagoras proscriptus: quod Epicuræi e variis civitati-
bus fuerint ejecti, omnes Philosophi ab Antiocho e regno ipsius,
& a Domitiano Roma & universa Italia expulsi: quod denique 20.
Galli, vagabundi Cybeles sacerdotes, in urbe & agro motus pro-
duxerint, Romani sæpius peregrinam religionem interdixerint,
Bachanalia totam Remp. Romanam periculo objecerint, & in
Ægypto immanis commissa sit crudelitas inter duas civitates,
quarum una coluerit crocodilos, quos altera occisos comederit.
Historiam Zosimi, cujus verba ad conversionem Constantini 21.
spectantia pro scopo suo Anonymus adduxerat, tantum prodere
odii contra Christianos, quantum superstitionis paganæ, judi-
cat Noster, & Anonymum præterea pessime quædam in illa 22.
vertisse; imo & eundem verba Juliani, quibus satyrice illum 23 sq.
perstrinxisse dixerat Christianam religionem propter Baptismum,
magis

magis ex ore Celsi Epicuræi profecta esse, quam Juliani, huncque vel maxime superstitioni fuisse deditum, & inde Apostatam
p. 30. factum declarat. Inter illos, quos Anonymus *Libere Cogitantium* civitate donavit, vix duos esse, qui ad illam pertineant, Cl.
31 sq. Bentlejus pronuntiat; illudque primo quidem de Socrate, Platone, Aristotele, Plutarcho, Varrone, Catone Censore, & Cicerone, vindicatis maxime illorum locis a pravis explicationibus & detorsionibus Anonymi, demonstrat, Epicurum libenter illi & Sectæ ipsius relinquens. Quæ tamen singula hic enarrare nimis prolixum foret, præcipuas autem observationes inde ut seligamus, merito quodam suo ipsæ postulant. Observat ergo erudi-
33. tissimus Autor noster, Socratem, quem Anonymus Deos patrios rejecisse dixerat, Poeticæ religioni quidem difficulter assensum præbuisse, vel certe obiter illam negasse, civilem autem semper & sermonibus & exemplo suo esse tuitum. Præceptum ipsius circa cultum eo tendisse, ut regeret discipulos suos *νόμῳ πόλεως more gentis*. Illum domi forisq; ue in publicis aris sacrificasse, & in omnibus rebus, quæ alicujus momenti fuerint, amicos suos misisse Delphos ad consulendum Oraculum. Eun-
34. dem *οὐράνια cœlestia*, juxta Xenophontem, non Christiano sensu inquirere vetasse, sed corpora potius cœlestia, & ab illis ad bene
36. vivendum Philosophos suos avocasse. Amelium Platonicum Gentilem, apud Eusebium Præp. p. 540, Theodoritum Græc. Affect. p. 33, Cyrillum c. Julian. p. 283, Johannem Evangelistam non per contemtum, sed respectu Palæstinæ, & quod extra Græciam vixerit, *βάρβαρον* appellasse, ejusque Evangelii exordium veneratum & admiratum esse. Imo & eundem forsitan esse, cujus effatum de initio Evangelii Johannis referat Au-
38. gustinus de Civ. D. X, 29. Epistolam Platonis ad Dionysium, quæ est decima tertia in ordine, quamque Anonymus ex Cudworthi System. Intell. p. 403 a Christianis ipsi suppositam scri-
39. pserat, tam genuinam esse quam reliquas. Laertium Epicuræum, & Suidam in *εὐπράττειν* tredecim Epistolarum Platonis mentionem facere, & has inter quatuor ad Dionysium. His si dematur illa, tantum remanere tres. Omnes tredecim, quas hodie habeamus, & nominibus & numero Catalogo Laertii responde-

ſpondere, niſi quod exigua variatio ſit in Epiſtola decima ad *Ariſtodorum*, quem Laertius *Ariſtodemum* appellet. Laertium uti potuiſſe exemplaribus ducentorum annorum, adeoque, ſi decima tertia epiſtola in illis reperta fuerit, non potuiſſe non illam ante nativitatem Chriſti ſcriptam eſſe. At, quod magis adhuc notandum, Laertium recenſionem Operum Platonis ſuppeditare ex Thraſyllo, qui tempore Auguſti floruerit, imo aliam adhuc citare Ariſtophanis Grammatici, qui ducentis ante æram Chriſtianam annis ſcripſerit. Ipſam præterea Epiſtolam omnia γνησιότητος habere indicia. Non locum aliquem communem il- p. 40.
lam pertractare, ut alias quam plurimas a Sophiſtis ſuppoſitas, ſed magna rerum & perſonarum varietate tam Autori quam tempori conveniente plenam eſſe. A nemine ergo, multo minus a Chriſtiano quodam confictam eſſe. Platonem in illa ſcribere, ſe ſtatuam Apollinis fabricandam curaſſe a Leochare ſtatuario juvene ſed eximio, qui poſtea ut celebris ſtatuarius Plinio & Pauſanio memoratus ſit. In loco Platonis apud Euſebium Præp. p. 530 & Theodoritum Affect. p. 27, qui fundamentum ſuſpicionis Cudwortho dederit, ſymbolum illud Epiſtolæ feriæ, Θεὸς, & minus feriæ, Θεοὶ, non Epiſtolæ aliquam partem conſtituiſſe, neque primam periodum inchoaſſe (hoc enim in omnibus tredecim hodie non comparere) ſed in ſummitate ejus forſitan fuiſſe 41.
ſcriptum his verbis, Σὺν Θεῷ, ſi Epiſtola feria fuerit, vel Σὺν Θεοῖς, ſi minus feria; quemadmodum & Philoſophi & Poetæ eadem verba, promiſcuo tamen uſu, in initio ſcriptorum ſuorum, quæ fuerint alicujus momenti, poſuerint. De Ariſtotele non 43.
Laertium referre, quod Athenis ab Eurymedonte impietatis accuſatus, ac ſi Philoſophicas notiones introduxerit cum religione Athenienſium pugnantes, Chalcidem conceſſerit; ſed apud Origenem veſtigia quædam ejus rei occurrere. Laertium vero & Athenæum accuſatum illum memorare tanquam impium, & in Hermiæ memoriam componentem Pæana, & quotidie canentem. Neque dubium eſſe, quin propter hanc ſolam cauſam A- 44.
riſtoteles delatus fuerit; ſiquidem, ſi doctrinas ejus Eurymedon criminatus eſſet, non opus fuerit inveterata illa conſuetudine, quæ tum per viginti annos invaluerit, morte Hermiæ in quadra-

geſimum, & hac accuſatione in ſexageſimum primum vitæ Ari-
ſtotelis annum incidente. De Epicuro Laertii teſtimonium
exiguæ autoritatis eſſe, eique facile contraria aliorum teſtimo-
p. 45. nia opponi poſſe. Platonicos, Peripateticos, Stoicos longe diu-
46. tius floruiſſe quam Epicuræos. Teſtimonium illud de amicitia
Epicuro culta non Ciceronis eſſe, ut vult Anonymus, ſed Tor-
quati Epicuræi a Cicerone ſaltem de Fin. I, 20 relatum, & poſt-
ea refutatum. Reliquas ſectas omnes ſtatuiſſe, quod Epicuræ-
us, amicitiam colere ſuæ voluptatis cauſa profeſſus, verus &
fidelis amicus eſſe nequeat. Ita docuiſſe Ciceronem libro II de
Fin. Offic. I, 1, III, 33, de Amic. c. 13, Academ. II, 46, de Nat. Deor.
47. I, 44. Verum eſſe, quod ille agnoſcat, multos ſectæ illius ami-
cos ipſius eſſe, & homines virtuti & gloriæ deditos; illum tamen
hoc naturæ non diſciplinæ illorum tribuiſſe. Inter Græcos Plu-
tarchum, notiones Epicuræas non ſolum amicitiam tollere, ſed
amorem quoque naturalem, docuiſſe contra Colot. p. 2037, 2041,
2058, & characterem illorum his verbis complexum eſſe, ἀφιλία,
ἀπραξία, ἀθεότης, ἡδυπάθεια, ὀλιγωρία, ibid. p. 2018. Impudenti &
profano ore dici, religionem Chriſtianam ſpeciatim amicitiam
non eo gradu, quo Epicurus, requirere. In V. T. illam & præ-
ceptis & exemplis celebratam, in N. T. ad tantum faſtigium
48. evectam eſſe, ut nomen amiſerit, & pro φιλία audierit φιλα-
δελφία & ἀγάπη. Gentilium notione amicitiam, juxta Ci-
ceronem de Amic. c. V, fuiſſe *inter duos & inter paucos*, & pro-
pterea Ariſtotelis effatum applauſum meruiſſe, *ὦ φίλοι, οὐ φί-
λος, qui amicos habet, amicum non habet*, ſed Chriſtianorum ami-
citiam vel charitatem uno eodemque amoris gradu ad totam fi-
dei œconomiam, bona voluntate vero & beneficentia ad totum
52. genus humanum extendi. Plutarchi in libro de ſuperſtitione ſco-
pum eſſe, ut oſtendat deplorandam ſuperſtitionis, ſi ad ſummum
gradum pervenerit, miſeriam. Eundem in aliis locis, ut contra
Colotem, in Atheiſmum tam ſevere animadvertere quam in ſu-
perſtitionem, imo moderatam ſuperſtitionem Atheiſmo longe
præferre. Male Anonymum aſſerere, *ſuperſtitionem* idem Græ-
55. cis & Romanis fuiſſe, quod *timorem Deorum*: & verba illa Plu-
tarchi, quibus moleſti maxime & anxii ſuperſtitionis actus de-
ſcribuntur, *Ὦ βάρβαροι, ἐξευρόντες ἕλληνες κακὰ, τῇ δεισιδαιμο-
νίᾳ*

νίας, πηλώσεις, καταβορβορώσεις, βαπτισμοὺς, (ſic enim pro *σαβ-
βατισμοὺς* legendum eſſe, erudite conjicit *κριτικώτατος* Bentle- p. 56.
jus) *ῥίψεις ἐπὶ πρόσωπον, αἰσχρὰς προσκαθίσεις, ἀλλοκότους προσ-
κυνήσεις*, in libro alterius cujusdam Anonymi *Characteriſticks* di-
cto peſſime, ſi cum Græcis conferantur, at pro ſcopo ipſius be-
ne verſa Anglice produxiſſe, iisdemque *humiliationem* & *con-* 57.
tritionem, verba in Liturgia Anglicana ſolennia, traduxiſſe.
Varronem quidem libere perſtrinxiſſe Theologiam Mythicam, 58, 59.
ad civilem autem ſive Romanam diligenter hortatum eſſe: & hoc 61.
quidem ex ratione Politica, & ne offenſam daret populo, non
vero quod ipſe ſuperſtitioſus fuerit; ſiquidem, teſte Auguſtino
de C. D. IV, 31 dixerit, caſtius Deos ſine ſimulacro obſervari, &
Hirporum, quorum mentio apud Plinium Hiſt. VII, 2, religio- 62.
ſam impoſturam, Servio autore ad Æn. XI, 786, detexerit. Ver-
ba Ciceronis de Catone Div. II, 24: *Vetus autem illud Cato-* 64.
*nis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe ajebat, quod non rideret,
haruſpicem cum vidiſſet*; & quæ parallela illis Noſter obſervat
ex Lib. I de Nat. Deor. c. 26, ſcopo Anonymi minime inſervire.
Nempe, præter Collegium Augurum Romæ a Numa inſtitutum, 65.
extra Romam quoque Haruſpices Etruſcos exortos eſſe, qui Ro-
manis ſæpe auguribus contraria reſponſa dederint; ut pateat ex
hiſtoria quadam apud Ciceronem de Nat. Deor. II, 4, quæ A. U.
C. 591, quo Terentii *Heautontimorumenos* acta, & ipſe Cato in 66.
vita fuerit, acciderit. Catonem ergo, qui ipſe augur Romanus,
& peregrinorum rituum inimicus, non potuiſſe non Etruſcos
vates pro impoſtoribus habere, atque inde verba ejus apud Cice-
ronem fluxiſſe. Illum præterea vel maxime ſuperſtitioſum fuiſ- 67.
ſe, librum ipſius de Re Ruſtica c. 83, 132, 134, 139, 141, 166, & Plini-
um N. H. XVII, fin. ſatis probare. In Quæſtionibus Ciceronis 72.
Tuſculanis A. non denotare Atticum, ſed Adoleſcentem, eas- 73.
demque Tuſculanas fuiſſe Scholas, ſive Sermones ſine Antago- 78, 79
niſta. Opiniones Ciceronis in perſona Academici ſiſti mini-
me poſſe. Academiam enim Platonicam, non minus ac Peripa-
teticos & Stoicos, doctrinas ſuas pro fixis & certis tradidiſſe. Cice-
ronem autem, prouti erat ambitioſus, amplexum eſſe placita
Carneadis, qui innovationem fecerit in Academia, certa quædam
perſpici poſſe negaverit, probabilia conceſſerit; non quod mi-

norem fidem habuerit probabilibus suis, quam reliqui certis, sed quod sic pro omnibus Sectis, & contra omnes dicendi occasionem nactus esset. Ciceronem ergo pariter non longius quam ad probabilia defendenda progressum esse. Ex his principiis nos omnia Ciceronis scripta recte interpretari posse, & patere, quod objectiones Academicorum, quæ in Philosophicis ipsius Dialogis contra alias Sectas identidem asserantur, veras opiniones ejus
p. 80. non complectantur. Sic in libr. de Natura Deorum, cum Balbus Stoicus pro existentia Deorum & providentia præclare dixisset, Cottam Academicum contrariam defendisse sententiam, finita tamen disputatione fassum esse Balbo, se ea, quæ disputaverit, disserere maluisse, quam dijudicare, & Ciceronem ipsum disputationis auditorem, quamvis eidem, cui Cotta, Sectæ addictum, declarasse, sibi Balbi Stoici sermonem pro divina providentia ad veritatis similitudinem videri propensiorem; eademque illum repetere de Divin. l. 5. Sique Cicero innuat, Stoicorum doctrinam de Providentia probabiliorem sibi videri, hoc idem esse, ac si Stoicus dicat, certam illam esse, & demonstrari
81. posse. Academiæ saltem novæ legem ita loqui ipsum postulasse. Propriam ergo Ciceronis sententiam non debere quæri in Disputationibus contra alios, quibus licuerit ipsi dicere quædam opponendi causa, sed in libris, quibus ipse dogmata proponat, & quibus, si modo dicta de *probabili* concedamus, omnem spiritum & medullam Platonicorum, Peripateticorum, & Stoicorum Systematum inveniamus; in libris videlicet de Officiis, Quæstionibus Tusculanis, de Amicitia, de Senectute, de Legibus. In his, ut & fragmentis aliorum hodie deperditorum illum essentiam & providentiam Dei, immortalitatem animæ, & omnia, quæ ad
82. Christianorum dogmata accedant, asserere, illasque tres sectas pro solis Philosophiæ ornamentis habere, reliquas contemnere, & Epicuræos penitus damnare. Et hanc laudem ipsi tribuendam esse, quod, cum libertatem a secta sua habuerit optima & probabilia e variis systematibus eligendi, in singulis id elegerit, quod doctum virum ac probum decet. Sed hic rursus Vir eruditissimus filum abrumpit. Spes tamen est, fore, ut & tertiam Partem addat. Quod optabunt omnes, qui mirificam ejus in vindicandis autoribus, quibus Anonymus abusus est, dexteritatem exploratam habent.

HENRI-

HENRICI DODWELLI DE PARMA EQUEſtri Woodvvardiana Diſſertatio. Accedit THOMÆ NELI Dialogus de Academiæ Oxonienſis ædificiis. Recenſuit ediditque THO. HEARNE, A. M. Oxonienſis.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1713, 8.
Conſtat plag. 11½.

CUm A. 1709 editionem Livii a Cl. Hearnio adornatam recenſeremus, non ſolum mentionem *p. 246* fecimus clypei vetuſti, in Woodwardiano muſeo aſſervati, ſed ejus etiam effigiem ære expreſſam exhibuimus. Accidit ex illo tempore, ut Vir doctiſſimus & magnum in hiſce noſtris Actis nomen, Henricus Dodwellus, in explicandis hujus clypei figuris ingenii vim ſui exerceret, ſingularemque componeret diſſertationem: qua tamen nondum plane ad umbilicum perducta, anno ætatis ſeptuageſimo, ære Chriſtianæ 1711 d. 7 Iunii rebus humanis ereptus eſt. Orbi hujus parente ſuo libelli curam ſuſcepit Hearnius, alias quoque de Dodwello bene merendi ſtudioſus, quippe cujus & Vitam deſcripſit, in quinto volumine Jo. Lelandi Itinerarii nuper editam, & operum ab eo compoſitorum (ſunt ea numero LVII) catalogum præſenti Diſſertationi præfixit, additis nonnullis præclaris ſummorum virorum de eodem Dodwello teſtimoniis. Nos repetemus ſolius Hearnii de eo elogium, quod in hiſce prolegomenis *p. 18* legimus. *Fuit*, inquit, *ex illis viris probis, qui fidem, Regi per juramentum datam, violare nefas eſſe ducerent, plurimis eo nomine contumeliis divexatus, injuriisque multiplicibus affectus, pulſusque (proh dolor!) munere Profeſſorio, quo in Academia Oxonienſi fruebatur, Camdeniano, & vitam eremiticam agere coactus: ubi ad alia ſtudia, utilia ſane, ſed eccleſiæ non æque profutura, animum applicuit.*

Quod ad Dodwellianam Diſſertationem attinet, §. *1* rationes exponit, cur clypeus hic pro pervetuſto ſit monumento habendus: ac ſpeciatim, eum prima Julii Cæſaris dictatura eſſe antiquiorem non poſſe, ex eo §. *2* concludit, quod eadem arma gerentes Romani & Galli conſpiciantur: nec eundem Trajano Imp. recentiorem eſſe, ex vexillorum equeſtrium hic apparen-

 tium

tium figura §. *3* colligit. Porro §. *4* animalium motus, ad vivum hic repræſentati, ipſi ſunt argumento, poſt Auguſtum Imp. hunc clypeum eſſe fabricatum. Qua occaſione, quæ de Dædali ſtatuis ſemet ipſas moventibus Poetæ narrant, in fabularum cenſum refert, ratus, inde ortam iſtam hiſtoriolam, quod Dædalus, eximius ſtatuarius, oculos ſtatuarum aperuiſſe creditus ſit, ac manus pedesque, corpori prius jungi ſolitos, primus a corpore ita ſejunxiſſe, uti ſejungi neceſſe eſt, dum motus ſibi proprios exſequuntur. Denique §. *5* contendit, veroſimile eſſe, clypeum hunc attingere Neronis Imp. ætatem. Interſerta hinc ex Plinio Diſputatione §. *6*, quibus veteres uſi ſint artibus ad ferrum indurandum, lentum reddendum, & a rubigine defendendum; §. *7* ex rotunditate & brevitate oſtenſum it, hunc non eſſe clypeum peditis. ſed parmam equeſtrem. Inde oſtenſurus, quibus gradibus ad hanc formam pervenerint parmæ equeſtres, §. *8* docet, apud Romanos ad Polybii usque tempora non fuiſſe in uſu clypeos metallicos, ſed primum e corio, deinde ex ligno factos. Facto §. *9* excurſu, quo, Cangium ſecutus, *bucculam* oſtendit dictum eſſe & clypeum integrum & umbonem clypei, quod *buccæ* inflatæ tumorem repræſentaret umbo; §. *10* ediſſerit, coriaceis parmis ſucceſſiſſe ligneas, quarum interiorem partem conſtituerint crates vimineæ: poſtea umbones ex ferro factos eſſe, nondum integros clypeos. §. *11* de variis modis ornandi clypeos diſſerit, ac §. *12* docet, vetuſtiores Romanos uſos eſſe *paleis* ex corio: *caſſidum* metallicarum uſum ſub Hadriano Imp. demum receptum eſſe: caſſides equitum fuiſſe proprias, galeas peditum. Artifices in ornandis armis occupati vocabantur *barbaricarii*, cujus nominis cauſam inveſtigat, & ejus originem ad tempora Conſtantii Imp. refert §. *13*. Hinc §. *14* & ſequentibus ad finem usque præſentem parmam docto perluſtrat oculo, ſingula eius explicans, ſimulque illuſtrans hiſtoriam Camilli, Gallorum Senonum victoris, in hacce parma elegantiſſime deſcriptam. Hac occaſione variis armorum ac veſtitus Romani antiquitatibus lucem affundit, agens pereruditе §. *17*, *18*, *19* de criſta equina, ducum bellicorum inſigni: §. *20* & *21* de varietate gladiorum: §. *22* de haſtis: §. *23* & *24* de loricis: §. *32*, *33*, *35* & *36*

35 & 36 de sago & sagulo, §. 37--40 de caligis. Subnexa est huic Dissertationi Dialogus Tho. Neli seculo XVI scriptus, quo Elisabetha Regina & Dudlejus, Academiæ Oxoniensis Cancellarius, inducuntur Latinis versibus colloquentes de collegiis & scholis publicis hujus Academiæ. De hoc Dialogo, ex Bodlejana bibliotheca nunc primum vulgato, adjectis figuris illorum collegiorum ac scholarum æri incisis, nihil addere opus est, nisi quod in Præfatione Hearnius testatur, ædificia illa hodie longe elegantiora esse pariter & magnificentiora.

OCTAVII FERRARII DE PANTOMIMIS ET MIMIS Dissertatio, nunc primum edita, cum IO. FABRICII ad non neminis dubia de orthographia Latina responsionibus.

Wolffenbuttelii, sumtibus Godofr. Freytagii, 1714, 8.

Pl. 4.

Octavii Ferrarii varia opera, una cum Vita ipsius, paucis abhinc annis a Summe Reverendo Io. Fabricio Tomis duobus edita esse, non sine laude utriusque nominis ad posteritatis memoriam retulimus A. 1711 M. Aprili p. 153. Eidem lucem jam publicam debet Ferrarianum *de Mimis & Pantomimis* Schediasma, cum ipso communicatum a V. C. Jacobo Facciolato, Seminarii Patavini Præfecto, cujus Orationem perelegantem superiori mense Decembri p. 563 commemoratam, Cl. Walchius nuper apud nos recudi curavit. Paucis, quid illud complectatur, lectores nostros docebimus. §. 2 describit artem Pantomimorum, quæ a tragœdo vel comœdo canebantur, solis gestibus exprimentium. §. 3--8 per exempla hunc morem describit. §. 9-11, quantum favoris popularis, quantumque divitiarum lucrati sint hi histriones, exemplis probat. §. 12 docet, cur ab Impp. aliquot relegati, à Trajano plane sublati sint. §. 13 contra Lipsium, eorum originem ad Augusti tempora referentem, demonstrat, eos pœne cum ipsa Rep. ortos esse. §. 14 ostendit, etiam in conviviis adhibitos fuisse pantomimos. Singulare eorum artificium §. 15 edisseritur, quo solis cruribus ac pedibus utebantur, & quidem inverso corpore, capitique ac manibus incumbente. §. 16 & 17 docet, hodieque hujus artis vestigia superesse in eo saltatorum genere,

genere, qui in Gallia Cisalpina *Mattacini* vocentur. Hinc ad Mimos digressus §. 18 ostendit, non saltatione ac gestu, sed voce ac verbis res ridiculas in scena repræsentasse Mimos, turpes vero plerumque & obscœnas, ut adulteria & maritorum deceptiones; id quod §. 19 edisserit: adjiciens §. 20 discrimen inter mimos & comœdos. *Planipedes* dictos esse, quod planis incederent pedibus, non, ut tragici actores, cum cothurnis, nec, ut comici, cum soccis, discere est ex §. 23. Quodnam histrionum genus fuerint *Atellani* & *Exodiarii*, §. 24; *aretalogi* & *copreæ*, §. 25; *buffones*, §. 26; *sanniones* §. 27 docet, ac disserendi finem facit.

Sequitur Jo. Phil. Slevogtii, JCti Jenensis & Polyhistoris ce-
p. 39. leberrimi, Epistola ad Fabricium, in qua judicium fert de Ferrarii dicendi genere, quod mirifice extollit, ita ut eum recentioribus præponat omnibus. Sunt, qui tumorem & alia vitia notant in Ferrario. Sed hunc ab istorum criminationibus defendit Slevogtius, arbitratus, eum omnino regnare in sublimi dicendi genere. Ceterum ex omnibus oratoriis ejus argumentis principem locum mereri judicat *panegyricum Ludovico M. Galliarum regi dictum*, nec eum Pliniano anteferre dubitat.

Ultimo loco procedunt Fabricii theses aliquot orthographicæ, in quibus *p. 52* pro *Christoph. Schubartus* lege *Georgius Schubartus*. Meminimus, hasce Theses a doctissimo Autore jam A. 1709 (in 4) Helmstadii seorsim, sed ἀνωνύμως, publicatas fuisse sub titulo: *Osculum Theologiæ & Philologiæ*. Nam in ista editione primum & postremum folium erat theologici argumenti: in iis quippe methodus concionandi apostolica commendabatur Studiosis.

C. A. H. MEDITATIO ORTHOGRAPHICA AD DISsertationem Fabricianam modo recensitam.

PAce Viri Summe Reverendi unam alteramque quæstionem orthographicam & mihi liceat expendere. Primum disputatur, in minutiore scriptura, utrum literæ diphthongorum sint divellendæ, an una figura exprimendæ. Prius videtur Fabricio *p. 51*. Ego crediderim, distinctione aliqua opus esse. Scilicet quando typis scriptura exprimitur, scribendum est *ae*, *oe*, non

non æ, œ, ut elegantiam veterum imitemur, qui AE & OE ſcribebant diviſe. At cum aliquid manu exaramus, compendium ſcripturæ ſectari licebit velocitatis cauſa.

P. 56 ſuper adverbiis ponendos accentus eſſe, ſuper ablativis tectula, ſimpliciter negat. Equidem & hic diſtinguendum arbitror. Ubi nempe ſententia ſermonis lectoribus linguæ ſatis peritis nihil difficultatis faceſſere poteſt, Cl. Fabricio ſubſcribo, Verum ſæpe eſt, ubi vel doctiſſimi, hoc adminiculo deſtituti, labi queunt atque errare. Ac tunc quidem illæ notulæ ut apponantur, ſuadet ratio. In promtu ſunt exempla. En locum *Taciti de moribus Germ. cap. XXXI, 1: Et aliis Germanorum populis uſurpatum rarâ & privatâ cujusque audentiâ, apud Cattos in conſenſum vertit. Colero* illo ablativus pro nominativo habitus audentiam fecit locum hunc undiquaque ſanum emendandi dicam an pervertendi? Hæc enim eſt Taciti ſententia: *quod in aliis quoque populis Germaniæ fieri ſolet, verum non inſtituto aliquo aut communi conſuetudine, ſed prout quisque privato arbitrio & auſu id facit: quod tamen a paucis fit; hoc, inquam, apud Cattos communi & inveterata fit conſuetudine.* In ejusdem *Taciti cap. XXXIV, 2* recte in Conringiana editione ſcriptum eſt: *Ipſum quin etiam Oceanum illâ tentavimus.* Recordor hac occaſione, *Lipſium Var. lect. lib. III cap. XI* obſervaſſe, in quodam Gellii loco (qui exſtat Noct. Attic. lib. III cap. 7) male legi *poſt illam* pro *poſtillâ*, antiquo verbo, idemque, quod *poſtea*, ſignificanti. Sic apud Ciceronem *lib. 1 de Offic. cap. 1* plerique omnes legunt in imperativo modo: *de rebus ipſis utere tuo judicio.* Sed futurum tempus eſſe, *utére*, jam obſervavi in *Parerg. Crit. p. 170.* Ita in terſiſſima illa Ciceronis epiſtola, quæ eſt *libri V ad Famil.* duodecima, ſcribendum cenſeo: *quò mihi acciderit optatius, ſi* &c. *Quò optatius* dixit pro *eo optatius.* Male igitur quidam libri habent *quod* pro *quo.* In eadem ſcribo ſic: *Atque hôc præſtantius mihi fuerit. Hôc præſtantius* pro *eo præſtantius.* Cave enim, *τὸ hoc* capias caſu nominativo. Pari modo apud *Curtium IX, 7, 18* ad evitandum in interpretando errorem ſcribi oportere puto: *cum etiam acriùs certamen expoſcerent.* Ceterum ne quis ſolum me diverſum a præſtantiſ-

563.

ſimis philologis hac in re ſentire objiciat, advocabo Criticum, eumque altioris caveæ, *Clericum*, quem relegiſſe juvabit *Art. Crit. P. III ſect. I cap. XI §. 21* in editione quidem noviſſima.

Ad *p. 62* Daumius *epiſt. ad Hekelium p. 31 ſq.* contendit, ſcribendum eſſe *ſſ*, non *sſ*: ſed rationibus quidem certe ineptis uſus. Poſteriorem ſcripturam probam eſſe, priorem minus, inde probo, quod in fine ſyllabæ omnes ſcribimus *s* breve, non *ſ* longum. Atqui in *sſ* ſemper prius eſt finalis litera ſyllabæ, e. g. *conſes-ſus*. Ceterum ſi quis forte rixam hanc eſſe de lana caprina criminetur, ei ſuaſor ſim, ut ne ſuccenſeat hominibus ad minutias usque, ſed ſine ſtomacho, accuratis, ſed audiat *Fabricium* noſtrum, in Præfatione ita ſcribentem: *Orthographia non eſt res vilis ac puerilis, quamvis & pueros ea imbui neceſſe ſit, ſed ab eruditisſimis viris magni ſemper æſtimata, ſtudioſe culta, & ſollicite obſervata.*

CATALOGUS CODICUM MANUSCRIPTORUM Bibliothecæ Gothanæ, autore ERNESTO SALOMONE CYPRIANO.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſch & Fil, 1714, 4.
Alph. 1.

MUltum in Sereniſſimo Duce Gothano præſidii habent literæ, qui inter alia ſui in illas affectus documenta a nummophylacio Arnſtadienſi, & numeroſa bibliotheca, quæ ex Thumbshirnii, Fergeni & Feuſtkingii libraria ſupellectile crevit, inſigne ſplendidisſimæ aulæ ornamentum conciliavit. MSCtos codices, qui in illa aſſervantur, non omnes exhibet hic Catalogus. Ultra 200 enim omiſit Cl. Editor, quod partim editi eſſent, partim parum illorum intereſſe publico videretur. Exhibet vero 531 volumina, quorum quidem major pars ad rerum in Germania religionis inſtaurandæ cauſa geſtarum, disſidiorumque Theologicorum hiſtoriam pertinet, ac præter alia innumeras clarisſimorum illius temporis Theologorum literas, multa quoque Principum avtographa complectitur. Sunt tamen & qui omni rei Germanicæ prodeſſe queant, codices. Ita n. 54 inter *membr. maj.* eſt Codex legum antiquarum populorum Germaniæ, dignus qui cum editis

editis conferatur. Est enim antiquissimis hujus generis codicibus annumerandus, scriptusque, ut doctissimus Tenzelius judicavit, initio seculi X. Primum locum obtinent capitula Regum Francorum ab Ansigiso collecta. N. 162-169 *chart. maj. f.* Bohemica acta, n. 182-188 ib. varia, præter Laurentii Frisii chronicon, quod nuper inter rerum Herbipolensium Scriptores editum, superiori Anno p. 496 commemoravimus, rerum Herbipolensium documenta habentur, ex quibus speciminis loco titulum n. 185 damus: **Sachen der Bischöffe zu Würtzburg mit den Päpsten, Käysern und Römischen Königen, Sachen mit Mayntz, Fulda, Teutschmeister, mit Brandenburg als Burggrafen zu Nürnberg, Hessen, Leuchtenberg, Beiern, Manderscheid, Wertheim, Eberstein, Leonstein, mit den Freyherrn zu Knichingen** &c. N. 195 ib. occurrit vita Landgravii Hermanni, Ludovici fratris, & S. Elisabethæ, rhythmis germanicis, & sequuntur n. 197-200 multa Hennebergica, quorum ultimis duobus voluminibus familiarum nobilium oppidorumque jura, quæ A. 1581 fuerunt, studiose describuntur. N. 205-208 ib. Chronica & collectanea varia Erfurtensia implent, ac n. 216 ib. exstant exempla multorum diplomatum, variarum in Franconia ecclesiarum jura confirmantium. Adsunt præterea & S. Scripturæ, Patrumque nonnulla, & Justini quoque, Virgilii, Juvenalis, & Persii codices, Ciceronis Officia, libri rhetoricorum ad Herennium, Senecæ tragœdiæ, & Ovidii heroides, de quorum quidem ætate ac bonitate nihil adjicitur. De Justini codice notat Cl. Editor, eum e bibliotheca Pii III Gotham translatum esse, qui sua manu passim quædam margini allevit, annoque 1494 die VII Decembris nonnulla inscripsit de sua legatione ad Carolum VIII Galliarum Regem, Italiam cum exercitu ingressum. Inter alia hæc ibi legere est: *Nunc de urbe Roma & fortuna Alexandri* (VI) *pont. max. agitur, qui me legatum, ut Regi usque ad civitatem Astensem occurrerem, misit.* Jucunda erunt lectoribus, quæ passim ex ipsis MSC. specimina, aut ad ipsorum illustrationem notæ adjiciuntur. Codex antiquissimus inter *membr. maj.* 53 categoriarum S. Augustini, & librorum Augustini de civitate Dei, jussu Villigisi Antistitis Moguntini scriptus creditur,

ditur, atque inde nata est prolixa Christiani Schlegelii epistola de codice Willigisano, catalogo adjuncta, qua vitam ipsius accurate describit. N. 82 *ib.* specimen habes lectionarii ecclesiæ Græcæ, cujus edendi quondam spem fecit B. Tenzelius, & in quo tituli dierum Dominicarum differunt ab illis, quos Leo Allatius de hebdomadibus Græcorum commemorat. P. 64-66 exponitur historia Jo. Michaelis Wanslebii Erfurtensis. Miserat illum piissimus Princeps Ernestus in Abesyniam, sed in Ægypto substitit, ac inde in Italiam reversus, deserta religione avita, patriæque ac optimi Domini ratione posthabita, monasterium Romæ ingressus est, posteaque obtenta peregrinandi copia Parisios profectus, Colberto innotuit, qui illum denuo in Orientem coemendis Orientalis literaturæ monumentis misit. P. 83 describitur magnum opus XXXI Voluminum, quo Jacobus de Strada, Mantuanus, numos Imperatorum a J. Cæsare usque ad Carolum V collegit. Illorum XXIV Gothæ servantur, & ultimus in Licinio desinit. Sequuntur n. 169 inter *chart. maj.* autores Græci περὶ χρυσοποιΐας, & subjicitur digna lectu de iis Th. Reinesii diatribe vernacula. Occurrunt alia multa doctis grata, ut concilii Constantiensis codex optimæ notæ; autographum Pacificationis a Saxonicis & Wurtembergensibus cum Victorino Strigelio institutæ; Aurifabri literæ, de conjugio Io. Guilielmi Saxoniæ Ducis cum Angliæ Regina contrahendo; restituta lectio genuina judicii, quod Thuanus de Jo. Friderici Sax. Electoris filiis tulerat; narratio de pseudo-regina Angliæ ex autographis; Achillis Pirminii Gassari annales reip. Augstburgensis; catalogus bibliothecæ G. Spalatini ipsius manu scriptus; narratio de Io. Campano, qui anno 1530 Ariana dogmata Vitebergæ sparsit, itemque de Val. Weigelii studiis & ordinatione Eberi senioris testimonium autographum; nonnulla de Tegenharti Pfeffingeri, Bavariæ Marscalci, collectione numorum, ac pluribus præterea rebus, quæ ad illustrandam historiam literariam pertinent, imprimis cum non nudum MStorum Codicum Syllabum sistat Summe Reverendus Editor, verum observationibus elegantissimis passim librum distinguat.

CLA-

CLARORUM VIRORUM EPISTOLÆ CXVII E Bibliotheca Gothanæ Autographis, cum Præf. ERN. SAL. CYPRIANI.

Lipsiæ apud Io. Frid. Gleditsch & Fil. 1714, 4.
Alph. 1 plag. 3.

NOn tam domesticis autorum suorum minutiis plenæ sunt hæ epistolæ, aut criminationibus, quæ eruditis affectu quodam aut rumore seductis de aliis excidere solent; (neque enim deberent talia, quod in Præfatione evincitur, publicari) sed cum pleræque ad Piscatorem, & Ludovicum Saynium Comitem de Wittgenstein, Palatinatus inferioris præfectum, a clarissimis illorum temporum, illiusque communionis Theologis scriptæ sint, multa continent, quibus illorum controversiæ illustrantur. Invenias tamen & alienas ab hoc argumento passim insertas: ut n. 6 Henrici IIX Angliæ Regis verbosas literas ad Fridericum Electorem, & Johannem ac Georgium Duces Saxoniæ, d. 20 Januar. 1523 datas, quibus illos adversus Lutherum, qui duriuscule ipsi responderat, accendere conatur: & n. 110, 111 Justi Lipsii epistolas duas, ex quarum priori patet, illum non clam, quod perperam crediderunt nonnulli, Jena abiisse. Rogat enim consiliarios Vinarienses, ut discessuro sibi trimestre stipendium persolvant. Ex reliquis speciminis loco attingimus ep. 37, qua Beza ipsi Piscatori ἀκρίβειαν ejus sibi aliisque merito suspectam esse fatetur. Ep. 47 Piscator adversus Bezæ censuram Logicam Rameam defendit, in qua lucem veritatis, perspicuitatis, ordinis, ac genuini disserendi usus invenerit. Suspectus ille erat Beza Grynæo, Tossano aliisque, quod eum Altenhovio collega faceret, qui illos hæreticos appellabat, quod totam obedientiam Christi imputari nobis credebant. Sed purgat se epistola 44. Utrum justitia Christi passiva vel activa nobis imputetur, magnis tum motibus animorum, autore Piscatore, disputabatur, eoque multæ admodum epistolæ spectant. Notabilis est ep. 66 Dav. Parei, qua disputationem illam in logomachiam desinere judicat. Idem ep. 61 in Conr. Vorstium invehitur, tanquam Socini vestigia legentem, & ep. 64, quam male exceptum sit Irenicum suum,

queritur. Ad Wittgensteinium plurimæ sunt Tossani. Ep. 95 concernit turbas Ambergenses, cum Augustanæ Confessionis asseclæ oppido ejicerentur. Ep. 103 sinistrum esse restituendæ religionis consilium judicat, nisi ab illorum moribus incipiatur, qui reipublicæ, quique sacris, & scholis præsunt. Ex ep. 106 videmus, Johannem Nassovium seniorem arctiorem inter eadem sacra sequentes amicitiam stabilire voluisse, verum intra vota id consilium substitisse. Ejusd. Tossani judicium ep. 102 de consilio Piscatoris adornandi novam S. Scripturæ versionem, haud favet operi. Queritur, id inconsultis Theologis Heidelbergensibus, Basileensibus, & Bremensibus, nec non D. Junio suscipi. Improbat notas Piscatoris, & retineri versionem Lutheri, ac tantum conferri denuo cum Ebraico textu satius putat. Nec tamen dissimulabimus, Tossanum alibi in his epistolis plura alieni a Piscatore animi indicia dedisse. Ceterum ut in Catalogo pariter & Epistolis his edendis egregiam operam præstitit Summe Reverendus Editor, ita ignorare Lectores nostros nolumus, in impressione ipsa, sive typi sive chartæ elegantiam spectes, nihil fuisse intermissum, quo allicere Lectorum oculos valeat.

Die Teutsche Reichs-Cantzley.

h. e.

CANCELLARIA IMPERII GERMANICI, COLLECTA a JOH. CHRISTIANO LUNIG.

Volumina IIX.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch & Fil. 1714, 8.

Alph. 25.

EGregie meretur de orbe erudito Cl. Lunigius noster, qui ut in aliis scriptis, Archivo imprimis Imperii, quod XIII Voluminibus nuper absolvit, quibus accedet insuper Index copiosus, ita in hoc pariter, quod exhibemus, opere non pauca quæ & statum Germaniæ publicum & jura ac res gestas ipsamque linguam vernaculam illustrant, & partim in magnatum thesauris partim a privatis magna cura custodita fuerunt, publici juris fecit. Collegit hic Autor diversorum Imperatorum, Regum, Electorum,

Princ-

Principum, Comitum, Collegiorum, Miniſtrorum, Civitatum &c. literas, quas vernacula lingua conſcriptas a tempore Pacis Osnabrugenſis & Monaſterienſis usque ad Pacem Raſtadienſem ſuperiori anno feliciter initam ad ſe invicem miſerunt, quod ſtudium eo majori poteſt eſſe emolumento, quod plurimæ earum, quas exhibet, nunc primum lucem adſpiciunt.

Tomus primus continet eas, quæ ab anno 1648 usque 1659 exaratæ fuerunt. Priores ſpectant ad ipſam Pacis Weſtphalicæ hiſtoriam. Nam quum quidam Germaniæ procerum urgerent ejusdem ſanctionem, alii autem differrent, factum eſt, ut multa per literas acta fuerint, quæ hic magno numero comparent. Occurrunt etiam hac in parte multæ literæ, in quibus de ſtatu religionis diſſeritur, & notatu digna ſunt, quæ in Epiſtola LXXXII, d. 29 Aug. 1651 data, Erneſtus Landgravius Haſſiæ Rheinfelſenſis ad Auguſtum Ducem Brunſuico-Luneburgenſem ſcribit. Fatetur hic, exiiſſe rumorem, quaſi de mutanda evangelica fide cogitaret; verum quum judicaret, haud fieri poſſe, ut improbæ famæ alio modo conſuleret, ſibi propoſitum eſſe ſcribit, Colloquium inter utriusque religionis Theologos peritiſſimos inſtituere, cui negotio peragendo Francofurtum ad Mœnum aptiſſimum crediſſet. Dubium ſibi excitaſſe monet P. Valeriani Magni judicium de Acatholicorum & Catholicorum regula credendi, quare futuro Colloquio vellet, ut Pontificii probent, Vicarium conſtitutum fuiſſe Petrum a Chriſto, atque doceant, ejusdem legitimos ſucceſſores eſſe Epiſcopos Romanos, & gaudere illos immunitate errorum, quum in rebus fidei aliquid tradant. Evangelicis, ex quibus Calixtum, Haberkornium & Crocium elegerat, imponit quæſtionis interpretationem: num unquam aliquis homo vel eccleſia fuerit, quæ Sacram Scripturam ad Spiritus S. mentem recte explicare potuerit, ita ut reliqui teneantur ejusdem ſubſcribere explicationi? Quumque Calixtus Auguſto eſſet a ſervitiis, rogat, ipſi permitti, ut huic colloquio interſit, quod ideo inſtituiſſe ſcribit, ne a quoquam ullius præjudicii in rebus fidei accuſari poſſit. Ad religionis negotia ſpectant quoque frequentes interceſſiones Electoris Saxoniæ & Legatorum Statuum Imperii Proteſtantium religioni addicto-

dictorum, & in comitiis degentium, quibus pro Evangelicis, in hæreditariis Imperatoris regionibus habitantibus, ſupplicant, ne propter religioſum cultum affligantur; nec non literæ Ioannis Comitis de Naſſau Idſtein, ad filium Guſtavum Adolphum d. 19 Septembris 1653 datæ, in quibus quam graviſſime de apoſtaſia ejus ad fidem catholicam queritur, atque validis argumentis ei perſuadere allaborat, ut Dei patrisque memor ad priſtina revertatur ſacra. Spectat etiam ad res religionis epiſtola Corporis Evangelici Legatorum ad Io. Georgium I Saxoniæ Electorem piæ memoriæ, qua ſubmiſſe rogant, velit Elector interdicere ſuis Theologis, ne cum Helmſtadienſibus, inprimis Calixto, lites in damnum totius noſtræ eccleſiæ motas, continuare audeant. In ſecundo Tomo eæ reperiuntur literæ, quæ ab anno 1659 usque 1673 ſcriptæ fuerunt. Agitur in illis de translatione diætæ deputationis Francofurtanæ Ratisbonam facienda, quam maxime poſtulabant Imperator & diverſi Principes Imperii, ſed contradicebant Jo. Philippus Elector Moguntinus & nonnulli Germaniæ Proceres, qui ab ipſius partibus erant; de ſedando bello in Polonia orto; de bello cum Turcis geſto; de convocatione Comitiorum; de Iure Wildfangiatus, de occupatione urbis Brunſuicenſis aliisque rebus, quæ eodem tempore contigerunt. Tertius Tomus comprehendit epiſtolas, quæ ab anno 1673 usque ad annum 1682 conſcriptæ ſunt. Merentur inprimis legi literæ Ferdinandi Mariæ Electoris Bavariæ, ad Leodoldum Imperatorem A. 1673 datæ, quibus ſubmiſſe rogat, velit proſpicere, ne, dum ipſi animus eſſet libertati Confœderatorum Belgii providendi, atque Europæ tranquillitatem procurandi, magno periculo ſacrum Romanum Imperium exponat. Suadet potius, ne ulla prætermittatur occaſio, qua Germania cum Galliæ Rege conciliari, atque quieti ipſius proſpici poſſit. His quidem Cæſar reſpondit; ſed non deſtitit Elector novis literis priora repetere, & periculum, quod Imperio immineret, exponere, quibus tamen nova reſponſione ſatisfacere ſuamque pro Germaniæ commodis curam teſtari Leopoldus voluit. Inierant Fœderati Belgæ anno 1678 Noviomagi pacem cum Galliæ Rege; ſed quum hoc ægre ferret Fridericus Wilhelmus Brandenburgicus Elector,

Elector, qui plurima in illorum fecerat commodum, maxime reprehendit in iis inconstantiam atque ingratum animum; quas literas cum responsione atque exculatione Belgarum exhibet Lunigius. Quartus Tomus progreditur ab an. 1682 usque 1699. Continet is multas epistolas, quæ ad translationem Cameræ Imperialis pertinent, & propter violationem armistitii vicennalis a parte Gallorum, ac bellum ideo gestum, nec non pacem subsecutam conscriptæ sunt. Edidit quoque Tomo hoc Lunigius diversa, quæ occasione voti atque sessionis in comitiis, quod quærebant Immediati Imperii Nobiles, acta fuere. Favebat ipsorum petitis Elector Moguntinus Anshelmus Franciscus, qui causas illorum coram Cæsare perorabat, cui plurimi Episcopi & nonnulli Principes seculares adsentiebantur, quorum hic literas videas. Interim caruit res successu, quia liberæ Imperii Civitates maxime repugnabant, uti ex iis patet quæ anno 1687 Civitas Francofurtana Noribergensi transscripsit, quæ & sub n. CXVI inveniuntur. Tomus quintus comprehendit anno 1699 & sequentibus usque ad 1703 gesta. Occurrunt hic controversiæ diversæ ratione noni Electoratus, advocatiæ Quedlinburgensis, mutationis calendarii Juliani, turbarum in Holsatia ortarum, belli cum Gallis gesti, & visitationis Cameralis subortæ. Reperiuntur quoque Epistolæ nonnullæ, quibus varii Proceres Friderico I Borussiæ Regi de Regali dignitate gratulantur; ut alia quæ ad religionis negotia spectant, taceamus. In sexto Tomo inveniuntur, quæ ad annum 1703 & sequentes usque 1710 pertinent. Multa ibi sunt, quæ ad bellum cum Gallis gestum spectant, & frequentes adhortationes de continuando bello a Batavis reliquisque Fœderatis ad Imperii comitia missæ occurrunt. Nondum hoc tempore cessarunt controversiæ in Camera Imperii subortæ. Accedebat Divi Leopoldi mors, & his etiam temporibus religionis dissidia varias in Germania lites ciebant, de quibus ubique volumen hoc testatur. Septimus ab anno 1710 usque ad annum 1713 scriptas, ultimus vero currentis anni literas exhibet; quibus accessit supplementum omnium Partium & copiosissimus Index: nam quum hujus generis libri Indice imprimis opus habeant, effecit utique Lunigius noster, ne hac quo-

que in parte quicquam desiderari possit. Duplex vero Index hic reperitur, & prior quidem Historica continet, posterior in curialibus, ut vocant, versatur; ut vel ex eo de stylo curiæ, quo Principes invicem utuntur, cognosci possit. Plura pro instituti nostri ratione non addimus; illud tamen haud dissimulamus, ita comparatam esse hanc collectionem, ut historiarum & juris publici cupidis apprime se commendet.

HISTORIA ET EXAMEN BULLÆ CLEMENTIS XI P. R. contra novum Testamentum P. QUESNELLII emissæ; Autore GOTTLOB FRID. JENICHEN, Theol. Lic. Moral. & Polit. P. P.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch & Fil. 1714, 4.
Pl. 8.

NOndum deferbuit contentio magnis animorum motibus hoc & superiori anno in Ecclesia Gallicana excitata, occasione *Constitutionis dogmaticæ*, quam sub *Bullæ* forma *Clemens XI P. R.* contra *Novum Testamentum P. Quesnellii* die XII Sept. A. MDCCXIII publicavit & emisit. Distraxit hæc Bulla, CI propositiones, ex Quesnellii meditationibus & adnotationibus in N. T. moralibus excerptas, anathemate notans, Clerum Gallicanum in duas partes, quarum altera & major quidem cum *Rohanio Cardinale* Bullam illam Pontificis pure & simpliciter recipiendam esse decreto sanxit, ut non tam Papæ, quam Regis Christianissimi, Ludovici XIV, voluntati satisfaceret; altera vero cum *Noallio Cardinale* & aliis quibusdam Episcopis doctioribus Bullam illam non absque explicationibus propositionum damnatarum planioribus adjectis recipi posse urget, ne sive veritas sive libertas Ecclesiæ Gallicanæ periclitetur. Et res eo etiam devenit, ut pars bene multa eorum, qui vel a Noallii partibus stant, vel neutrius sunt partis, Concilii Nationalis in Gallia convocationem vehementer urgeat, quo de modo legitimo & opportuno Bullam prædictam in Gallia recipiendi deliberari possit, qui nec autoritati Pontificis, nec libertati Ecclesiæ Gallicanæ obsit. Permovit controversiæ hujus illustrioris dignitas Viros doctos

doctos tum in Gallia, tum in Belgio plures, ut scriptis editis aut historiam controversiæ hujus enarrarent, aut examen Bullæ Clementinæ instituerent. Quorum numero merito nunc accensemus trigam scriptorum Latino idiomate haut ita pridem in Germania nostra editorum, quorum unum Cl. *Jenichium*, Collegum nostrum honoratissimum, alterum *Jægerum*, Theologum & Cancellarium Tubingensem, de quo in Supplem. T. VI Sect. I, & tertium denique de quo pariter brevi dicemus, *Frickium*, Theologum Ulmensem, autorem agnoscit.

Et quod ad Jenichii quidem scriptum præsens, jam mense Julio hujus anni orbi literario expositum, attinet, in eo tum *historia*, tum *examen Bullæ Clementis XI contra Novum P. Quesnellii Testamentum* succincta quadam commentatione traditur. Auspicatur autem Jenichius historiam Bullæ a prima Testamenti Novi Gallicani, notis Quesnellii moralibus illustrati, editione, quam jam A. MDCLXXI typis excusam meminit. Complectebatur vero prior hæc editio quatuor saltim N. Test. Evangelia; quibus demum A. LXXXVII superioris seculi, cum nova excuderetur IV istorum Evangeliorum editio, additi sunt reliqui Novi Testamenti libri, Quesnellii itidem notis moralibus illustrati; cujus tamen nomen nulla editio præfert. Postmodum pluribus vicibus recusum est integrum Quesnellii Testamentum Novum, adeo ut præter primam & alteram editionem, modo commemoratam, septem adhuc, teste Jenichio, prostent editiones, quas inter quædam hunc præfixum habent titulum: *Compendium doctrinæ moralis Evangelii, Actuum Apostolorum, Epistolarum D. Pauli, Epistolarum Canonicarum & Apocalypseos*, seu *Cogitationes Christianæ super textibus librorum N. T.* Prodierunt hæ editiones omnes sub Vialarti, Harlæi, Noallii, Ursæi, Bossueti, Archi-Episcoporum & Episcoporum Galliæ, nec non sub ipsius Sorbonæ publica approbatione, cui etiam privilegium Regis Christianissimi accessit. Quæ tamen omnia non obstitere, quo minus Testamentum Novum Quesnellii, per plures quam XL annos sine scandalo & offensione lectum, nunc demum tanquam hæreseos pestiferæ plenum a Judice contro-

versiarum Romano damnatum fuerit decreto solenniori. His observatis, de Autore Notarum moralium in Testamentum illud damnatarum, *Paschasio Quesnellio*, Oratorii Berulliani & Diœceseos Parisiensis quondam Presbytero, varia singularia annotat, utpote quem senem nunc octogenarium, & laica indutum veste, Amstelodami, velut in asylo tutiori commorari refert Nomen senis hujus perdocti & variam vitæ fortunam experti orbi literario dudum innotuit ex *Dissertationibus* ejusdem *Ecclesiasticis*, quibus *Leonis M. Opera* a se olim edita illustravit. Præter has dissertationes librum etiam *de traditione Ecclesiæ Romanæ* edidit; ac immo multum operæ quoque contulisse fertur ad *Historiam congregationum de auxiliis gratiæ divinæ* ab Augustino le Blanc editam. Demum vero autor quoque extitit *Notarum Moralium in Novum Testamentum* Bullæ Pontificiæ nuperæ fulmine percussarum, ceu id quidem Quesnellius in epistola sua ad Clementem XI P. R. A. MDCCXII scripta non dissimulat. Scriptis his Quesnellii enarratis ad fata ejus singularia Autor noster transit. Usus vero esse dicitur Quesnellius, per plures olim annos, convictu & familiaritate Antonii Arnaldi, post cujus mortem velut alterum Jansenianorum caput ac defensor præcipuus cultus fuit. Effecit res illa, ut A. MDCCIII Quesnellius Bruxellis, quorsum se variis Anti-Jansenianorum telis petitus e Gallia receperat, in captivitatem detrusus & in curia Ecclesiastica Mechliniensi variis e capitibus accusatus fuerit. Postquam vero sub finem anni MDCCIII carcere noctu effracto, se hostibus iterum surripuisset, & in Belgium inde fœderatum aufugisset, jam die XIII Febr. A. MDCCIV doctrina Quesnellii, velut errorum multorum, a Pontificibus summis dudum damnatorum, farrago, in curia Ecclesiastica Mechlinensi proscripta, & ipse demum Quesnellius die X Nov. ejusdem anni, velut Bajismi & Jansenismi reus & excommunicationem commeritus, damnatus fuit. Capita accusationis contra Quesnellium institutæ præcipua enarrantur in *Motivo Juris* pro Procuratore Curiæ Ecclesiasticæ Mechlinensis A. MDCCIV Bruxellis edito. Cui vero libro Quesnellius alium, eumque apologeticum, sub *ideæ universalis motivi juris* A. MDCCV opposuit, in quo falsa plurima

ma sibi imputari Quesnellius queritur. Post hæc fata novo consilio novoque ausu lacessitus fuit Quesnellius exul a Societatis Jesu Patribus versutissimis, qui A. M DCC X Jo. Franciscum & Stephanum, illum Lucionensem, hunc Rupellensem, Episcopos eo suasionibus & technis suis pellexisse dicuntur, ut hi sub nominibus suis & sigillorum suorum autoritate prodire permitterent *Mandatum* quoddam *Episcopale*, instructioni cuidam Pastorali præfixum, quo lectio Novi Testamenti P. Quesnellii partim severius interdicebatur, partim ipse Quesnellius Bajismi & Jansenismi publice postulabatur. Fomes & causa fuit Mandatum hocce Episcopale, quod die XV Jun. & M DCC X publicatum fuit, motuum istorum omnium, quibus in partes scissa fuit nupera Congregatio Cleri Gallicani; tametsi id quoque eventus comprobaverit, quod motibus istis, a P. Tellierio, Regi Galliarum hodie a confessionibus, & Jesuitarum coryphæo, primum concitatis, non tam Quesnellius, dudum ex Gallia exul, quam Noallius, Cardinalis & Archi-Episcopus hodie Parisiensis, petitus fuerit. Promulgari nimirum jusserant Episcopi, Lucinensis & Rupellensis, prædictum mandatum suum, a Jesuitis fabricatum, non in suis saltim, ut par erat, diœcesibus, sed id etiam Lutetiis Parisiorum ad compita Ecclesiæ Metropolitanæ & in valvis palatii Archi-Episcopalis affigi curaverant, contra jus & consuetudinem, per duos ex fratribus suis nepotes qui in Seminario S. Sulpicii, quod Lutetiis est, studiis tunc operam dabant, & mandatum istud patruorum suorum palam disseminabant. Mira & inusitata res habebatur omnibus, quod mandatum Episcoporum Lucionensis & Rupellensis in aliena & ad ipsos nullo modo spectante diœcesi affixum deprehenderetur, contra canones Ecclesiasticos & jura Episcoporum. Proinde Noallius, qui Patrum Societatis Jesu odium & indignationem jam antea incurrerat per duorum librorum, a Jesuitis disseminatorum, proscriptionem, id consilii capiebat, ut nepotes istos duos confestim e Seminario S. Sulpicii ejiceret, qui vero, antequam abibant, rem omnem prius ad Tellierium, velut facti omnis autorem, referebant. Docuit id etiam plenius intercepta paulo post *Abbatis Bochardi* ad Episcopum Claromontanum *Epistola*, quod P.

 Tellie-

Tellierius, cum Societate sua, non solum autor, fax & tuba esset motuum omnium, contra Noallium in causa Quesnelliana hucusque suscitatorum; sed quod etiam *Instructio* illa *Pastoralis*, quæ cum mandato Episcoporum Lucionensis & Rupellensis in lucem emittebatur, non Episcopos hosce, sed ipsos Patres Societatis Jesu autores & parentes agnosceret. Hæc dum Parisiis gerebantur, eodem tempore in lucem prodibat *Mandatum Episcopi Gapensis*, quo lectio Novi Testamenti P. Quesnellii, gravi censura notati, Parochis æque ac Laicis omnibus diœceseos Gapensis interdicebatur; quod vero mandatum pariter pro Jesuitarum fœtu habitum est ab aliis. Permovebant hi motus omnes demum Noallium, non tam Quesnellium, quam seipsum peti mandatis trium istorum Episcoporum, intelligentem, ut triennio abhinc, die III Maji A. MDCCXI novum publicaret mandatum in diœcesi sua, qua lectionem mandatorum & instructionis Pastoralis Episcoporum illorum trium quam severissime prohibebat. Applausum reportabat hoc Noallii mandatum penes viros Ecclesiasticos non minus ac Seculares fere communem, nisi quod Jesuitarum Societas novo odio novaque indignatione commota rem omnem demum per literas Regis Christianissimi, Tellierii artibus & consilio impetratas, ad Pontificem Rom. Clementem XI deferret, qui post multas deliberationes in pluribus congregationibus sancti, ut vocatur, Officii A. MDCCXII & XIII Romæ institutas, demum die VIII Sept. A. MDCCXIII *Constitutionem* illam *Apostolicam* solemni Bulla promulgavit, de cujus receptione & acceptatione tanta cum animorum contentione actum fuit in *Congregatione Cleri Gallicani*, autoritate Regis Christianissimi die XVI Oct. anni superioris in palatio Noallii Archi-Episcopali, quod Parisiis est, inchoata, & sub finem Febr. hujus anni Regis jussu iterum dimissa. Hac origine motuum contra P. Quesnellii Novum Testamentum suscitatorum detecta, jam ad enarrationem & examen ipsius Constitutionis Pontificiæ se Cl. Jenichius noster accingit, quam ad quinque in universum capita revocat. Primo loco titulum & inscriptionem Constitutionis Papalis, contra Novum Testamentum Quesnellii emissæ, expendit. Deinceps exordium ejusdem

dem breviter enarrat. Tum ipsas propositiones CI. damnatas ad X classes revocat, easdemque hunc in modum excutit, ut in aliis ad Bajismum & Jansenismum, in aliis ad Lutheranismum & Calvinismum deflectere Quesnellium, sententiis diligenter collatis ostendat; nonnunquam vero ipsa Spiritus S. aut verba aut dogmata a Papa, fallibili nunc facto controversiarum judice, damnata demonstret. Quarto loco sanctionem Bullæ Papalis discutit. Et quinto demum loco conclusionem & subscriptionem ejus summatim recenset. Subjicit porro Autor seriem scriptorum occasione Bullæ Anti-Quesnellianæ huc usque editorum, quorum XX sunt numero; & simul continuationem historiæ & examinis Bullæ ejusdem promittit, in qua inter cetera Instructionem Pastoralem Congregationis Cleri Galliani cum Bulla Clementis nuper emissam, tum Epistolam Pastoralem Cardinalis Noallii illi oppositam, Latine redditas & notis illustratas, juxta cum aliis documentis, ad momentum controversiæ hujus spectantibus, est exhibiturus.

ANIMADVERSIONES IN JOACHIMI HOPPII EXAmen Institutionum Juris.

Lipsiæ, apud Joh. Frid. Braunium, 1715, 12.
Plag. $9\frac{1}{2}$.

COnsultiss. Autor, qui nomen suum latere voluit, ex Hoppii Examine Institutionum ultra trecentas theses selegit, quibus singulis antitheses ex sua sententia veriores subjunxit. In his non solum Hoppii, sed frequenter etiam communes JCtorum sententias ab Hoppio approbatas expendit & refutat. Sæpe etiam ipsum Jus civile & canonicum naturæ & moribus Germaniæ adversari, adeoque his casibus non esse sequendum contendit. Speciminis loco ex singulis libris Institutionum animadversionem unicam exhibemus. Ad titulum libri primi de nuptiis asseritur, jus canonicum, quando matrimonium errore circa statum vel conditionem commisso vitiari statuit, vix sibi constare, quia status & conditio pertinent ad bona fortunæ, ob quæ matrimo- p. 25.

nium

nium diſſolvendum eſſe ipſi canones negant. Multos caſus emergere poſſe, quibus iniquitas eorum, quæ jure canonico de errore circa ſtatum vel conditionem commiſſo generaliter conſtituta ſunt, manifeſte in oculos incurrit. Ut ſi fingatur, conjuges diſcrimine conditionis propius a ſe mutuo abeſſe, ſi exempli gratia maritus ſervus ſit, uxor vero libera quidem, ſed mendica, inprimis ſi ille non doloſe egerit, ſed mulier credens, quod eſſet liber, nuptias illius ipſa expetierit, & conſenſum impetraverit. Hoc enim caſu nullam prorſus rationem eſſe, cur error & culpa mulieris non huic potius noceat, quam viro, qui bona fide & innocua voluntate eam duxit. Non tamen Autor aſſerere vult, nunquam ob errorem in conditione matrimonium dirimi poſſe:
p. 64 ſqq. ſed relinquendum hoc eſſe exiſtimat arbitrio ſapientis judicis. Ad titulum libri ſecundi de rerum diviſione oſtendit, modos acquirendi per acceſſionem a jure Romano conſtitutos multum iniqui habere: cujus rei complura exempla adducit. Regula vero generalis, quæ naturæ dictamine & moribus noſtris, quamvis hoc juris civilis ſubtilitas multis locis infecerit, in his controverſiis locum habere ipſi videtur, hæc eſt: ut ille concedat alteri, qui id facere minima læſione poteſt. Ex hoc principio regulas alias ſpecialiores deduci, vix tamen omnes caſus ſub his comprehendi poſſe: ſed interdum rem arbitrio judicis
145. eſſe reliquendam. Ad titulum libri tertii, quibus modis re contrahitur obligatio, ubi de reſtitutione pecuniæ mutuo acceptæ in eadem forma & materia agitur, Autor notat, debitores, dum jus canonicum in hac quæſtione ſequimur, ſæpiſſime non parum lædi. Jus Canonicum quidem per ſe hac in re non iniquum eſſe, quia ſecundum illud omnes uſuræ ſunt vetitæ, adeoque creditor, ſi numos in ciſta retinuiſſet, poſſet jam illos majori pretio expendere. Non itaque ipſi debere beneficium collatum damno eſſe. At cum quis uſuras accipit, ex ſententia Autoris noſtri non debet id lucrum captare, quod habiturus erat, ſi ſpecies mutuo datas ſervaſſet, ſimulque illud, quod tum nullo modo habiturus erat. Atque uti, ſi pecunia mutuo data levior fuit, non reddi debet æſtimatio ejus, quæ nunc eſt, ita nec ſi melior fuit. Si exempli gratia mutuo dati

fuerint

fuerint mille thaleri in Saxonia eo tempore, quo moneta thalerorum, in quibus angelus telamo scutum Electorale tenet, vel minuta moneta sex paningorum nondum erat devalvata: nunc non tenetur creditor accipere tertiam partem, ad quam species illæ postea fuerunt reductæ. Contrariorum vero eadem est ratio. Cautelæ loco affertur, si non expresse conventum, restitutionem in moneta majore esse faciendam, ut debitor grossos, qui tempore contractus initi valuerunt, & quorum interdum sufficiens copia nullo vel exiguo lagio haberi potest, conquirat, & his restitutionem faciat: id enim a creditore recusari non posse, cum eorum viginti quatuor tempore initi contractus valuerint thalerum. Ita usum fori, quo triginta duo grossi requiruntur, eludi posse. Ad titulum libri quarti de publicis judiciis iniquitas eorum, quæ leges Romanæ de raptu constituerunt, notatur. Secundum has enim raptor, quamvis mulier dolo persuasa in raptum faciendum consenserit, ultimo supplicio afficitur. Cum vero, muliere sola in alium locum stupri gratia se conferente, tantummodo pœna carceris in dies quatuordecim stupratori dictetur, durissimum videtur Autori, priori casu pœnam mortis irrogari; quia certissimum est, fœminam, postquam in raptum consensit, paratissimam esse, ut sola etiam eat. Ingentem esse inter hæc duo genera pœnæ differentiam, cumque cetera omnia sint eadem, solum actum comitandi in abducente tam graviter puniri. p. 220.

JOHANNIS GOTTLIEB BOETTICHERI, U.M. Doct. Hafn. Morborum Malignorum, inprimis Pestis & Pestilentiæ, brevis & genuina explicatio, sanis principiis & propriis Observationibus superstructa.

Hamburgi, impensis Viduæ Benj. Schilleri, 1713, 8.
Plag. 9.

SI, quod decet, omnes Medici ex suis, propriis videlicet, scriberent Observationibus, res Medica, circa morborum præcipue historiam atque curam majora indies sumeret

 incre-

incrementa, nec tantis incertitudinibus exposita maneret. At vero condonandum nobis est in hoc morbi summi genere, cui nec omnibus superesse, suaque observata communicare licet, nec cuivis placet, immo nec oportet suam suorumque fortunam atque vitam in ancipiti locare apud homines nostri ævi ingratiarum plenos. Nos ex Nostro, cui post mille pericula vita frui (licet, quod passim indigitare videtur, præmiis condignis non affecto) contigit, potiora delibabimus, quæ aliis, simili periculo expositis usui esse possunt. Pestilentiam primum in eo a Peste differre, statuit, quod illa major hujus gradus sit, quæ distinctio, paucis usitata, tolerari tamen potest, si pestem febrem pestilentialem, quæ, ut curiosiores Practici notant, pestem ipsam extra ejus terminos (qui sunt Mens. Jun. Jul. Aug. Sept. Octobr. Nov.
p. 14, 15, 16. & Decembris pars) tum antecedit, tum sequitur, intelligat. Pestis causam proximam in sanguinis turbatione & spirituum animalium ataxia consistere existimat, quæ producatur a particulis alcalicis, unde non coagulatio, sed fusio & effluxiones humorum, sanguinis præcipue, qui, ut ipse observavit, a venæsectione rutilus
18. cum impetu instar aquæ ferventis exsilit, contingant. Volatilia ex aromatibus & radicibus aromaticis, theriacalibus, & laxantibus, ceu in theriaca, simul mixta, & spiritu vini extracta, nullum commodum tulisse, quin potius mortem ipsam accelerasse, recte advertit. Theriacam & mithridatium in peste Hamburgensi olim nocuisse, a Majore in Chir. Infus. notatum refert; licet cum aceto acidisque aliis tum a Bartholino, tum ab aliis proficuus eo-
19. rum usus notatus fuerit. Fuisse pergit opinione satis claros, qui febre maligna conflictantibus volatilia propinarint, verum ægros, volatiles inde factos, in cœlum ex Medicorum ergastulis
34. avolasse. Lunæ in sublunaria non omnem prorsus effectum denegat, ultra ter centum enim mulieres abortum circa novi- & plenilunium esse passas: decrescente Luna sexui sequiori pestem stragem multo majorem intulisse, & primis tribus Mensibus Junii, Julii & Augusti maximam emortuorum partem e sexu fuisse sequiori: secundum Quercetani confessionem Luna decrescente senes & vetulas, plethoricos & juvenes circa plenilunium occubuisse: Diemerbrokium & Paræum notasse, haud aufugisse

fugiſſe virus, quæ veneri litarint, quin potius cymba Charontis ad Elyſios deductas fuiſſe campos, & e ſua obſervatione cives 35.
Hafnienſes, qui ſuo ſuaſu uxoribus per omne peſtis tempus debitum renuerint conjugale, adhuc dum ſoſpites & incolumes eſſe
pleroſque. Hypochondriacos, natura ſua meticuloſos licet, ab 36.
infectione tamen liberos & ſalvos manſiſſe: alios bilioſos &
ſanguineos ſolo terrore & metu peſte tactos; quæ multis poſtea 37.
exemplis confirmat, quibus, conſtat pleroſque mortuos, non 41.
paucos tamen evaſiſſe. Sine miaſmatis peſtiferi præſentia metum & imaginationem non nocere ſtatuit. Porro quid tempe- 42.
ſtas valeat in augendo miaſmate, edocet, & aerem Septentrio- 43.
nalium ſalinum maxime efferare contagium, & labe ſcorbutica tactos omnes horrenda ſymptomata expertos: quid aer tepidus & humidus auſtrinus, ex Sydenhamio, quod poſt hiemem ſiccam, ver vero pluvioſum & auſtrale æſtate febres acutæ ſequantur, & Hippocrate, quod poſt tempora mutata & totum annum calidum humidumque peſtilentia ſequatur, ex eodem & Galeno, ex aliis, quod exſpirationibus putridis contaminatus aer peſtilens evadat, notat, ex Plempio vero docet, aerem magis levem, quam craſſum & nebuloſum ad peſtilentiam conferre, hinc ſecundum obſervatores Julio & Auguſto morbi ſtatum eſſe. Ipſe hoc tempore in fine nempe æſtatis ob exhauſtas calore vires corpora ad ſuſcipienda miaſmata peſtifera aptiora ſtatuit. Auſtrina tempeſtate anni 1712 & quidem menſe Junio febribus catarrhalibus omnes fere incolas Hafnienſes correptos, cum tum peſtis Holſatiam affligeret: interdum hyeme cœpiſſe peſtem, quæ æ-
ſtate media vel autumno ſoluta iterum ſit, dicit. Amſtelodamum 44.
ante 45 circiter annos peſte infectum eſſe navibus duabus Smyr-
na peſte tum infecta advenientibus, quæ tamen duorum menſi- 47.
um ſpatio per mare iverint, notat occaſione quæſtionis: quomodo & quamdiu contagium hærere innoxie queat? quod Sennertus recte per 24 dierum ſpatium deliteſcere poſſe dixerit; & ex
Trincavellio obſervat, quod in funibus ſepulcralibus per 30 an- 48.
nos delituerit, ex Diemerbrokio vero, virum nobilem ab obitu ſororis per tres menſes circumtuliſſe contagium. Ipſe exemplum deliteſcentis diu contagii producit, & de ſe ipſo notat, veſti-

veſtimenta ſua, quibus per 6 menſes ægrotos viſitarit, fomite peſtifero ſcatentia filiolam ſuam unicam, cum menſe Sept. ea cum capillitio apportare niteretur, infeciſſe, ut quarto inde die vitam
49. cum morte commutarit, quæ ipſe tamdiu innoxie geſtarat. Pro naturarum diverſitate ſymptomata variaſſe: morbos familiares, paſſiones hyſtericas, colicam, ſtranguriam, dyſuriam, nephritidem, aſthma hoc tempore non conquieviſſe, ſed cum peſte ipſa atrociter exacerbata fuiſſe: omnes phthiſicos menſe Sept. & Octobri peſte correptos malo veteri & novo i. e. utrisque ſuc-
50. cubuiſſe. Ibidem ſigna peſtis imminentis ex Autoribus recenſet. Hyeme ante invadentem peſtem in febre acuta exanthemata comparuiſſe miliaria per totum corpus cum anxietate præcordiorum, cephalalgia inſigni & ceteris mali moris ſymptomati-
54, 55. bus. Tum ſymptomata peſtis Hafnienſis enarrat: cauſam eſſe determinatam, & determinate non in quosvis, & quævis bruta, immo nationes & ſpecies etiam & individua ſecundum ætatem
57. & ſexum, ſed in ſubjecta diſpoſita agere recte monet. Sequi-
70, 71. tur graphica & exacta ſymptomatum, (quæ pag. 4 rudius enar-
72, 73. rarat) qualis adhuedum nuspiam alibi proſtat, delineatio, ubi
74. præcipue notabile, quod cum horrore hora ſexta veſpertina po-
75, 76 ſqq. tiſſimum adoriatur. Tum ſymptomatum rationes dat, ubi more Carteſianorum multus eſt de æthere, poris & particulis,
90. & prognoſin tradit, ubi de vomitu notat, quod, quibus viridis ad quintum diem perdurarit, iſti in diarrhœam ſexto die maxime fœtidam inciderint, aut ſingultu vexati (quem tamen lethalem in antecedentibus notarat) fuerint, qui autem materiam atram
96. vomitu ejecerint, omnes periiſſe. Tandem curam qua præſervatoriam qua curatoriam aggreditur: laudat acida & de V.S. memorat, nullum evaſiſſe, cui peractis jam duodecim horis V.S. adminiſtrata, multos vero, quibus ſanguis, ubi neceſſe, ante
115, 116. decem horarum ſpatium detractus fuerit. Vomitoria (quæ in ſpasmum deſinant, nec tenue & ſubtile fixis figendum, aut diaphoreticis eliminandum, miaſma expellere valeant) rejicit, etiam principio morbi adhibita; & ſane adeo brevis & præceps eſt in hoc morbo occaſio, ut diu huic evacuationi immorari con-
119. ſultum non videatur. Alexipharmaca & ſudorifera ſuadet, ni-

minum

mium tamen sudorem non probat, maxime volatilibus extortum. In ariditate sudorisque defectu plantis pedum lateres calidos, aut inguinibus axillisque vesicam suillam aqua calente repletam applicat. p. 122.
Acida blanda cum & post sudorifera exhibet, & curiose notat, ea Julio, Aug. & Sept. præcipuo fuisse auxilio, 124.
postea Oct. Nov. & Decembri non adeo tuta priore ac plena dosi, sed minore exhibenda fuisse, & cum granis aliquot camphoræ vel salis succini volat. commiscenda. Sic & Junio, Julio & Augusto certis subjectis bezoard. min. optimum tulisse levamen, at sequenti tempore vomitum & anxietates præcordiorum sine ullo alio bono movisse successu. Circa vesicatoriorum usum distinguit. Fonticulos reprobat præservatorios. 125.
Hinc suam speciatim methodum recenset, quæ post V. Snem in fixiorum 126.
adhibitione consistit, quibus postea decoctum calidum Thee aut aliud alexipharmaca vi tinctum superbibere jussit. Octobri, Nov. & Dec. advertit, dolores vagos arthriticis similes per totum corpus atrocissimos sensisse ægros, quibus antispasmodica, ut specif. ceph. *Michaelis*, vel pulverem epil. *Ludovici* cum alexipharmacis opposuerit. Ad extremum bubonum & carbun- 137.
culorum curationem subnectit, quos scite & experte solis diaphoreticis, demptis cantharidibus, ranunculo acri, emplastro magn. cucurbitulis, ad tumorem perduxit, cujus maturationem emollientibus & nonnullis antidotis promovit. Laudat ideo cataplasma e radice altheæ, liliorum alborum, floribus chamaemeli, farina fœnu græci, semine lini, & ficubus cum lacte & croco paratum. Item sequens e radice scabiosæ, bulbis liliorum alborum, radice valerianæ, aut cepas coctas sub cineribus cum vitello ovorum & oleo liliorum imponi jussit. Ante pepasmum & perfectam maturationem cum Minderero aperire bubones dissuadet; educto pure ulcus balsamo sulphuris, unguento basiliconis, succo plantaginis, melle, terebinthina veneta & aloe mundat. Quosdam bubonibus bufones vivos bono successu applicasse refert, bufonibus veneno turgidis mortuis. Carbuncu- 139.
los circulo ducto butyro antimonii festinanter separari curavit, vel & scarificari, & cum exciderunt, cavernis mundificantibus sarcoticisque bene prospexit. Ceterum observatu dignum,

quod notat, tempore tonitruali mitiorem factam fuisse pestem, quod humiditati aeris, feritatem & acutiem morbosi contagii obtundenti, tribuit.

CHRISTOPHORI CELLARII EPISTOLÆ selectiores & Præfationes. Collegit JO. GEORGIUS WALCHIUS, qui & copiosiorem Diatriben de Dedicationibus librorum veterum Latinorum præmisit.

Lipsiæ, sumt. Jo. Lud. Gleditschii & M. G. Weidmanni, 1714, 8. Alph. 1 plag. 5½.

NOn ingratum erit purioris Latinæ linguæ cultoribus, quod Cl. Editor has celeberrimi Cellarii epistolas selectiores collegerit: cui Dissertationes quoque academicas, item Orationes Cellarii, uno fasciculo junctas, debemus. Præmisit copiosiorem diatriben *de Dedicationibus librorum veterum Romanorum*, qua argumentum hoc, ab aliis non satis illuminatum explicatumque, pluribus persecutus fuit. Primo capite de antiquitatibus rei literariæ veterum Romanorum differit, quo singula rei hujus momenta attingit & opere justiori interpretari ea pollicetur. Ibi disputabit de literaturæ veteris Latii origine, auctibus, quibus gliscente bello Punico secundo altius fuit evecta; partibus, quas amplexa est, disciplina quippe sacra, forensi, medica & philosophiæ alimentis, quæ sunt libri & bibliothecæ; cultura, gymnasiis & magistris literarum; peregrinatione literaria, de modo literas ad usum publicum transferendi, privilegiis literatorum, cetera. In antiquitatibus librorum multa collegit, de Romanorum quippe literis, charta, scribendi instrumento, atramento; librorum titulis, præfationibus, dedicationibus, partibus, indicibus, ornamentis, imaginibus & aliis fatis, quæ libris sæpe impenderunt. Hac diatribe multa dat de *Dedicationibus*; ac capite II agit de illarum origine atque ætate, quam ex Græcia derivat, in qua id quoque moris fuit; de Catone vero monet, quod hic quoque, scriptor antiquissimus, monimenta quædam dicaverit filio suo. Cap. III, IV, V, VI differit de Patronis, amicis, liberis, mulieribus & filialibus, quibus consecraverunt

ve-

veteres Romani fœtus ingenii ſui; & cap. VII agit de eo, num Diis quoque ſacraverint monimenta literarum; item, quod veteres diverſas operis cujusdam partes diverſis quoque perſonis dicatas eſſe juſſerint; quod quidam plures libros ab eodem Autore dedicatos acceperint; quod dedicationes permutaverint; quot numero veteres nuncupaverint dedicationibus, & quæ reliqua ſunt. Cap. IIX de forma ipſarum dedicationum monet, alias eſſe copioſiores, alias breviores; illuſtrat quoque inſcriptiones, quas ipſis dedicationum epiſtolis præmittere moris fuit. Quod ad ea vero pertinet, quæ propoſuerunt dedicationibus, varii generis ea ſunt: laudarunt quippe illos, quos nuncupabant, quod etiam medio & extremo operis fiebat; extenuabant ſtudium & operam ingenii, quam autores præſtiterunt; attingebant occaſionem, quæ iis oblata fuerat de argumento quædam diſſerendi atque ingenii fœtum transferendi in uſum publicum; ipſis dedicationibus addebant præfationes & denique extremo libri ad eum, qui ſubierat nuncupationem, verba faciebant. Cap. IX de nuncupatione, quæ ſæpe loco integræ dedicationis fuit, & de dicendi formula, qua uſi ſunt in dedicationibus, diſputatur. Veterum dedicationum aliæ ſunt integræ epiſtolæ; aliæ ſpeciem epiſtolarum præ ſe habent; aliæ ſola fere conſtituuntur nuncupatione. Iſtum igitur, cui monimentum erat dicandum, allocuti ſunt modo operis principio; modo parte ejus media, modo extremo illius. Omnia momenta, quæ heic breviter attingimus, Autor verboſe illuſtravit; vindicavitque multas dedicationes; emendavit iſtas & quæ digna fuerunt ſubnotari, collegit ſingulari ſtudio. Cap. X de fine veterum dedicationum librorum; cap. XI de ornamentis librorum, quos obtulerunt; & cap. XII de præmiis, quæ de dedicationibus acceperunt, privato ſtudio ejus relinquimus, qui animum ſuum his antiquitatum literis mancipavit. Ipſæ epiſtolæ plenæ ſunt bonarum rerum, inprimis præclaræ & puræ latinitatis, qua Cellarii ingenium mire excelluit. Quod ad ordinem pertinet temporis, quo conſcriptæ ſunt, nullam rationem Editor habuit; nec diſtribuit eas ſecundum illos, ad quos datæ ſunt, ſed ordinavit, prout fortuna in manus ſuas traditæ fuerunt.

Meklenburgische Kirchen-Historie.

h. e.

HISTORIA ECCLESIASTICA MEGALOPOlitana, autore GEORGIO FRIDERICO STIEBERO, Sereniss. Ducissæ Megalopolitano-Gustroviensis Viduæ a Concionibus aulicis.

Gustroviæ, typis Jo. Lembken, 1714, 8.
Alph. 1.

præf. QUum ecclesiasticam tractus Megalopolitani historiam pauci attigerint, qui aliquam Germaniæ sacræ notitiam literis consignarunt, Autor Rever. ipsa Adami Bremensis, Helmoldi, Kranzii, Ditmari, Scriptorum Septentrionalium ab Erpoldo Lindenbrogio editorum & aliorum ex antiquioribus monumenta adiit, quibus ex recentioribus adjunguntur Lambecii Origines Hamburgenses, Crameri historia Eccl. Pomeraniæ, & Frid. Thomæ Analecta Gustroviensia. Accedunt pauca quædam MSS. ab amicis communicata, ex quibus hanc historiæ seriem deducere Noster annisus est.

§. 1. Partes complectitur quinque, quarum *prima* de laboris
2. hujus usu quædam præfata istarum terrarum populos describit, qui generali voce *Slavi* vel *Wendi* audiebant, pro situs autem diversitate Werli, Wagrii, Polabi, Cissini, Varini &c. vocabantur. Quæ singula, quia ad dignoscenda rerum momenta spe-
3. ctant, accurate Noster persequitur. Isti populi, quum idolo-
4. latriæ essent dediti (de quorum idolis alibi memorabimus) & du-
5. ro præterea vitæ generi adsueti, facile exinde quis conjicere
6. potest non facilem ipsorum fuisse conversionem, præcipue quum accesserint impedimenta varia, ut sunt, perversi Christianorum mores, Saxoniæ Ducum & Brandenburgensium Marchionum avaritia, & ipsorum quoque verbi divini ministro-
7. rum negligentia. Qua occasione Arnoldus quoque refutatur, qui tradit, illos, qui gentes ad veram regionem perduxerunt, suis potius commodis & gloriæ, quam honori divino litasse: quos Noster, si non in omnibus puri fuerunt & perfecti, excusandos tamen potius, quam inculpandos esse judicat.

Pars

Pars *secunda* recenset initia conversionis Seculo IX, ubi primo Caroli M. conatus laudantur, qui varios Episcopatus in vicinia fundavit, præcipue Hamburgensem, sed eam Ecclesiam & civitatem Wilsi a. 808 biennio postquam condita esset, devastarunt. Ludovicus Pius Corbeiense monasterium, & Hamburgensem Archi-Episcopatum condidit, ubi Anscharius partes suas agebat strenue. Sed post ipsius obitum Normanni Hamburgum secunda & tertia vice desolarunt, & vicinas quoque gentes, christianas præcipue, continuis bellis infestarunt. Parum ergo, aut nihil fere, huc usque profecerant Christianorum in Venedis convertendis studia. §. 1. 2. 3.

Pars *tertia*. Seculo X ineunte Dani cum Slavis Nordalbingos subjugant, & Hamburgensem urbem quartum dejiciunt. Henricus Auceps Venedos prælio vincit, inque ipsarum regione Saxones collocat, Wormonem vero Daniæ Regem tributarium sibi facit, adeo ut per ejus quoque regnum religio christiana divulgaretur. Eadem ratione Otto M. per Geronem Obotrites & Slavos subjugavit, Havelbergensem Episcopatum constituit, & Haraldo Rege devicto in Holsatia & Jutia veram religionem propagavit. Aldenburgi quoque in Wagria (quæ hodie Oldenburgum dicitur) alium Episcopatum erexit, quem Havelbergensis secutus est, imo Megalopolitanus quoque, sed tamen Obotritorum reguli huic cultui subinde adversabantur. §. 1. 2. 3.

Parte *quarta* pertractantur fata Evangelii Seculo XI, ubi Mistevoius, Venedorum regulus, a Saxoniæ Ducibus contemtui habitus, ingentem contra Christianos persecutionem excitavit, in qua duriter habiti Christiani, urbesque pariter & ecclesiarum bona diruta. Postea Godeschalcus, Missevoii nepos, inter Christianos primum educatus, post eorundem osor & persecutor, ad meliora se convertit, cujus exemplum plurimi Venedorum secuti sunt, adeo ut templa quædam exstruerentur, & Christiana religio non mediocria caperet incrementa. Ex Aldenburgensi quoque Episcopatu tres oriebantur, Aldenburgensis, Megalopolitanus & Ratzeburgensis. Sed nec hæc halcyonia diu durarunt, dum duræ Venedorum cervices suave Servatoris jugum abnuerunt. Hi enim Christianos acerbe admodum vexarunt, Hamburgum sexta vice igne cremarunt, Godeschalcum interemerunt, conjuges ipsius maxima injuria afficientes, §. 1. 2. 3.

 libe-

liberos vero a Regni successione excludentes. Sed ultimi fuere isti paganorum contra Christianismum insultus.

Seculo enim XII, quod parte *quinta* narratur, tandem aliquando abolita est pagana superstitio, regnumque Christi no-
§. 1. stri altiores apud Venedos radices egit. Ubi ex Kanzovii chronico Pomeraniæ MS. prolixe traditur, quanam methodo istis
2. temporibus in convertendis gentibus usi fuerint. Ipsa vero historia docet, quod sub Henrico, Zuentepolco, Suenone & Canuto regibus sensim succreverit vera Religio, præcipue vero in urbe Gustroviensi: cui rei novum Holsatiæ monasterium & Viceli-
3. ni, ejus Præpositi, opera plurimum contulerunt. Sub Pribislao I & Nicoloto regibus videbatur gentilismus caput erigere, sed prædicti Vicelini, monasterii Segebergensis, & urbis Lubecensis merita Christianam veritatem magis magisque amplificarunt. Exp io vero sacra contra Venedos a quibusdam su-
4. scepta parum ut nihil proficiebat. Porro restaurati quoque
5. sunt Episcopatus ante dicti, eisque Lubecensis additus est. Tandem Henrici Leonis opera ejecti sunt Venedi, eorumque loco Christiani urbes habitarunt, sicque tota Megalopolitanorum ora Christianam religionem amplexa est.

EXAMEN COROLLARII TERTII AD PROpositionem septimam Tractatus de Quadratura Circuli & Hyperbolæ per infinitas Parabolas & Hyperbolas geometrice exhibita a R. P. D. GUIDONE GRANDO, Magni Hetruriæ Ducis Theologo & Mathematico ac Philosophiæ Professore in Academia Pisana, in quo Corollario quantitatem ex infinitis nullitatibus componi, statuitur.

POsteaquam insignis Geometra P. Grandus in Prop. VII Elegantissimi Tractatus de Quadratura Circuli & Hyperbolæ aggregatum ex infinitis terminis geometrice proportionalibus sinui verso alicujus arcus æquari, accurate demonstravit, ex hac sua propositione sequentem elicuit consequentiam; Seriem scilicet infinitarum linearum signis + & − alternatim affectarum dimidiæ lineæ æqualem esse, vel, ut Autor ipse mentem suam explicat: *Eandem lineam infinities positam & infinities subtractam relinquere sui medietatem.* In novissima laudati tractatus editione in 4, post hoc Corallarium hanc instantiam asterisco signa-

TAB. I ad A. 1715. M. Ian. pag. 43.

Fig. 1.



Fig. 2.

gnatam, apposuit. „Aggregatum ex infinitis differentiis infi„nitarum linearum *bV* sive continue sive alterne sumptarum est „demum summa ex infinitis nullitatibus seu *o*, quomodo ergo „quantitatem notabilem aggreget? At repono, subdit, eam „infiniti vim agnoscendam, ut etiam, quod per se nullum est „multiplicando in aliquid commutet, sicuti finitam magnitudi„nem dividendo in nullam degenerare cogit, unde per infini„tam Dei creatoris potentiam omnia ex nihilo facta, omniaque „in nihilum redigi posse: neque adeo absurdum esse, quantita„tem aliquam, ut ita dicam, creari per infinitam multiplicatio„nem vel additionem ipsius nihili, aut quodvis quantum infini„ta divisione, aut subductione in nihilum redigi. In sequenti postea Scholio hanc responsionem ac Corollarium ipsum similitudine quadam illustrare atque adversus cujusdam Censoris Stricturas defendere conatur doctissimus Autor.

Etsi vero tum ex hoc libro de Quadratura Circuli, tum ex aliis præclaris speciminibus Autoris doctissimi ingenium plurimum suspicio, impetrare tamen a me non potui, ut prædicto Corollario assensum præberem, quanquam necessariam id Propositionis veræ sequelam esse videatur, quia semper nescio quis scrupulus animum pungebat, quo minus pro evidenti veritate id admitterem Inito vero examine connexionis Corollarii controversi cum sua Propositione ex qua deductum est, humani quid Autori alioqui perspicacissimo accidisse mihi vidisse visus sum. Et cum Cl. Grandum veritatis amantem sciam, non ægre ipsum laturum confido si erroris fontem tum ipsi tum aliis breviter hoc loco atque modeste aperuero, ad id vero Propositionem ipsam cum subjuncto Corollario tertio, de quo solo agitur, duobus præcedentibus tanquam veris nunc silentio prætermissis.

Super latus *KI* quadrati *KB* descripto semicirculo *KHI*, du- TAB. I.
catur ex puncto *I* quælibet recta *IHG* semicirculum in *H* rectam Fig. I.
vero *VK* in *G* secans, demissaque *HL* normali ad *KI*, si in recta *GN* diametro semicirouli *KI* æquidistante ac per punctum *G* ducta sumatur ubique *GD* æqualis sinui verso *IL* arcus *IH*, punctum *D* erit in quadam curva *IDS*, cujus ordinata *GD* etiam æquabitur omnibus differentiis alternis *Y1*, *23*, *45*, &c. infinitorum termino[illegible]m geometricæ progressionis *YG*, *1G*, *2G*, *3G*, *4G*, *5G*, &c. existentibus curvis *K1b*, *K2b*, *K3b*, *K4b*, *K5b*, &c. Parabolis pri-

mi, secundi, tertii, quarti, quinti, &c. gradus & sic in infinitum per omnes reliquos, quadrato *Vi* priori *KB* æquali inscriptis. Hæc est Propositio septima Cl. Grandi in Libro supra laudato de Quadratura Circuli & Hyperbolæ; ejus ingeniosa demonstratio breviter huc redit: Quod, quia ipsæ *YG*, *1G*, *2G*, &c. sunt in progressione geometrica, earum differentiæ etiam ut *Y1*, *12*, *23*, *34*, *45*, &c. futuræ sint continue proportionales, tum etiam earum termini alterne sumti *Y1*, *23*, *45*, &c. Hinc vi ejus secundæ propositionis est series infinita $Y1 + 12 + 23 + 34 +$ &c. ad seriem $Y1 + 23 + 45 +$ &c. Sicut $Y1 - 23$ ad $Y1 - 12$ quam posteriorem rationem ostendit æquari rationi IG^2 ad IK^2 seu *IG* ad *IH* aut *KI* ad *LI*, atque adeo, quia prior series $Y1, + 12 + 23 + 34 +$ &c. $= YG$ (nam hæc linea æquatur omnibus partibus simul sumtis quæ partes sunt omnes seriei hujus infinitæ termini) ideo etiam series $Y1 + 23 + 45 +$ &c. $= IL = GD$. Quod erat demonstrandum.

Cum ergo nulla habita ratione positionis puncti *G* in radio *KV* generaliter probatum sit, quod $IL = GD = Y1 + 23 + 45 +$ &c. vel quod idem est, $= YG - 1G + 2G - 3G + 4G - 5G +$ &c. si punctum *G* ponatur in *V* adeo ut linea *YG* cadat super rectam *bV*, erit etiam *VG* hoc casu $= bV - bV + bV - bV + bV - bV +$ &c. singulis *YG*, *1G*, *2G*, *3G*, *4G*, *5G*, abeuntibus in *bV*. Sequi ergo videtur ex Propositione Autoris, *Quod linea bV infinities posita & infinities subtracta sui medietatem relinquat*, ut habet toties jam nominatum Grandi Corollarium. Fateor quidem libenter consequentiam istam obiter inspectam ex propositione legitime deductam videri, adeo quidem ut, superaccedente plausu Mathematicorum illorum non vulgarium de quibus Cl. Grandus pag. 30 refert, ipsos Corollarii hujus novitate perculsos, atque in summam tam inauditæ inexspectatæque veritatis admirationem adductos fuisse, cum nihil huic stupendo paradoxo simile in tota Geometria se uspiam legisse testarentur, difficile fuerit Cl. Autori consequentiæ nævum animadvertere, qui tamen ultro in oculos ejus incurrisset, si indifferenti animo rem totam expendere voluisset; sed ostendendum est id atque ob oculos ponendum quod ejus perspicaciam fugisse videtur.

Galilæus olim per jocum, ut puto, probare conabatur ex eo quod Superficies in Cylindro Sphæræ circumscripto ubique æqualis

qualis oſtenditur ſuperficiei portionis Sphæræ æquealtæ, *Circumferentiam Circuli puncto æquari.* Jam ſi ex Cl. Grando quærerem, in quonam Galilæi ratiocinium deficere arbitretur? nullus dubito quin hanc reſponſionem reportaturus ſim: Lynceum Philoſophum in hoc errafſe, *quod ab uno genere magnitudinis tranſitum fecerit in concluſione ad aliud diverſumque genus.* Quod ab æqualitate duarum ſuperficierum rerumque adeo homogenearum argumentatus ſit ad æqualitatem rerum heterogenearum lineæ cum puncto. Nam etſi ſuperficies illæ cylindrica & portionis hemiſphærii ſemper æquales ſint quæcunque æqualis utriusque altitudo fuerit, non tamen ſequitur hanc æqualitatem adhuc ſubſiſtere poſſe aut debere cum communis utriusque altitudo eſt nulla ſeu *o*, adeo ut Cylindrus in Circulum, hemiſphærii vero portio in punctum abeant; quia cylindrus nullius altitudinis non eſt cylindrus & portio hemiſphærii altitudine deſtituta non eſt ſolidum, atque principium æqualitatis ſuperficierum duntaxat valet de Cylindrica & portionis æquialtæ ſphæræ. Non eſt quod dubitem Cl. Grandum ad hunc ferme ſenſum Galileani ratiocinii defectum detecturum. Huic jam ſimillimam reſponſionem ſuo corollario potuiſſet applicare. Nam ad probandam æqualitatem ſeriei infinitæ $Y1 + 23 + 45$ &c. cum ordinata *GD* vel ſinu [illegible]o *IL*, uſus eſt principio æqualitatis ſeriei $Y1 + 12 + 23 + 34 + 45 +$ &c. cum recta *YG*. Sed omnes termini hujus ſeriei infinitæ nequeunt *exhaurire* rectam *YG* niſi termini *YG*, *1G*, *2G*, *3G*, *4G* &c. ſint in progreſſione Geometrica *deſcendente* ita ut infiniteſimus terminus primo *YG* ſit inaſſignabilis, hoc enim ſolo caſu prædicta ſeries æquabit lineam *YG*. Pone jam *YG* ex hoc ſitu transferri ſuper *bV*, & quid hac transpoſitione fiet? Scilicet progreſſio geometrica deſcendens *YG*, *1G*, *2G*, *3G* &c. migrabit in progreſſionem terminorum æqualium *bV*, *bV*, *bV*, &c. illiusque differentiæ *Y1*, *12*, *23*, *34*, &c. abibunt in differentias hujus quæ omnes in punctum *b* contrahuntur, ac proinde juxta *Cl.* Grandium ſequeretur punctum *b*, (quod translata *YG* in *bV* continet omnes differentias *Y1*, *12*, *23*, *34*, *45*, &c.) æquari rectæ *YG*. Ergo ex eo quod Cl. Grandus a progreſſione infinita & deſcendente ſaltum fecit ad progreſſionem infinitam terminorum æqualium, ſcilicet ab una re ad aliam diverſæ naturæ, ideo perinde ac Galileus fecit concludere debuiſſet punctum

b toti lineæ *bV* æquale eſſe, ita ut, ſi hanc conſequentiam neget, ei etiam neceſſario negandum ſit ſeriem infinitam terminorum $Y1 + 23 + 45 +$ &c. puncto *b* applicatam, ſcilicet $bV - bV + bV - bV + bV - bV +$ &c. æquari ordinatæ *VG* quæ eſt ſemiſſis ipſius *VB*. Cum igitur nullum ſuperſit dubium, quin Cl. Autor noſter tanquam falſum atque illegitimum principium rejecturus ſic æqualitatem puncti ſeu termini *b* lineæ *bV* cum hac linea; ſic etiam Corollarium ſuum *quod linea infinities poſita & infinities ablata ſui ſemiſſem relinquat*, falſum eſſe agnoſcet atque ex vera Propoſitione male deductum, quod amore veritatis unice demonſtrare nunc placuit.

NOVA LITERARIA MATHEMATICA DE PERpetuo mobili, Longitudine Maris & Quadratura Circuli.

LIcet irrito per tot ſecula conatu Mathematicorum ingenia defatigaverint perpetuum mobile, longitudo maris & circuli quadratura, non tamen defuere anno proxime præterito, qui problematum hactenus deſperatorum ſolutionem giganteo auſu denuo aggreſſi ſunt. Perpetuum mobile conſtruxit *Orffreus*, Miſnicus, vir in arte Medica, quam profitetur, & in Chymia atque Mechanica verſatiſſimus; Longitudinem Maris inveniendi methodum excogitarunt *Dittonus* atque *Whiſtonus* Angli, eruditionis fama præſtantes; Circuli Quadraturam publicavit *Daniel Waeyvvel* Batavus, Orbi erudito hactenus ignotus. Præſtanda præſtitit Germanus; ingenio ſuo non prorſus indigna dedere Angli; infelix in demonſtrando fuit Batavus.

Perpetuum mobile, quod *Orffreus* noſter conſtruxit, viderunt hominum myriades, & rerum Mathematicarum atque Mechanicarum peritiſſimi admirati ſunt. Structura, quam inventor inventi præmium exſpectans ſtudioſe celat, ſimpliciſſima eſſe colligitur, quia nonniſi unica rota cum axe ſuo circumeunte conſtat. Diameter ejus quinque ulnas Lipſienſes non excedit, craſſities 6 digitos non ſuperat. Intervallo unius minuti horarii quinquaginta revolutiones abſolvuntur & rota libere pendula nec ulla motore externo ſenſibili impulſa obſtaculo remoto motum inchoat, eumque perenniter & æquabiliter admodum continuans pondus 60 immo 70 & amplius librarum ad aliquot orgyarum altitudinem attollere valet. Tam nobile inventum hactenus ſpectandum exhibuit inventor in pago quodam

Dreſch-

Dreschwitz/ non procul ab oppido *Ciza* sito; sed nunc locum mutare cogitur.

Sua de longitudine maris cogitata anno superiori in peculiari scripto Londini sermone patrio publicarunt *Whistonus* atque *Dittonus* sub titulo: *A nevv Method for discovering the Longitude both at Sea and Land*, in 8. Nimirum notum est, longitudinem maris seu meridianum, ad quem navis in mari pervenit, haberi, quamprimum hujus meridiani distantia a meridiano quodam alio notæ longitudinis innotescit. Quare cum experientia ipsos edocuerit, granatam majorem (quam bombam vulgo vocant) e mortario perpendiculariter ejaculatam ad 6440 pedum altitudinem ascendere & hinc in maxima elevatione ad 28 vel 30 milliaria Anglica videri; ad longitudinem maris inveniendam perquam commodum censent, si passim per mare naves in situ suo anchorarum ope firmentur & ipso mediæ noctis momento ex mortario in ipsis collocato quotidie bomba perpendiculariter ejaculetur. Quodsi ergo loca illa, unde bombæ ascendunt, in mappis hydrographicis notentur, ut a nautis ope pyxidis magneticæ explorata plaga reperiri possint, longitudo loci, ad quem navis pervenit, latere amplius nequit, quoniam ex hora, quæ est in navi per mare lata, differentia meridianorum horaria nota est. Sed non hoc unico modo, verum adhuc aliis eidem fundamento superstructis problema solvi posse docent. Ceterum quia *Dittonus* hanc methodum invenit primus, *Whistonus* postea cum ipso inventum ulterius perfecit; ille sub suo solo nomine alium adhuc de eodem tractatum prelo subjecit, qui propediem in publicum proditurus.

Denique *Daniel Waeyvvel* aliquot plagulas idiomate Batavo de quadratura circuli Amstelodami sub titulo: *Demonstratie vvegens de quadratura circuli* in 4 edidit. Rationem diametri ad peripheriam ut 1683 ad 5288 esse contendit. Singulari methodo se in his numeris investigandis usum profitetur, quam mysterii instar celat, cum ipsi sufficiat ostendisse, non aliam diametri ad peripheriam rationem esse posse quam 1683 ad 5288. Videamus, quomodo propositum suum exequatur. Circulo *ADBE* circumscribit quadratum *HXZI* alterumque *ADBE* inscribit. Assumit *CK* tantæ magnitudinis, ut peripheria *CTKO* sit diametro *DE* æqualis. Denique circa diametros *PK* TAB. I. Fig. 2.

&

& *ED* ellipsin *DPEK* & circa *PK* circulum *PLKG* describit. Ponit jam diametrum $AB = 2r$, peripheriam $DAEB = c$, diametrum $CK = s$, circumferentiam $GPLK = d$. Quare cum sit $CK : DE = PK : PGKL$; reperietur $d = 4r$, & hinc porro area circuli *PGKL* seu $\frac{1}{2} sd = 2rs = QPKV$. Similiter quia $CK : DE = AB : ADBE$; reperietur $c = 4rr : s$, & hinc ulterius area circuli $ADBE = 2r^3 : s$. Quoniam itaque ellipsis $PDKEP = z^2$ media proportionalis inter circulos circumscriptum *ADBE* & inscriptum *PGKL*; erit $Z^4 = \frac{1}{4} crds = 4r^4$, adeoque $z^2 = V\frac{1}{4} crds = 2r^2 = \square\, ADBE$. Manifestum quoque, lunulas ellipticas *PGKDP* & *PLKEB* esse rectangulis *APQH* & *KBIV* æquales, imo $AeDA = ACFA = AeDgPH$ & $DCPD = \Delta\, ADCA$ & circulum $COKT = \Delta CDK$. His conditionibus non alios numeros, quam suos satisfacere, sic ostendere conatur. Jubet *CK* assumi $s \pm a$ & inde eodem, quo ante, modo elicit $Z^2 = \frac{1}{2} V (crds \pm crad) = 2r^2$. Cum vero in calculo præcedente fuerit $z^2 = \frac{1}{2} V crds$; contradictionem involvere ipsi videtur, quod nunc sit $Z^2 = \frac{1}{2} V crds \pm \frac{1}{2} V crad$ (perperam enim $\frac{1}{2} V (crds \pm crad)$ & $\frac{1}{2} V crds \pm \frac{1}{2} V crd$ pro una eademque quantitate habet.) Enimvero quomodo hinc concludi possit, *CK* esse debere s, non vero $s \pm a$ nulla sane ratione apparet, quoniam valores indeterminati ad arbitrium assumi possent. Subjicit demonstrationem, quam vocat, in numeris, ponens $2r = 50$: unde ob rationem diametri ad peripheriam $1683 : 5288$ $CK = s = \frac{42075}{2644}$, $ADBE = \frac{1}{2} cr = \frac{3305000}{1683}$, $PGKL = \frac{1}{2} sd = \frac{2103750}{2644}$, tandemque $Z^2 = V\frac{1}{4} crds = 1250 = 2rr = 50.25$. Quodsi hoc demonstratio valet, eodem prorsus modo ostenditur, rationem diametri ad peripheriam esse ut numerum quemvis ad quemcunque alium. Ponamus enim eam esse $= 1:3$ & ut ante $AB = 50$, erit $ADBE = 1875$, $PGKL = \frac{2500}{3}$, tandemque prorsus ut ante $Z^2 = 1250$. Ponamus eandem rationem esse $= 1 : 100$, $AB = 50$, erit $ADBE = 62500$, $PGKL = \frac{100}{4}$, tandemque denuo ut ante $Z^2 = 1250$, & sic in infinitum.

Prostant Actorum Erud. Suppl. Tomi VI Sect. I & II.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno M DCC XV.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ ET cujuscunque generis Acta publica inter Reges Angliæ, & alios quosvis Imperatores, Reges, Pontifices, Principes vel communitates ab ineunte seculo duodecimo &c. ex autographis infra secretiores Archivorum Regiorum thesaurarias per multa secula reconditis, fideliter exscripta, in lucem missa de mandato Reginæ, accurante THOMA RYMER, ejusdem Reginæ Historiographo.

Tomus XII.

Londini, per A. & J. Churchill, 1711, fol.
Alph. 9.

OPeris augustissimi & scriptoribus, qui res Angliæ contexent imposterum, maximo usui futuri Tomus præsens rerum ab A. post Christum natum CIƆ CCCC LXXV usque ad CIƆ IƆI gestarum complectitur monimenta æque recondita nec minoris ad temporum illorum faciem pernoscendam momenti, quam cetera, quæ suis adhuc locis perlustravimus. Qua quidem de re ut plenius constet, historiæ Anglorum huc spectantis repræsentabimus particulam atque ostendemus, quantum vel confirmari vel illustrari illa possit, si cum tabulis istis diligentius conferatur. Sed quando attingere omnia haud licet brevitatem sectantibus, propositum nobis est, intra rerum cum Gallis & Scotis, domesticarumque limites cogere dicenda & reliquorum pervestigationem Lectorum diligentiæ relinquere.

Quod ad res Gallicas attinet, haud impune Warwickii, novis in Anglia rebus studentis, partes susceperat Ludovicus XI.

 Tanto

Tanto enim hinc facilius adduci ſe Eduardus IV patiebatur ab Duce Burgundiæ, ut ei ſe jungeret Galliæ interitum minanti, Ludovicoque bellum, una, ſi totius regni poſſeſſione cederet, conditione redimendum, denuntiaret. Nec diu moratus, maximo coacto exercitu, Caletum trajecit. Enimvero ut ſuis unius viribus nihil unquam tentandum putarat, ita parum tamen auxilii ſive Burgundus ſive, qui illi addictus cupiebat videri, Comes S. Pauli ferebat, quod alter novum ſibi hoſtem excitarat, alter nolebat quidquam ante conſilii capere, quam, qui ſucceſſus tantarum eſſet rerum futurus, cerneret. Quocirca difficile haud fuit Ludovico, neque perſuaſionibus blandiſſimis parcenti neque argento, potentisſimum hoſtem, ſine ſuarum rerum damno, domum ab ſe dimittere. Eduardus ingentem argenti ſummam, quam, partim illo ipſo tempore partim quotannis ſolvendam, offerebat Ludovicus, ſpemque matrimonii inter filiam ſuam & Carolum Delphinum ſanciti incertis belli prætulit eventibus ſeptemque adeo annorum inducias cum Gallis fecit. Cumque animadverteret, ſpem poſthac ponendam aſſerendi armis ſibi juris in provincias Galliæ, pactus ſimul eſt, ut controverſiæ illæ, intra triennium componendæ, arbitris permitterentur. Eæ partes ex Anglis Thomæ, Archi-Epiſcopo Cantuarienſi & Georgio, Duci Clarentiæ, ex Gallis Carolo, Archi-Epiſcopo Lugdunenſi & Joanni, Comiti Duneſiæ delatæ ſunt, ea lege, ut primo in Anglia, deinde & in Gallia deliberaturi de iis convenirent. Quorum ſententia ut rata eſſet, multa ingens ſancita, ſolvenda ei, qui illi obtemperaſſet, ab eo qui nollet illi morem gerere. Enimvero remanſerunt nihilominus controverſiæ: arbitri, cum præterlapſum prope triennium eſſet, necdum coierant, novumque inde triennium ei rei dicere oportuit. Quin etiam dum induciæ primo ad vitæ tempus & annum ultra, ac poſt ad integri ſeculi intervallum protraherentur, cautum eſt, ut ſi lites nec iſto triennio finiri poſſent, in aliud ſubinde atque aliud rejicerentur. Qua ratione viſi ſunt Angli ſenſim ſenſimque decedere jure, cui perſequendo tantum effuderant ſanguinis tantumque ſumtuum fecerant. Neque vero matrimonii ſpes eodem illo fœdere ſanciti Eduardum minus fefellit; ſubinde is urgere, ut filia Eliſabetha

tha in Galliam accerſeretur, Ludovicus de die id in diem differre contra, dum opportuniorem filio nuptam Margaretham, Maximiliani & Mariæ filiam, obtinuiſſet. Quam injuriam vel graviſſime ulturus fuiſſet Eduardus, niſi mors conſilia turbaſſet, quod factum A. CIↃ IↃ LXXXIII. Eduardi V regnum bimeſtre nihil rerum ad Galliam ſpectantium ſuppeditat; nec ſucceſſori Richardo III vix contra cives ſe biennium tuenti externa multum licuit reſpicere. Oratores eum ad Ludovicum ablegaſſe, ſed cum interea de cæde filiorum Eduardi IV fama percrebuiſſet, non eſſe admiſſos, ſcriptores tradunt. Nihilominus coiiſſe utrinque, qui de prorogatione induciarum, quibusdam ultro citroque illatis turbatarum injuriis, agerent, fidem hæc monimenta noſtra faciunt. Minus certe alienum ſe ab Richardo præbuit Carolus ſucceſſor Ludovici, veritus fortaſſe, ne Duci Britanniæ, in quo opprimendo laborabat, ſuppetias ille ferret. Nactus tamen occaſionem Henricum Comitem Richmondiæ ſuis ſibi beneficiis devinciendi, non dimittendam eam putavit, ſed inſidias Petri Landeſii in Britannia fugientem recepit ſuppeditavitque & naves & copias, quibus viam ſibi ad regnum Angliæ, deturbato Richardo, munire poſſet. Qui proinde, ſimul rerum potitus eſt, inducias primo annuas, deinde triennium duraturas cum Carolo iniit, cum ut gratum ei animum teſtaretur, tum ut res ſuas domi ſtabilire commodius poſſet. Interea deſiderium Britanniæ Franciſco II heredibusque eripiendæ magis magisq; prodidere Galli; cui ut obviam iret Henricus, legatos miſit, qui lites inter Carolum & Franciſcum ortas componerent. Sed promtum potius auxilium quam pacis conſilia ſibi ab Henrico pollicitus Franciſcus, eos vix auditos ab ſe dimiſit, quod intelligebat rebus ita ſuis parum conſultum iri: dum enim de pace ageretur occaſionem arrepturos Gallos eſſe omnem ſibi Britanniam ſubjiciendi. Henricus tamen, quanquam prudentiſſimus ceteroqui princeps, verba dari ſibi paſſus dirimendis diſſidiis operam conſtanter dedit, callidis, ut id faceret, precibus a Carolo adductus. Sed poſt prælium ad fanum S. Albini, cum jam non occulte ad opprimendam Britanniam graſſarentur Galli, fœdus cum Anna, filia Franciſci, pepigit contraque eos auxili-

 ium

tum ſe laturum recepit. Qui vero nihil inde magnopere deterriti ſunt, quo minus deſtinata exequerentur; quin etiam, cum longiores ſeſe ambages offerrent vim apertam adhibentibus, breviorem viam vota ſua explendi ingreſſi ſunt, ad matrimonium cum Carolo alliciendo Annam, utcunqne Maximiliano jam deſponſatam. Quod facientes tanto facilius Henricum fefellere, quod cum Margareta filia Maximiliani matrimonium ſanxerat Carolus, quæ & ineundi illius cauſa jamdiu in Gallia morabatur. Facile autem intelligitur, quam indigne juxta cum Maximiliano Henricus id tulerit, maxime, quod nulla remedia ei malo avertendo ſuffectura cerneret. Neque tamen plane inultam hanc ferre prædam Gallos paſſus eſt; coegit exercitum & Caletum transmiſit, ſed deſtitutus ab Maximiliano, vix Bononia obſeſſa, de pace, exemplum Eduardi IV ſecutus, cum Carolo egit. Sed non minoris eam, atque ille, dedit redimendam. Pactus enim ſibi eſt centum & viginti quinque millia ducatorum, Eduardo IV adhuc debita & ſexcenta & viginti millia pro ſumtibus in exercitum, quem in Britanniam transmiſerat impenſis, ea lege, ut quotannis primo die Maji viginti & primo Novembris totidem ſolverentur. Summa ea eſt ſeptingentorum quadraginta quinque millium ducatorum, quam quod repræſentatam, atque inſuper quotannis viginti quinque millia ducatorum oblata tradunt Verulamius & qui eum ſequuntur, veritati minime conſonum eſt. Neque verius illud, quod ſummæ annuatim ſolvendæ terminum præfixum eſſe nullum contendunt, rati tributi eam habuiſſe rationem, cum ſolvenda tantum eſſet, usque dum ſeptingenta illa quadraginta quinque millia ducatorum, de quibus diximus, Henricus accepiſſet. Ceterum ante, quam ſatis illi facere poſſet, extinctus eſt Carolus; ſed pactionem cum Henrico ratam habuit ſucceſſor Ludovicus XII, recepitque ſe ſoluturum quidquid adhuc nominis ſupereſſet.

Monimenta jam vel evincendis hisce vel illuſtrandis inſervientia potiora hæc ſunt: 1) Litteræ variæ Eduardi IV ad expeditionem Gallicam ſuſcipiendam ſpectantes p. 1 ſq. 2) *Appunctuamenta cum adverſario Franciæ pro abſtinentia Guerræ & exercitu retrahendo*, p. 14. 3) Litteræ Eduardi de *Querelis compro-*

promittendis, de pecuniis solvendis p. 15. 4) *Appunctuamenta de treugis per septennium duraturis* p. sq. it. *de amicitia cum consanguineo Franciæ & de matrimonio* p. 19. 5) *Exemplificatio literæ annui census* ab Ludovico XI solvendi p. 20. atque eum solutum reapse esse litteræ Eduardi *de acquietando* hinc inde fidem faciunt. 6) Confirmatio Eduardi *treugarum* ad vitæ terminum & annum ultra prolatarum p. 46. 7) Litteræ Eduardi *de termino, pro Querelis inter Angliæ & Franciæ Reges pendentibus per arbitros decidendis prolongando* p. 52, & prorogationis ejus termini confirmatio p. 63. 8) *Procuratorium* Ludovici XI *pro Episcopo Elvensi, Legato Franciæ*, cui ille inducias centum post mortem annos durataras ea conditione, ut quinquaginta illa millia ducatorum, quæ tum solvebantur, toto illo tempore solverentur, faciendi potestatem concedit p. 86. Huc spectant & litteræ Eduardi de *tractando cum Ambassiatore Franciæ super elongatione & extensione conventionum* p. 97, ut & *litera Episcopi Elvensis de annuo censu continuando* p. 101. 9) Litteræ Eduardi *de tractando super sponsalibus & filiæ regis dotatione in Francia* p. 89 & 135. 10) Litteræ Richardi III *de reformatione attemptatorum contra treugas Franciæ* p. 193, literæ ejusdem *de tractando cum commissariis Franciæ* p. 195. 11) Litteræ ejusdem *de credentia* ad Carolum VIII p. 221, & *de tractando* cum eodem p. 223. 12) Litteræ Caroli VIII de induciis triennium duraturis p. 281. 13) Litteræ Henrici VII, quibus *Christophoro Ursewickio*, *Thomæ Warde, & Stephano Fryon*, legatis, negotium dat, ut lites inter Gallos ac Britannos componant p. 347. 14) Litteræ ejusdem *de tractando cum Ducissa Britanniæ*, p. 348, huc spectat itidem *conventionum cum Ducissa Britanniæ ratificatio* p. 362. 15) *Conventiones Henrici cum Rege Romanorum super bello inferendo contra Carolum Franciæ* p. 397 & 405 sq. Præter Maximilianum cum Ferdinando quoque, Hispaniæ Rege, convenerat Henrico, ut Gallos aggrederetur. Ejus rei tabulæ sunt p. 411 sq. Ferdinandus Ruscinonis comitatu, quem tenebant Galli, recepto, pactione ea se liberum solutumque putabat. 16) Inter media monimenta ad bellum Henrici cum Gallis spectantia inseruntur litteræ Henrici *de potestatibus ad tractandum cum sanguineo* Franciæ datæ lega-

 tis

tis, *Richardo Episcopo Bathoniensi & Wellensi*, Ægidio d' Aubeney atque aliis. Patet inde, quam serio rem regerit Henricus, cum bellum illud susciperet. 17) *The requests and Supplications of the Capitaynes of Englande made unto King Henry the Seventh for a peace to be concluded betvveen France and England.* Supra has litteras, quibus pacem Anglorum primores ab Henrico petunt, uti eam non sua unius voluntate fecisse videretur, verba leguntur: „Super communicatis & oblatis per Dominum des Querdes Marescallum & alios Ambassiatores ex parte Franciæ, „concilio Guerræ convocato, habita matura deliberatione, hyeme jam instante, & post tot elapsos dies nemine confœderatorum comparente ac aliis bonis considerationibus bene multis „moventibus, nec non contemplatione tot millionum auri Scutorum, summæ tantæ, quantæ nunquam perantea in Angliam „apportatæ, a Dominis Capitaneis & consiliariis consultum advisatum & supplicatum est Regi ad componendum cum consanguineo Franciæ & pacem faciendum. „ 18) *Caroli Franciæ confirmatio* tractatus cum Henrico p. 497, *juramentum ejusdem* de eodem servando p. 505 & *confirmatio super obligatione Domini* de Querdis p. 506, confirmatio item trium regni statuum per omnes provincias, p. 592 & sqq. passim. Notatu hic cumprimis dignum est *Instrumentum avtentiquum super obligatione Regis Charoli Franciæ facta sub pœna* Nisi, *coram Vicario Generali Archi-Episcopi Turonensis Johanne Brete*, qui monet & injungit Carolo, ut solvat quotannis *summam quinquaginta millium Francorum, donec & quousque summa septingentarum & quadraginta quinque millium coronarum auri plene & integre persoluta & contenta fuerit; & hoc sub pœna excommunicationis.* 19) Litteræ Henrici *de conventionibus cum nuper Carolo appunctuatis cum Ludovico, Principe moderno, renovandis*, & alia huc spectantia p. 681 sq. inter quæ simile est instrumentum, ubi Johannes, Episcopus Parisiensis sententiam excommunicationis fert in Ludovicum XII, nisi ille residuam summam, de qua cum Carolo VIII convenerat, penderet, p. 683, uti & confirmatio pacis per Alexandrum Papam p. 736.

Ad res cum Scotis gestas pergimus. Scotia Jacobo III Rege suis

ſuis ipſa motibus quaſſata non ita multum Anglis turbarum dedit. Equidem Henrico VI & Eduardo IV de regno concertantibus irruptionem Scoti in Angliam, late omnia populati, fecerunt, Henrici etiam partes, Berwici arce ab eo accepta, tueri ſunt aggreſſi, ſed induciæ paulo poſt factæ in pacem etiam poſtremo coaluerunt. Qua occaſione conſilia cœpta ſunt agitari de inimicitiis inter utramque gentem matrimonio tollendis, quo filius Jacobi Cæciliam, Eduardi filiam, duceret uxorem, quod cum a rationibus ſuis non alienum Eduardus crederet, repræſentare etiam partem dotis, Jacobo id poſtulante, non gravatus eſt. Sed ægri ex ſuperioribus bellis animi ſanari tam ſubito non potuere, quin injuriis mutuis exſtimulati novo adverſus ſe invicem bello coorirentur, Anglos Alexandro Jacobi fratre, profugo, Scotos Ludovico XI Galliæ rege ſollicitantibus. Quanquam diuturnum illud haud fuit, quod inteſtinæ turbæ Scotos pacem quavis redimere conditione cogebant. Reddidere hinc Bervicum atque una dotis partem, quam repræſentatam acceperant, Eduardo id poſtulante, quod Jacobo, ſummo ſuorum laboranti odio deque ſecura & ad poſteros transmittenda regni poſſeſſione periclitanti, conjungi arctius nollet. Ab eodem ille adeo abalienatus eſt, ut Alexandrum, ejus fratrem, in fidem reciperet atque ad regnum Scotiæ aſpiranti auxilium ferre polliceretur. Sed hoc atque alia morte occupatus haud potuit perficere. Poſt breve Eduardi V regnum rerum in Anglia potitus Richardus III, quod ab civibus parum tutus aliunde ſibi auxilia paranda cerneret, Jacobum ſibi induciis factis junxit, matrimonium etiam inter Jacobi filium, heredem regni & Annam, neptem ex Eliſabetha ſorore pactus. Quod idem fecit poſtea Henricus VII aliisque matrimoniis Jacobi animum delinivit. At interea Jacobus peſſima regnandi ratione proceres jamdiu ei infeſtos eo furoris adegit, ut filium vel invitum in partes trahentes, arma adverſus eum caperent & nequicquam externa circumſpicientem auxilia regno vitaque privarent. Angli, ea uſi occaſione, levioribus concertationibus Scotos ſunt adorti, quin & Henricus cum Johanne Bothwello & Thoma Todde egit, ut Jacobum IV captum in manus ſuas traderent. Quocum vero,

cum

cum consilia illa parum procederent fortasse, inducias iniit, subinde renovatas postea, qua occasione & de matrimonio Jacobi cum Catharina, filia Ducis Somersetensis actum, sed irrito successu. Nempe arctius Jacobus Henrico jungendus erat, filia ipsa Henrici fatis illi debita, quæ res felicissimæ postea Angliæ ac Scotiæ conjunctioni viam patefecit. Quod antequam fieret, Petrus Warbeck, personatus Richardus nova dissidia excitavit. Ille enim delatus in Scotiam, frustra alibi tentata fortuna, Jacobum adduxit, ut causam ejus susciperet, atque adeo Catharinam Gordoniam & genere & forma spectatam fœminam, uxorem daret. Iterata hinc vice Angliam ingressus cum milite suo est; veruntamen intra populationes conatus omnis substitit. Nemo Anglorum obtrusum a Jacobo agnoscere Richardum, Henricus contra, post sedatos Cornubiorum tumultus in Scotiam vicissim ingredi & injuriarum ultionem repetere. Inde ad pacis consilia, Ferdinando Hispaniæ Rege id operam navante, rediit Jacobus, induciisque factis Warbeckium ab se dimisit. Verum vix his extinctis dissidiis nova oborta sunt, juvenibus aliquot Scotis per rixam ab Anglis interemtis, qua de injuria satisfacere Jacobo, quorum id erat, longius cunctabantur. Quæ res ut turbatura de integro omnia videbatur initio, ita causa arctioris inde conjunctionis extitit. Richardi enim Foxii Episcopi Dunelmensis, cui partium Angliæ versus Scotiam vergentium curam demandaverat Henricus, prudentia factum, ut pacis non tantum, verum & necessitudinis cum Henrico conjungendæ consilia caperet, & capta, eodem Episcopo interprete, Henrico declararet. Quæ quidem res ut grata illi haud dubie accidit, ita nova aut inexpectata non potuit videri, quandoquidem duabus jam antea vicibus, cum inimicitiæ inter Anglos atque Scotos intercederent, suis negotium dederat, ut Margareta filia uxore oblata meliorem Jacobo rebusque Anglorum propensiorem mentem injicere conarentur. Tanto facilius Jacobus votorum suorum summam tulit, cui Margareta illa iisdem fere diebus, quibus Arthuro Catharina, Ferdinandi Hispaniæ Regis filia desponsa est: nuptiæ insequenti anno celebratæ omnes & in præsens & in futurum causas inimicitiarum, hodienum id eventu feliciter comprobante, sustulerunt.

Huc

Huc ſpectant ex actis noſtris 1) *acquietantia Regis Scotorum*, Jacobi III qua teſtatur ſolutam ſibi ab Eduardo IV eſſe *duorum millium marcarum ſummam* nomine dotis & matrimonii cauſa inter filium primogenitum Jacobi & Cæciliam Eduardi filiam ſanciti p. 23 & p. 40 ſq. 2) *Literæ Eduardi*, quibus Richardo fratri milites contra Scotos conſcribere præcipit. p. 115 ſq. 3) *Conventiones Ducis Albaniæ*, Alexandri fratris Jacobi, *aſſumto ſibi titulo Regis Scotiæ*, inter ipſum & Eduardum p. 256. 4) Literæ, quibus *Præpoſitus*, *tota ſocietas Mercatorum & Communitas Edinburgi ſe obligant ad ſatisfaciendum Regi Angliæ ſuper facto matrimonii & pecuniæ ſolvendæ* p 163. 5) Literæ Eduardi, quibus matrimonium filiæ cum Jacobi filio reſcindit dotemque repetit, p. 165. 6) *Conventiones cum Duce Albaniæ* p. 173. 7) Literæ Richardi III *Salvi conductus cauſa* legatis Scotiæ datæ p. 230. 7) *Commiſſio Regis Scotorum ſuper matrimonio inter primogenitum & Annam neptem Regis* p. 232. 8) *Indentura Treugarum inter Reges Angliæ & Scotiæ* p. 235 & matrimonii modo dicti p. 244. 9) *Appunctuamenta Henrici VII cum Rege Scotorum* p. 285. 10) *Conventionum de treugis Scotiæ prorogandis & diverſis matrimoniis contrahendis, confirmatio* p. 318. 11) *Obligatio*, *qua Johannes Bothwell & Thomas Todde* maxime recipiunt, *Jacobum IV in manus Eduardi ſe traditu̇ros* p. 440. 12) Conventionum Scotiæ ratificatio p. 465. conf. p. 483 & inde paſſim. 13) Literæ Henrici, quibus facultatem concedit legatis ſuis agendi cum Jacobo de matrimonio cum Margareta filia ineundo, p. 572. conf. p. 635. 14) Literæ ejusdem ad Thomam Dacre Militem locum tenentem Weſtmarchiarum verſus Scotiam *de arraiatione facienda adverſus invaſionem Scotorum* p. 647. 15) Literæ *ejusdem de tractando cum Rege Scotorum* p. 670. it. Literæ *de attemptatis Scotiæ*, arbitrio Regis & Reginæ Hiſpaniarum commiſſis p. 671. 16) Tractatus facti *apud Aytoun per Regem Scotorum ratificatio* p. 673, quam ſequitur p. 722 *ratificatio tractatus facti apud Stryveling*. 17) *Literæ Henrici*, quibus Richardo Foxo Epiſcopo Dunelmenſi poteſtatem defert de matrimonio cum Margareta ab Jacobo Rege Scotiæ ineundo agendi p. 729. 18) de *matrimonio cum primogenita Henrici contrahendo commiſſio Regis*

Scotorum p.776.19) *indentura tractatus de matrimonio eodem* p.787.

Res domesticæ denique paucis sunt perlustrandæ. Eduardus IV igitur composito cum Ludovico XI Galliæ Rege, bello, sibi ut regni possessionem, de qua necdum timere desierat, firmaret, operam dedit. De comite hinc Richmondiæ, qui post Henrici VII, Rex factus, nomen gessit, quemque jura familiæ Lancastriensis resuscitaturum divino quasi instinctu monitus prævidebat, ex Britannia adducendo consilium cepit; sed & contra Georgium, Ducem Clarentiæ, fratrem suum, sibi existimavit prospiciendum. Nempe vaticinium quoddam circumferebatur, quo successoris nomen primam literam G habiturum fama erat; id cum ad Glocestriensem Ducem Richardum potius, nisi prorsus vanum fuit, quam ad Georgium illum pertineret, ad eundem nihilo minus perversa interpretatione trahebatur. Ipse loco suo fretus plusculum sibi sumebat, quam ferre aut regina cum suis aut ipse Eduardus posset, qui ab Warwickii olim partibus eum stetisse memor ex præteritis conjecturam de futuris capiebat. Auxit invidiam ejus delatum ab Maria Burgundica conjugium, quæ & vincula ei & mortem ipsam, illiso capite in vini Cretici dolium, ut fama est, peperit. Verisimile tamen est secreto id supplicium habitum & rumorem disseminatum, naturæ eum vi ex vita excessisse, ne suorum animos Eduardus crudeli facinore ab se abalienaret. Enimvero non ita multo post fratrem secutus est, pœnas in liberis luiturus quas ipse non luisset. Filius, Eduardus V, ad quem ut regnum transmitteret, tantopere laboraverat, nihilo eidem longius præfuit. Regina, quæ suis eum cognatis munitum periculi omnis crediderat expertem, hoc ipso inimicis suis occasionem præbuit in suam eum sibi potestatem asserendi. Quo facto coactus est Richardo Patrueli regni administrationem & nomen protectoris, mox ipsum regnum titulumque Regis concedere. Neque id miseriarum satis; ne vitam quidem, qua regia dignitate privato ut frui per Patruelem liceret, optaverat, vel ipse vel frater Richardus retinuit. Quanquam nec Richardo III, quem patruelem paulo ante liberorum Eduardi diximus, diuturna felicitas fuit, ad quam sibi

sibi tot sceleribus viam muniverat. Factum, Deo res ita moderante, est, ut ille ipse, qui unus ei maximus adjutor ad regnum grassanti fuerat, Dux Buckinghamiæ facti sui pœnitentia perculsus, prima ad interitum ejus fundamenta jaceret. Equidem in ipso conatu tyrannum opprimendi comprehensus ille plexusque capite est; sed consilia, quæ ceperat, ad Richmondiæ comitem regnum deferendi, ut ille ducta in matrimonium Elisabetha Eduardi filia dissidiis inter duas potentissimas familias finem tandem faceret, nihilominus felici Numen eventu beavit. Repetita ille vice navibus in Angliam profectus victo ad Bosworthum ab se Richardo successor datus est. Regnavit feliciter, nisi quod, qui partibus favebant familiae Eboracensis, cernentes, uxorem Elisabetham Eboracensem contemtim ab eo haberi, negotium subinde facessebant. Inde concitatio primum multitudinis in partibus Angliæ Borealibus, inde tota illa scena de Lamberto Simnello, qui Eduardi Comitis Warwiciæ personam indutus in Hibernia pariter & Anglia Henrico turbas excitavit. Qua de causa ille de sanandis Eboracensium animis cœpit cogitare, Reginamque post biennium denique solenni coronandam ritu curavit. Sed illud eo haud valuit, quo minus Petrus quidam Warbekius dictus, Eduardi IV Filium alterum Richardum mentitus, plurimorum animos sibi conciliaret sive Hibernorum sive Anglorum, postquam Regibus adeo Galliæ Scotiæque approbari eum vidissent. Veruntamen & eam tempestatem feliciter Henricus superavit: Petrus ille conatibus suis nihil aliud profecit, nisi ut captus daret ludibrium suspendioque vitam postremo finiret. Non dissimilem rerum suarum exitum habuere Michael Joseph & Thomas Flammock, in Cornubia tributorum exactionem in seditionis causam vertentes, quam flammam vixdum coortam ex voto restinxit Henricus. Neque aliis in rebus minus propensam sibi fortunam expertus est, utpote omnes ei orbis tum incogniti divitias offerentem, quandoquidem Christophorus Columbus nullis ab Rege Lusitaniæ impetratis auxiliis Bartholomæum fratrem ad Henricum miserat, uti ejus auspiciis iter in partes orientales susciperet. At ille a piratis captus moratusque nimium ante, quam cum Henrico agere posset, occasionem fratri dedit Ferdinan-

dinando Hispaniæ regi operam suam offerendi, eique vindicandi terras, unde hodienum tantam vim auri argentique quotannis Hispani colligunt. Quas sibi destinatas a fortuna præripi ab Ferdinando ægre tulit Henricus, illud damnum missis subinde, quæ novas terras detegerent, navibus sancire nequicquam conatus. Hæc de rebus civilibus: de Ecclesiasticis jam quædam dicenda essent, sed præterquam quod nihil illæ singulare complectuntur, quod quidem ex monimentis hisce illustrari possit, diutius jam fatigasse lectoris patientiam videmur, quam ut plura liceat adjicere.

Ceterum cum iis, quæ diximus, sequentia monimenta ex Actis nostris contulisse non pœnituerit. 1) variæ literæ, quæ de pace atque amicitia inter Ducem Britanniæ atque Eduardum IV. agunt, p. 23 sq. 2) literæ Eduardi *de Injuriis per nuper Ducem Clarentiæ perpetratis*, p. 95. 3) *de proclamationibus faciendis pro morum reformatione literæ Richardi* III, p. 204. 4) Bulla *contra Hibernicos Prælatos qui Lambertum Symnell prætensum de jure, de facto in Regem coronarunt*, p. 332; consimilis contra Episcopum Assaphensem p. 333. 5) bulla *contra tumultum excitantes, super Jure succedendi* p. 341. 6) literæ Henrici VII *pro Johanne Caboto & filiis suis super terra incognita investiganda* p. 595. 7) litteræ eiusdem *pro adhærentibus Michaeli Joseph, & cuidam Idolo, nomine Petro Warteck de gratia Regis*. 8) literæ ejusdem *super rebellione Petri Warbeck, de intendendo* p. 766. Cetera, nam non ita multa sunt, monimenta facile in ipso Volumine invenientur.

EXPLICATION NOUVELLE DE l'Apotheose d' Homere.

h. e.

EXBLICATIO NOVA APOTHEOSEOS HOMERI exhibitæ in marmore quodam antiquo; de usu tripodis Delphici & de officio engastrimythorum; autore JO. CAR. SCHOTTO, Seren. Regi Prussæ a consiliis, bibliotheca & antiquitatibus,

Amstelodami apud, Jo. Boor, 1714, 4.

Plag. 18.

MArmor in Ferentino agro inventum, quod consecrationem celebrat Homeri, ut explicarent, Viri docti complures operam

.g. 61.

ram dederunt. Ære illud exprimendum curavit primum Kircherus in Latio ſuo, quam delineationem poſtea Cl. Fabretti hinc inde correxit. Qui quidem viri, quibus voculis uſurpare monimentum ipſum licuit, omnium ſane optime, quid eo contineatur, potuiſſe videntur exponere. Sed alter feſtinantius rem geſſit, fecitque, ut, quæ ad interpretationem lapidis attulit, perinde ac delineatio ejus, correctione opus habere videantur, alter negotiis aliis præpeditus non potuit ſuis ei commentationibus lucem affundere. Quocirca exteri in eo periclitari vires cœperunt uſi delineatione, quam Kircherus edidit correxitque Cl. Fabretti, utut corrigenda etiamnum in ea crederent ſupereſſe atque adeo pares negotio ſuſcepto ſe omni ex parte haud eſſe vel taciti faterentur. Enimvero non una illi ratione aggreſſi rem ſunt, ut Archelai, cui artifici hoc marmor debet antiquitas, mentem recte aſſequerentur, id quod Cl. Schottus productis, poſt Kircheri, clariſſimique Fabretti obſervationes, ill. Gisb. Cuperi, Ezech. Spanhemii, Nicolai Heinſii, Jacobi Gronovii, Jo. Rodolphi Wetſteinii, qui omnes vel in parte ejus vel in toto explicando poſuerunt operam, & ſententiis & verbis vberius demonſtrat. Nobis in campum hunc ingredi nunc non libet, præſertim, cum de ſententia ill. Cuperi, qui fuſe omnia executus eſt, rationem lectori jam olim Anno CIↃ IↃC LXXXIII Menſe Decembri p. 538 reddiderimus. Nemo vero eorum ſatis Cl. Schotto potuit adeo facere, quin, qua eſt in monimentis veterum dilucidandis diligentia, novam omnia commodius interpretandi viam circumſpiceret, inventamque eruditis indicaret. Qua de re ut rectius conſtare poſſit, delineationem licet jam olim exhibitam, hic denuo ſiſtere non incongruum putavimus, quandoquidem ſine illa judicium de dicendis ferri non poteſt. TAB. II Fig. I.

Cl. Autor igitur arcum, pharetram & lyram, quæ omnia in antro conſpiciuntur, non tantum ſymbola, ut Nic. Heinſius, Apollinis interpretatur, verum & ipſum Apollinem cum novem Muſis hic deprehendi exiſtimat, & juxta eum cortinam ac Pythiam, non pileum, ſignum Iliadis, atque Odyſſeam, quæ inferius repræſentantur. Montem hinc ipſum non Olympum, ſed Parnaſſum credit, quantumvis uno tantum vertice gaudeat.

Nam necessum non esse, ut utroque ille exhibeatur conspiciendus, cum vel ista repræsentio satis consilio artificis esse potuerit; quin &bicipitem montem declarare viam,quæ supra antrum cernitur. Rem vero dubiam minime relinquere antrum illud, cujusmodi Parnassus, in quo antrum Corycium notissimum est, non item Olympus,quantum ea de re constat, agnoscit. Figuram in vertice montis non Homerum (neque enim arbitratur Cl. Schottus unam eandemque rem bis in marmore exhiberi) sed Jovem interpretatur, eumque non κεραυνοφόρον, quod Addisonus, scriptor Anglus, voluit, sed μειλίχιον benignum, quemadmodum Athenis atque alibi colebatur, vel potius Heliconium, dictum ita, quod in Helicone moraretur ac Musarum velut filiarum curam gereret. Figura ad sinistram antri partem, utrum sacerdotem Apollinis, an, quod ill. Spanhemius malebat, Biantem, civem Archelai artificis,designet, dubitat Vir doctus, certus interea,machinam,quæ a tergo illius cernitur,tripodem esse. Quanquam in posteriorem potius, quam priorem sententiam pronus Biantem tanto libentius hic agnoscit, quod imaginem ejus nullum aliud antiquum sistit monimentum. Nam quod ad numos attinet, qui vultum ejus præferentes circumferuntur, quorum delineationem aliquam & Cl. Schottus exhibet, & hic exhibitam nuper in scripto quodam meminimus, cusi illi ab impostore Italo sunt, neminique adeo nisi incautis harum rerum æstimatoribus possunt imponere. Ejus generis numorum amplius quadringentos delineavit Cl. Schottus, ut est summus ea in re artifex,quos si in lucem emiserit aliquando, quemadmodum liberaliter pollicetur, fraudes in re numaria sane quam luculenter ob oculos ponet.

His præmissis & consilium nobis Archelai,& rationem qua illud exsequitur,curatius explicare aggreditur. Consilium ejus credit esse, non ut unam apotheosin, sed uti &, quæ eam processerunt, & modum causasque honoris tanti adipiscendi indicaret. Hinc eum Musas introducere agentes cum Apolline primo deinde & Jove, repræsentationemque suam velut in tres actus distinguere. Primus, quem in medio marmore putat repræsentari Cl.Schottus,tres nobis primo Musas sistit,quarum priores

rum priores duæ, Clio cum volumine ac lyra, & Uranie, quæ globum digito deſignat, de Homeri laudibus velut colloquentes, dignum eum, qui in numerum Divorum recipiatur, pronuntiant. Tertia hinc Calliope de conſecratione Homeri ad Apollinem refert. Apollinis benigno illi vultu annuentis oraculum ſcripto conſignatum Pythia tenere videtur, ac roganti velle porrigere. Actus alter in ſuprema marmoris parte exhibetur, ubi Polymnia Jovem, in ſupremo montis vertice poſitum, obteſtatur, ut Homerum inter Deos receptum venerari liceat. Juxta Polymniam Erato, ubi Jovem in preces ſororis facilem cerneret, ſummo gaudio perfuſa ſaltantis vel ſubſilientis ſpeciem præbet; lyram ei adjunctam, quaſi quæ ex manibus ſubſilienti excidiſſet, Noſter arbitratur. Sed fortaſſe rectius ill. Cuperus, qui lyram ibi poſitam petere Muſam tripudiantem exiſtimat; alias enim non recta ſtaret lyra, ſed in latus inclinata caſum diſtinctius declararet. Hinc Euterpe ſequitur cum tibiis, quarum inventrix fertur; poſt Terpſichore alterius manus digito ſilentium, ut cantantes ante ſe Muſæ exaudiri poſſent, imperat, altera citharam tenet, quam male utique in delineatione expreſſum dolet occaſionem adimere diſcrimen inter citharam & lyram antiquorum quodnam ſit, clarius explicandi. Superſunt Melpomene & Thalia, quæ nomina ut figuris reſiduis ſigillatim ſint applicanda, non expedire ſe poſſe Cl. Schottus fatetur, veritus proinde ne & hoc loco minus exacta marmoris ſit delineatio. Tertium jam actum voces figuris ſubſcriptæ ſatis explicant. Homerus ibi ſiſtitur in templo, quod ex columnis, quarum pars ſuperior prominet, cetera velo tectis colligitur, ſedens, ut Deum decet, ad aram litteris adhuc non animadverſis A. A. quas Αρχέλαος Απολλονίου ſc. υἱὸς interpretatur Cl. Autor, notatam. Terra οἰκουμένη, (ita enim legendum non ἐυμέλιαι) & tempus χρόνος eundem coronant; Ilias, quam bipennem, non gladium, cum ill. Spanhemio in nota manuſcripta ad Apotheoſin Homeri Cuperianam tenere exiſtimat, & Odyſſea latus ei ſtipant. Mures ad pedes obſervantur, unde Batrachomyomachiam Homero vindicare viri docti ſunt aggreſſi. Sed alio ſpectare iſta animalcula vel iſtud fidem facit, quod rana nulla adeſt, non abſutura, ſi poema illud certamen inter mures ac

ranas

ranas complexum designaretur, Noster, quod rodere ei libros Homeri videntur, quanquam nihil se tale deprehendere posse Gronovius affirmabat, ad invidos ea trahere nihil veretur. De ceteris figuris uberrime ab ill. Cupero explicatis nihil monet, excepta illa, quæ *μνήμης* appellationem fert, quamque ut ab historia distinguat, traditionem interpretatur.

Ita generatim Cl. Schottus sententiam suam de marmore isto declarat; hinc pergit ad ea, quæ singularia illa complectitur, dilucidanda. Primo loco de Apolline fœmineas vestes induto, nam ita in monimento nostro exhibetur, luculenter disserit. Rem ipsam dubiam omnium minime relinquunt numi, in quibus Apollo & diserte nominatur & fœmineum in morem vestitus
TAB. II. Fig. 2. comparet, cujusmodi aliquot ex Museo Berolinensi delineatos dedit, quorum duos & ipsi ære exprimendos curavimus. Non minus exquisita sunt, quæ de cortina docet, quam pileum credidit ill. Cuperus, minus ex sententia Cl. Schotti, probabiliter, quod nulla illi utpote grandiori proportio intercedit cum capitibus figurarum, quæ in marmore exhibentur. Digni cumprimis sunt
Fig. 3. qui considerentur, numi, quibus & ista illustrat, ex quibus & nos eos, qui solam cortinam sistunt, delineatos dedimus. Fatemur tamen, utique videri nobis aliquid discriminis, inter figuram quæ in marmore conspicitur & cortinas illas intercedere. Est enim illa oblonga, cum cortinæ in numis repræsentatæ ad semicircularem figuram quam proxime accedant. Hinc vero de tripode pone hominem palliatum posito dicta ulterius confirmat. Ejus jam ill. Spanhemio in mentem venerat. *Tripodem quidem æneum*, inquit in literis ad ill. Cuperum datis, quas iste Apotheosi suæ inseruit, *memorant autores, cui nomen* SAPIENTIS *aut* SAPIENTISSIMI, *inscriptum singulari munere Bianti concessum. Sed*, pergit, *neque machinæ illi cum tripode convenit, nequetripus supra caput, sed ad pedes in monumentis apponi consuetus.* Sed Cl. Schotto secus videtur; faces enim, quas hic quæsiverunt Viri docti & basin literæ Tauticæ, tres ille pedes tripodis, ductum superiorem literæ illius, marginem crateris, circulum minorem, ansam tripodis, (ansatos enim tripodes numi, ut exemplis Noster probat, nonnunquam exhibent) globum vero, qui

qui supra caput hominis palliati conspicitur, craterem, qui γάςρα dictus, cum cortina conjunctum interpretatur. Quæ partes tripodis ut rectius intelligantur, digressionem de usu ejus tractationi suæ inseruit, non ingratam utique futuram omnibus, qui studium antiquitatis sectantur. Usus ille in eo, maxime constitit, ut per Tripodem loqueretur Apollo murmur in eo, flatu subterraneo, excitans, cum responsum redderet, qua de causa cortina pariter cum cratere ita subtilis erat ac tenuis, ut flatus iste, si vehementior esset, per foramen crateris, quod umbilicum dixere, ingressus strepitum maximum cumque tonitru exæquandum ederet. Quod vero similius redditurus Vir doctus conjectat, occulto alio quodam artificio sonitum auctum fuisse, ideoque provocat ad ψήφυς μαντικὰς, quas in cratere tripodis latuisse constat. Pythia vero in cortina, non cratere, sedebat, partim ut flatus vim nimiam cortinam alias ablaturi cohiberet pondere suo, partim ut sonitum in eas voces pararet, quas respondisse Apollinem consulentibus oraculum persuadebant. Hæc omnia erudite persecutus e diverticulo ad tripodem, quem in marmore nostro credit repræsentatum, Cl. Schottus redit fateturque altiorem eum esse, quam in aliis monimentis observatur. Sed illa justam neglexisse altitudinem existimat, hic recte, expressam, nititurque verbo ἀναβαίνειν usurpato scriptoribus, quando insedisse Pythiam tripodi referunt. Veruntamen ex hac una voce eam altitudinem tripodis, quæ ipsam viri staturam supergrediatur, non facile evicerit Vir doctus, cum locus illi esse possit, etiamsi tripodes non altiores, quam eos vetera plerumque monimenta exhibent, fuisse credantur. Remanet igitur difficultas illa, cui alia, quam & ipse Cl. Schottus animadvertit probe, accedit, quod altitudini tripodis hujus cum peripheria nulla est proportio. Equidem negligentiæ hominis, qui monimentum illud primus delineavit, illud tribuit Vir eruditissimus; sed illud subterfugium ei nemo facile toties largietur. Sane illustris Fabretti, qui, excusso denuo marmore, ex facibus apices nobis tornatiles reddidit, multo indicasset magis, si laxiorem tripodis ejus formam incuria delineantis in angustiorem eam, quam delineatio præfert, coegisset. Neque vero hæc eo monemus,

ut novæ Viri, cujus eruditionem colimus, ſententiæ periculum creetur, ſed uti pateat, nihil adeo certi in ejus generis rebus excogitari poſſe, quod infirmare nulla prorſus ratione liceat. Obſervationibus de tripode conjectura nova de engaſtrimythis ſubjuncta eſt. Sunt illi Cl. Schotto homines, non qui verbis ex ventre prodeuntibus, ut plerique credidere adhuc, vel per vaſcula vitrea aliave ex materia parata, γάϛραι dicta, ut Hermol. Barbarus & G. J. Voſſius contenderunt, vaticinati ſunt; ſed qui vel recitabant vel explicabant diſtinctius ea, quæ per craterem tripodis, qui γάϛρα dicebatur, ab Apolline profecta confuſiori ſono audiebantur. Officium illud fœminæ primo, poſtea viri obiere, qualem & eſſe palliatum hominem, qui juxta tripodem adſtat, poſtremo, relicta fere de Biante ſententia, conjectat Cl. Schottus. Sub finem explicationem numi, quam ex Pedruſii Numiſmatum Parmenſium Tomo quinto anno CIↃ IↃCC XIII menſe Julio p. 295 attulimus, & in qua ille conſecrationem Homeri exiſtimavit celebrari, ſub examen revocat. Circa quam obſervata prouti ſuo loco, autorique ſuo defendenda relinquimus, ita

TAB. IV. Fig. 4. monemus tamen, eundem plane numum illum haud eſſe cum eo, quem Cl. Molinet ex Muſeo S. Genevievæ & Cl. Schottus ex Berolinenſi delineatum nobis dederunt. Eum hic exhibemus, quem una cum aliis ex Pedruſiani operis Tomo, quem diximus, ſpeciminis loco ære exprimendum chalcographus cum alio juxta poſito, ut poſtea animadvertimus, male commutaverat.

DE VERO USU VERBORUM MEDIORUM apud Græcos, eorumque differentia a verbis activis, & paſſivis. Annexa eſt epiſtola de verbo cerno *ad Virum Cl. J. P. Autore LUDOLPHO KUSTERO, Regiæ Inſcriptionum Academiæ Socio.*

Pariſiis, apud Ioannem Bapt. Deleſpine, 1714, 8.
Alph. 1.

VUlgo Grammaticorum eſt regula: Verba apud Græcos media dicuntur, cum quod terminatione, partim activa, partim paſſiva gaudeant; tum quod interdum active, interdum paſſive ſignificent. In hoc accuſat erroris, ex negligentia orti, Gram-

Grammaticos Vir celeberrimus, qui intima naturæ Græcæ linguæ perscrutatus est, Ludolphus Kusterus, & aliam huic opponit regulam: Græcorum medii generis verba actionem cum passione mixtam denotant, & inter verba activa & passiva re vera medie sese habent, utrique autem formæ ita affinia sunt, ut ab utraque discrepent. Hoc novum autoris inventum est, circa quod observari convenit, non omnia verba pro vere mediis agnosci, quæ terminationem mediam, significationem vero activam habent, & Latinorum deponentibus similia sunt; neque præterita perfecta, & plusquam perfecta, heic locum invenire, quia cum terminatione significationem mediam exuunt: sed quædam verba media supponi, quibus constans usus certam confirmavit significationem, quæ in activa eorum forma non conspicitur, & quorum significatio potius ex actione, & passione mixta est. Ipsa vero mixtio in eo ponitur, quod verborum mediorum, actionem designantium, actio non transeat in alium, sed ad ipsum agentem redeat, ita ut agens & patiens certa ratione idem sit; hac quidem differentia, ut vel agens sibi aliquid ipsi præstet, & a se immediate patiatur aliquid, vel actio alterius ita in patientem abeat, ut huic certo modo debeatur illa, ut cujus autoritate & jussu facta est. Prioris generis verba cum illis Latinorum congruunt, quibus adduntur pronomina reciproca, *se sibi*; vel additis propositionibus, *ad se*, *in se*, *inter se* & alia, ut quando Latine dicunt, se lavare, Græci illud constanter medio efferunt, λούεσθαι; sibi ducere, ἄγεσθαι, in se tollere αἴρεσθαι, inter se pugnare μάχεσθαι, pro se acquirere προσποιεῖσθαι & similia. Posterioris generis sunt, quando aliquis aliquid fieri curat, ut medium ἀπογράψασθαι nomen suum in tabulas referendum curare, κείρεσθαι tonderi se facere & reliqua: ex quibus intelligitur, quomodo verba media ab activis & passivis, certo modo, diversa sint, & vim, neque mere activam, neque mere passivam obtineant; sed ex utroque commixtam, quod ideo parum fuisse animadversum vulgo, autor ingeniosus statuit, quod in plerisque verbis mediis Græcorum interpretandis, ad usum magis Latini sermonis, & aliorum, interpretes respexerint, quam ad proprietatem notionum Græ-

 corum

corum verborum; unde, quando ἐπείγεσθαι Græcum medium Latinum fecerunt, per festinare illud reddiderunt, recte quidem, sed non quo primam & vocis propriam vim exprimerent, qua festinare nihil est, quam se ipsum in agendo impellere, & promovere, quod græce, reflexione remota, ἐπείγειν dicitur. Exposita hoc modo sua sententia, Autor doctissimus ad eam confirmandam progreditur, & in accessu hanc sibi dari conditionem postulat, non velle se teneri autoritate recentiorum illorum scriptorum, Plutarchi, Æliani, Herodiani, Heliodori, & his æqualium, (quamvis horum testimonia pro sua sententia stabilienda in subsidium sæpe vocet) sed stare suum inventum exemplis, ex Demosthene & florentis Græciæ scriptoribus principibus petitis, ex quibus, quicquid sibi opponendum vult, peti debeat; ea quidem iterum lege, ut propter unum alterumve contrarium sibi testimonium, non velit loco cedere, cum paucis locis haut tuto credi debeat, ubi infinita exemplorum copia opinionem aliquam suffulciat. In tres vero classes omnium verborum mediorum numerus divisus est, & ideo tribus sectionibus universa eorum tractatio absolvitur. In prima sistuntur illa verba, quæ actionem notant, quæ ad agentem quasi ipsum reflectitur; in secunda illa proponuntur, quorum actio ab alio in aliam transfertur, patientis ad agendum collata opera; tertia sectio eorum est, quæ formam quidem, sed non vim tenent mediam. Pro singularum classium illustratione exemplorum conflatur series, ex quorum multitudine quædam seligere nostrum erit. In prima sectione § 3 est ἀπομύξασθαι, quod valet se emungere, cum ἀπομύττειν alium sit emungere, ἀποψᾶσθαι, notat se abstergere, & idem ἀπομόρξασθαι §. 4. cum, ἀπομορξαι sit alium abstergere; λέειν lavare est, λέσασθαι significat se lavare §. 5; λύειν dicitur, qui solvit aliquid, quod cum alio colligatum est; λύεσθαι vero medium ille, qui sibi aliquid in suo solvit corpore §. 7. ἀπάγξαι strangulare medium habet ἀπάγξασθαι sibi fauces præcludere §. 9; qui percutitur passive dicitur κόπτεσθαι, qui vero se ipsum percutit, vel plangit, medie κόπτεται §. 10; ἵστημι est statuo, medium ἵσαμαι sto, vel me constituo §. 13. Φυλάττω custodio, medium Φυλάττομαι me custodio

dio, mihi caveo; πέμπω mitto, deduco, medium πέμπομαι ad me deduci curo, arcesso §. 20; θέσθαι ἄλοχον uxorem est sibi ducere, θεῖναι alii dare §. 25, & plura alia heic conquisita, quibus junguntur verba pleraque pugnandi, quia mutuam ab utraque parte & actionem & passionem supponunt §. 40 & 41; quod equidem non in omnibus valet, quæ nempe ab altera tantum parte agentem ponunt, in iis tamen, ubi actio est mutua, ut πολεμεῖν nude quidem dicitur, quando quis alium invadit, bello impetit, sed quando inter se mutuo diversi manus conferunt, dicuntur μάχεσθαι. Verba etiam repellendi, rejiciendi, repudiandi in hunc censum veniunt §. 44. quæ per præpositionem Latinam *a se* exponenda sunt, ut ἀπώσασθαι, ἀποβάλλεσθαι, & similia, quibus opinionem suam doctissimus Kusterus firmare connisus est; quo peracto monet §. 46, illa, de reciproco verborum mediorum usu, eo extendenda non esse, quasi verbis mediis, ubicunque sensus est reciprocus, uti conveniat, cum sæpe id propter consuetudinem contrariam, non liceat, nam etsi ἀπάγξασθαι recte dicatur de illo, qui se suspendit, non ideo in eadem fere re licet dicere ἀποσφάττεσθαι medie, vel ἀποκτείνεσθαι, qui se occidit, & sic in aliis. Præterea dantur verba, ubi adhibetur medium, nec adeo aperta est ad agentem reflexio, & tamen occulta quædam, in eo latens, quod agens aliquid in proprio transigat negotio, ut in διαλύσασθαι, καταπράξασθαι usu venit, quando propriam rem peragere, tollere, significant, ubi e contrario activum usurpatur, quando in aliena re quisquam occupatus est. Quanquam igitur id pro firmo habetur, non licere verbis vere mediis uti, quum quis alteri aliquid præstare fertur; non tamen id æque constans est, semper in usum venire medium, quando actioni reflexæ locus est, cui optimæ notæ scriptores Græci morem servant contrarium. Et quamvis usu verba media ab activis sæpe parum differre videantur significatione, monet tamen doctissimus Autor p. 104, hoc saltem esse discrimen, quod ancipitem illam relationem ad se, vel ad alterum, quæ activis inesse solet, non admittant, & sic sensum in suspenso non reliquant, ut in exemplo, quando quis κομίζειν χρύσον dicitur, ignoratur, an sibi, an alii, aurum ferat, qui nexus ex-

peditur, si medium sit adhibitum, ubi manifestum est, rem portare agentem pro se, vel propriam, quæ quidem utilitas certe est egregia, si agnoscatur ab omnibus; major tamen illa foret, si verborum mediorum hac virtute pollentium certus esset constitutus numerus. Sed huic usui verborum mediorum subnectit Autor adhuc alium §. 59, quod si nec illa differentia inter activa & media, quod ad sensum reflexum, & non reflexum, appareat, statuendum esse ambiguitatis vitandæ causa, in quibusdam loquendi generibus, verba media potius, quam activa adhiberi, in illis nimirum casibus, ubi vel in verbo, vel in nomine est ambiguitas, ut quando Latini dicunt, obsignare epistolam, Græcis scribere convenit σημήνασθαι ἐπιςολὴν, ad confusionem evitandam, quæ in activo σημαίνειν est; sic μνήμην ποιεῖσθαι loquuntur, quando mentionem faciunt rei, non vero ποιεῖν, quod memoriam conservare, potest valere. Tandem observat Autor §. 63, quandoque mediis addi pronomen reciprocum ἑαυτὸν, non quod significatio reflexa mediis per se non insit; sed id vel necessitate addi, ut tollatur ambiguitas, in sensu ipso reciproco, ut in verbo κόπτεσθαι, quod & se ipsum plangendo lugere, & alium, notare potest, quod tollitur si pronomen adjectum sit; vel propter emphasin, quæ orationem elevat; vel per pleonasmum, quando quid, non necessarium, in eadem abundat. Hoc enim sublato, quod reflexio per se mediis verbis non inesset, omne discrimen inter activa & media collapsum iri notat, & ideo hanc suam pro norma constituit regulam: Verba media significationem reciprocam habent per se, & ex se; at activa eandem extrinsecus assumunt, ope pronominis reciproci, sive expressi, sive subauditi. Ita ad secundam classem verborum mediorum cum Autore progredimur, in qua illa exhibentur, quæ significationem habent activam, qua actio in alium ita transfertur, ut patiens in actionem, aliqua ratione, influat, vel agentem movendo, vel minimum non resistendo, ubi facultas datur; exempli loco esse potest medium κείρασθαι, quo Græci utuntur, quando de homine agunt; quando vero de animali sermo, cui renitendi non est potentia, passivo κείρεσθαι locus est, homo namque, si tondetur, præbet se tonsori, in ove vero actio invita perficitur: sic ἀπο-

γρά-

γράψασθαι (quod in S. Luca legitur) non est nude censeri, sed sponte sua in tabulas referri; Διδάξασθαι non est nude doceri, sed se docendum tradere, unde διδάξασθαι τέχνην propter artem docendam se cuidam committere, & in multis aliis, heic collatis. In tertio verborum mediorum ordine, de verbis agitur, formam quidem, sed non vim mediam habentibus, quorum alia active tantum significant; alia passive tantum: prioris generis comparantur cum Latinorum deponentibus, qualia sunt ἐργάζομαι, ῥύομαι, δέχομαι, & reliqua, itemque futura media, quorum præsentia activa sunt, ut φεύξομαι, κρύψομαι, καταβήσομαι, quæ medio-activa dici queant; ubi tamen notandum, quædam medio-activa videri, quæ re altius perpensa vere media sunt, quod verbo χρᾶσθαι probatum est: posterioris classis verba, quæ sub forma media mere passivum significant, medio-passiva appellata sunt, in quibus nullum tempus formæ mediæ frequentius passive usurpatur, quam futurum, quod exemplis confirmatum est, rarius ex prosæ, frequentius ex ligatæ orationis scriptoribus petitis; Aoristi vero primi medii in significatione passiva usus observatur rarissimus. Quid sentiendum de invento hoc novo, ultra vulgus industrii & sagacis autoris sit, aliorum judicio relinquitur, quorum diligentiam, non leviter juvare poterat, si eorum verborum mediorum indicem subnectere libuisset, quæ nova methodo explicare suscepit, præcipue, cum nec certo numero, nec classe quadam, illa adhucdum comprehensa sint, suppleri tamen hoc poterit levi Lectoris studio. Ex epistola de verbo *cerno* nihil visum est decerpere, quoniam illa inter dissentientes criticos disceptatio jam latius extenditur, & nemini, non est cognita.

PHYSICO-CHIRURGICAL TREATISES OF the Gout, the Kings-Evil, and the Lues Venerea.

i. e.

TRACTATUS MEDICO-CHIRURGICI DE ARthritide, Strumis, & Lue Venerea; Autore RICHARDO BOULTON.

Lon-

Londini, apud M. Brand & I. Kent, 1714, 8.
Alph. 1 plag. 3.

CUm non pauca proſtent ſcripta, in quibus Viri, ſupra vulgus alias ſapientes, nec minori experientia clari, in horum morborum naturam inquiſiverunt; non immerito miratur Autor Clariſſ. cur plures hactenus iidem non fecerint progreſſus in eis debellandis; operæ igitur pretium duxit, in veras eorum cauſas inquirere, & ſuper has legitimas ſtruere indicationes.

In Tractatu *de Arthritide*, recenſita ejus hiſtoria & natura, conjunctam cauſam acrem corroſivum humorem cum pituita mixtum eſſe ſtatuit, qui oleoſæ mucilaginis, quum articuli ſuppeditant, craſin invertit. Idque vitium vel hereditarium eſt, vel adſcititium; in hoc modo ventriculus, modo ſuccus pancreaticus, modo bilis,modo alimenta tam eſculenta quam potulenta, modo defectus motus aut ſomni, modo veneris abuſus in culpa eſſe poſſunt; quoniam autem non omnes, qui ejusmodi errores committunt, aut chylificationis defectus patiuntur, arthritidi ſunt expoſiti, neceſſario ſequitur, peculiarem propenſionem ſeu diſpoſitionem ad colligendos ejusmodi humores præternaturales requiri,quæ in diverſo hominum temperamento radicata eſt; putat igitur Noſter, homines temperamenti melancholici præ aliis ad contrahendum hunc morbum eſſe aptos; ſiquidem humores in hac conſtitutione minus balſamici crudisque ſalibus referti quibusvis cauſis morbificis valide ſatis ſe opponere neſciunt, ſad ab his magis ſupprimuntur,& ſubiguntur. His poſitis dum ſalia acida, acria,lixivioſa, cum ſanguine circulata exaltantur, & attenuantur, per renes equidem aliaque corporis emunctoria ſecernuntur, reliqua tamen oleaginoſam ſanguinis ſubſtantiam conſumunt,& ut reliquis humoribus, ita etiam menſtruo ſtomachali communicantur, & fermenti inſtar ſe multiplicant. Humores hinc ſalini præternaturales in glandulas articulorum ſe inſinuant,& inter ligamenta membranacea deponuntur, unde ſequitur non ſolum motus abolitus, quia oleaginoſa mucilago, fibras humectans, deficit, & acres particulæ harum interſtitiis ſe interpoſuerunt, verum etiam dolor exquiſitiſſimus a ſpiculis ſalinis, ſenſibiles has partes vellicantibus, productus

ductus. Quodsi igitur humores hi acidi, & acres cum lixivialibus salibus permisti ad glandulas articulorum depositi fuerint, motum intestinum sensim sensimque amittunt, hinc crassiores evadunt, minusque apti, qui per vasa iterum possint reduci, imprimis cum frigus, quod extrema artuum ambit, ad majorem coagulationem eos disponat. Sin vero ob dolorem calor aliquis extraordinarius & fermentatio præternaturalis oritur, humor hic antea condensatus iterum attenuatur, & per reductoria vasa denuo resorbetur, donec paroxysmus penitus cessaverit. Quoad therapiam curatoriam 1) humorum vitiatorum, qui antecedentem constituunt causam, incrementum est inhibendum; 2) humorum jam collectorum in partem influxus est sistendus; 3) causa conjuncta tollenda; & 4) Symptomata mitiganda sunt. Ut de Indicatione tertia quædam dicamus, causa conjuncta seu humor ille crassus partim debet attenuari, ut extra membranas & fibras ligamentosas expellatur, partim ita corrigi, ne ad massam sanguineam reversus ullam noxam inferre queat. Ab internis autem medicamentis parum subsidii expectandum est, 1) quia ob humorem nimis crassum, vascula & fibrillas obstruentem, nihil de medicamento illuc penetrare potest, & si tantillum illuc feratur, prius a fermento peregrino in suam naturam verteretur, quam aliquam correctionem humoribus concedere posset; 2) quia medicamenta in fibras membranosas, ubi motus humorum progressivus multo debilior est quam in vasis sanguineis, non nisi tarde ingrediuntur; hinc nulla proportio erit inter id, quod in glandulis separatur, & materiam peccantem corrigendam; 3) si humores crassi attenuarentur a medicamento, & ad massam sanguineam remearent, metuendum esset, ne idem humor per arterias ad locum affectum adductus pristinam iterum luderet scenam, & paroxysmum de novo produceret. Verum enim vero si quis dolorem per interna medicamenta ad tempus per opiata consopire prætenderet, sciendum, opiata non solum in partem affectam, sed & in cerebrum suam operationem exercere, adeoque metuendum esse, ne hoc ad recipiendam materiam morbificam disponatur, & sic metastasis ad partem nobiliorem promoveatur. Externa vero re-

media quod attinet, & primo quidem lenientia & emollientia, hæc conducunt, quia 1) viam & locum parant, in quo cauſa antecedens poſſit recipi, ne tam copioſe in articulos internos influat; 2) ſymptoma externum, dolorem ſcilicet, asſopiunt; nec nocere poſſunt hæc, ſiquidem materiam peccantem una cum cauſa antecedente ad partem externam aliquam derivant, antequam hæc ulli parti intimius fuerit affixa, & ſic præcavent, ne vel in affectam vel aliam partem irruat; quanquam autem ad interiora usque articulorum non adigantur, adeoque cauſam conjunctam non attingant, ceſſat nihilominus metus, ne eadem attenuata ad ſanguinem reverſa huic noceat, aut ad aliam nobiliorem partem transferatur. Narcotica externe parti affectæ applicata per poros corporis effluviis ſuis ſubtilioribus penetrant, & nervoſas papillas in cutis ſuperficie poſitas afficiendo ſenſationem doloris a tumore & inflammatione productam ad tempus tollunt, modo abuſum eorum caveamus; nec tamen putandum eſt, eorum ſphæram activitatis ad membranas usque articulorum ſeſe extendere. Repellentia mitiora externe admota calorem quidem & inflammationem temperant, non autem tantæ ſunt efficaciæ, ut humorem ad ſanguinem iterum repellant; adeoque cauſam conjunctam non attingunt. Sin fortiora in uſum vocentur, metus eſt, ne contrahendo partes & humorum, materiæ morbificæ attenuationem juvantium, influxum arcendo, materiamque peccantem, per ſe craſſam, magis inſpiſſando, magis obſint quam proſint. Diſcutientia quidem calidis & ſubtilioribus ſuis effluviis materiam morbificam attenuant, & in motum rapidiorem cient, ſicque a loco affecto expellunt, quoniam autem eandem ex corpore non proſcribunt, ſed ad vaſa iterum urgent, verendum omnino eſt, ne per vaſa adductoria illa iterum ad locum priſtinum deponatur, ſicque recidivam efficiat, aut nobiliori cuidam parti adhæreat. Quodſi igitur ab externo quodam præſidio cauſa conjuncta tolli debeat, illud hanc non ſolum attenuabit, & ad vaſa repellet, verum etiam pravam ejus conſtitutionem ita alterabit, & corriget, ut corpori nullam amplius noxam inferre queat. Quæ requiſita in emplaſtro de ranis cum quadruplici mercurio invenit Autor clariſſ.

riſſ. imprimis ſi illud cum tantillo boli Armenæ vel minii roboretur, ſub cujus uſu laxantia, diaphoretica vel diuretica interna vias præparabunt, ut per eas hoſtis hic ex corpore ſenſim ſenſimque exturbetur. Quoad curam præſervatoriam monita ſalubria ſuppeditat Noſter, quomodo partim cauſæ antecedentis incrementum inhibendum, partim materia morbifica in maſſa ſanguinea congeſta corrigenda & eliminanda veniat, aliquotque ſubnectit obſervationes.

Scrophulæ cum ſint morbus variis ſtipatus ſymptomatibus, genuina earum ſubminiſtrari definitio vix poterit; ſufficit jam ex Autore annotaſſe, conſiſtere hunc affectum in craſi depravata habituali humorum. Subjectum non ſolum glandulæ ſunt, ſed & interſtitia muſculorum, viſcera, tendines & ipſa oſſa. Cauſam conjunctam conſtituunt humores craſſi, viſcidi, obſtruendo humores excitantes, & quoniam cum acrimonia conjuncti ſunt, fibras erodentes. Differt hæc a podagræ cauſa conjuncta in eo, quod materia morbifica ſtrumarum ex cruditate non adeo auſtera conſletur, nec cum ſalibus acribus ejusdem generis ſit complicata. Quanquam enim humores ſint indigeſti, & acres, ſulphureæ tamen partes magis ſunt exaltatæ, & minus depreſſæ ab acidis, minusque infectæ ab acribus. Malum hoc ſæpenumero hæreditarium eſt, ab humoribus matris depravatis ortum ducens. Præcavendum igitur, ne infans, in utero matris ejusmodi ſtrumis defœdatæ hærens, eodem modo afficiatur. Propinanda itaque gravidæ ſunt, quæ cruditatibus primarum viarum præveniant, maſſæ ſanguineæ cruditates corrigant & fœtum roborent. Si vero in lucem editus fuerit infans, atque ſubſit metus, ne tincturam aliquam vitiatæ ejusmodi intemperiei per hæreditatem conceperit, opera danda, ut confortetur idem, atque incrementum fomitis morboſi intercipiatur, donec illos annos attigerit, ſub quibus validiora pro eradicando malo remedia aſſumere valeat. In adultioribus colluvies cruditatum viſcidarum in ventriculo & primis viis, imo in maſſa ſanguinea per evacuationes univerſales eſt eliminanda, diæta probe obſervanda, digeſtio promovenda, vitioſi humores, qui in ſanguine adhuc hærent, corrigendi, glandulæ tumentes per topica diſcu-

tiendæ, ſupparandæ vel extirpandæ, & ſymptomata mitiganda ſunt. Hinc venæſectio commendatur in corporibus plethoricis, vel ubi ſymptomata atrophiæ eandem non contraindicant. Purgantia validiora requiruntur ob tenacitatem materiæ, & talia ſeligantur, quæ attenuando materiam ad ſui excretionem diſponant. Maſſa ſanguinea digeritur & humores vitioſi corriguntur per martialia & decocta lignorum in robuſtis ſubjectis, in imbecillioribus per blandiora. In malo habituali ex corpore proſcribitur cauſa morbifica per ſalivationem imprimis in cholericis & phlegmaticis ægris, qualem tamen melancholici non æque bene ferunt. Ejus potius loco in his mercurius dulcis eſt propinandus & per purgantia corpus evacuandum. Quod diſcusſionem attinet, hæc felicius ſuccedit in conſtitutione ſanguinea, quam phlegmatica, & in hac citius quam melancholica. Cyſtici vero tumores admodum difficulter diſcutiuntur. Reliquis remediis emplaſtrum de ranis cum mercurio, cùm vitriolo Romano mixtum, præfertur. Si partes ſulphureæ in ægris maxime exaltatæ & ſanguis admodum calidus extiterit, ad ſuppurationem tendunt iſtiusmodi tumores, qui, poſtquam plenisſime fuerunt digeſti, vel per inciſionem vel cauſticum ſunt aperiendi. Extirpantur denique iidem, vel per exciſionem, quando non adeo profundum ſitum habent, nec vaſis majoribus adjacent; vel per eſcharotica, quando baſis eorum magna, & in vaſorum majorum vicinia ſit. Quoniam autem inter alios Scrophularum effectus ſpina ventoſa, ophthalmia & lippitudo obſervatur, de his ſeorſim agere inſtituit Autor clariſſimus.

Lues Venerea dependet a fermento præternaturali, maſſæ humorum communicato, occaſione volatilium, oleoſarum, acrium particularum ſeminis corrupti. Quemadmodum igitur venæſectio in hoc morbo convenit pro attenuandis humoribus, ut eo commodius mediante ſalivatione iſti queant evacuari; ita purgantia locum inveniunt, ad evacuandos humores crudos partim in primis viis, partim in maſſa ſanguinea ſtabulantes. Imo requiruntur etiam ea non ſolum, quando ſalivatio nimis augetur, quatenus per alvum excretio humorum determinatur, qui alias ad os confluxiſſent; verum etiam quando eadem non rite

ſuccedit,

ſuccedit, quatenus, dum craſſiores humores per ſeceſſum ejiciuntur, qui relinquuntur, tenuiores eo felicius ſub ſalivæ ſchemate prodeunt. Quid? quod eadem in declinatione ſalivationis maxime neceſſaria ſint, partim pro humorum vitioſorum reliquiis, partim pro particulis mercurialibus eliminandis. Emetica locum inveniunt in principio, quando humores mercurialibus particulis ſunt referti, nec tamen ſalivatio proſpere ſuccedit. Nec opiata contemnenda ſunt, quatenus præcavent diarrhœam, nimium humorum effluxum moderantur, & acrimoniam humorum temperando prohibent, ne particulæ eorum corroſivæ partes ſolidas exulcerent. Sic clyſmata obſtructum alvum non ſolum reſerant, ſed & nimiam ſalivationem mitigant. Salivatione finita diaphoretia nullo modo ſunt negligenda.

De cetero monendus eſt B.L. hiſce tractatibus tentamen *de febribꝰ intermittentibus* eſſe annexum, quarum rationem cauſamque veram ab acidis nitroſis particulis cum ſanguinis volatilibus ſalinis & ſulphureis fermentantibus, cutisque fibras corrugantibus & papillas nerveas vellicantibus Autor deducit. Diverſæ vero ſpecies febrium intermittentium producuntur, prout materia morbifica plus minus craſſa & acida, particulæ vero ſalinæ plus minus exaltatæ vel depreſſæ ſunt, ita ut vel breviori vel longiori tempore illa ſubigatur, corrigatur & extermінetur. Earum ſpecificum Cortex Peruvianus eſt, quatenus particulis amaris, adſtringentibus & aromaticis conſtat.

Beſchreibung des Vich-Preſtens.

i. e.

CAROLI NICOLAI LANGII, PHIL. ET MED. D. Acad. Cæſ. Leopold. Societ. Reg. Pruſſ. & Phyſico-Crit. Sen. atque Reipublicæ Lucernenſis Senatoris, Deſcriptio Contagii bovini, ab Anno 1711 ad 1714 in principalioribus orbis Chriſtiani Provinciis atrociter graſſati.

Lucernæ, apud Henricum Rennward Wyſſing, 1714, 8.
Plag. 14.

 Non

NOn ſolum in Italia extitiſſe Medicos, quos in Actis his A. 1713 Menſ. Martio p. 111 & ſqq. & in Supplem. Tom. V Sect. X p. 461 & ſqq. commendavimus, verum etiam in Helvetia repertos fuiſſe, qui commodi publici gratia de Epidemia contagioſa boum ſcripſerunt, præter alios præſens tractatus ſatis teſtatur, qui in tres tomos diſpeſcitur, quorum I in originem & cauſas in uirit contagii hujus, II therapiam curatoriam, III præſervatoriam deſcribit. Ex clariſſimi Langii mente, cujus tractatus de origine lapidum figuratorum in Actis A. 1710 Menſ. Februar. p. 81 & de Hiſtoria eorundem Anno 1709 Menſ. Januar. p. 17 laudavimus, ut cujusvis peſtis, ita hujus etiam contagii eſſentia in ſale quodam volatili, ſubtili & ſpirituoſo conſiſtit, quod facile hinc inde diſpergitur, ubique adhæret, & in poros corporum ſeſe inſinuat, ſpiritibusque ad illud ſuſcipiendum diſpoſitis ſe immiſcet, ac inde motum horum naturalem vel ſufflaminat, vel aliter determinat. Ad concipiendum autem hoc miaſma requiritur conformitas ſpirituum, propter quam ſympathetico quaſi quodam modo talem unionem & miſcelam inire queant. Quodſi autem venenum peſtilentiale ſenſim atque ſenſim ſummum vigorem adeptum eſt, non ſolum conſimiles ejusdem generis ſpiritus aggreditur, ſed & alia adoritur animalia, (quem ſiniſtrum eventum quemadmodum Autor Cl. non ſine cauſa metuit, imo paulo poſt refert, venatores vulpes & alias feras mortuas ſe reperiiſſe, teſtatos eſſe, a quarum eſu etiam lupi & corvi abſtinuerint; ita contagium ad porcos, anſeres & gallinas in Alſatia tranſiiſſe, ex Relationibus publicis nuper accepimus) imo & homines. Turbato ſic ſpirituum motu putredo in corpore oritur, quam maſſa ſanguinea, itidem in textura ſua corrupta, fovet & auget. Huic veneno volatili ſal aliquod arſenicale permixtum fuiſſe, fuſius probatur. Inter cauſas externas porro Noſter allegat prelium ultimum inter Turcicum & Moſcoviticum exercitum commiſſum, poſt quod cadavera militum pariter ac boum ex nutrimenti & culturæ defectu defunctorum inhumata contagium aliis armentis communicatum & in Venetam ditionem cum boum grege transportatum fuit. Hoc autem in generis humani peſtem tranſiturum non credit; carnes interim

rim tali morbo defunctorum boum, corium item & ſevum pro uſu domeſtico adhibere prohibet. In Cura Antidotum deprædicat, quod D. Romeiſen contra hoc contagium invenit, ex ſpiritu fuliginis cum nitro, theriaca & aceto vini parandum; cui ſimile, ſed ſpirituoſius Autor noſter commendat remedium, allegatis ſimul aliis medicamentis, internis æque ac externis, quæ a variis Authoribus & Collegiis ſanitatis in uſum fuere vocata. De cetero qua ratione boves ægri ſint tractandi, ſani præſervandi, & regiones vicinæ ab hoc contagio præmuniendæ, uberius exponit. Plura addere ſuperſedemus, cum ea ex ſupra allegatis locis ſint petenda.

SPECIMEN CONJECTURARUM POLITICARUM de Origine & Natura Legum Germanicarum Privatarum antiquarum, earumque ad ſtatum præſentem Provinciarum Germaniæ inprimis ad Terras Proteſtantium habitu, in quibus tam breviter Legum Germanicarum hiſtoria exhibetur, quam potiſſimum in earum naturam ex æquitatis & prudentiæ legislatoriæ principiis inquiritur & communia quædam circa hanc doctrinam præjudicia diſcutiuntur a M. CHRISTIANO GODOFREDO HOFFMANNO.

Lipſiæ, apud Hæredes Frider. Lanckiſii, 1715, 4.

Alph. 1 plag. 4.

PAuci ſunt anni, ex quo antiquæ Germanorum leges & conſuetudines in Jure-Conſultorum ſcholas revocatæ fuerunt. De earum reductione egregia multa in jurisprudentiæ Germanicæ emendatione polliciti ſunt Viri doctiſſimi. Commoverunt ea hujus ſcripti Autorem clariſſimum, ut examinanda ſuſceperit eorum conſilia, qui multis argumentis atque encomiis majorum inſtituta & mores noſtro ſeculo commendare ſolent. In quo labore ita verſatus eſt, ut Capite primo ex Prudentiæ Legislatoriæ principiis generalia de Legum ad rempublicam habitu propoſuerit; his enim præſuppoſitis faciliorem ad concluſiones, quarum veritatem probare intendit, viam fore credidit. Agitur in hoc capite de primariis circa legum ferendarum prudenden-

p. 9.
p. 1.

dentiam requiſitis, quorum præcipuum eſt, ut leges ſtatui civita-
tis, in qua obſervandæ ſunt, conveniant. Ex hoc fluit, leges
gentium peregrinarum rariſſime ad aliorum populorum condi-
tionem quadrare; mutandas ſæpius eſſe leges & ita nullas perpe-
tuas eſſe; facie rerum mutata leges obſoleſcere: obſoletas au-
tem velle revocare tam inepte actum eſſe, ac ſi peregrinas intro-
duceremus. Poſt hæc legum ſimplicitas, perſpicuitas & certi-
tudo commendantur, ſolennitatum frequentia vituperatur, lin-
guæ peregrinæ & genti, legibus utenti, incognitæ uſus notatur,
tandemque prærogativa juris ſcripti præ jure non ſcripto & con-
ſuetudinario contra diſſentientes, inprimis Illuſtris Thomaſii diſ-
p. 6. ſertationem *de Morum cum Jure ſcripto contentione* defenditur.
Sequitur Caput ſecundum, in quo ad duo reſpexiſſe videtur Au-
tor. Nam primo legum & conſuetudinum Germanicarum Hi-
ſtoriam accuratiorem eruere & tam originem quam autoritatem
iſtarum legum examinare conatus eſt. Secundo in eo occupa-
tur, ut naturam & conditionem earum explicet, æquitatem &
iniquitatem, prudentiam & imprudentiam, cumprimis conſilia
Clericorum ſecularibus ſe negotiis immiſcentium indicet. Con-
ſtituit Autor varias Periodos & ab antiquiſſimis temporibus ad
Seculum XV usque progreditur. Prima Periodus de Germa-
9. norum Legibus ante Julii Cæſaris tempora agit, quæ eſt obſcu-
riſſima: hinc pauca monet, niſi quod ex idololatria veterum
Germanorum inferat, jam hoc ævo leges habuiſſe Germa-
nos, cum religio e hominum figmentis nata ſubtile in ſub-
12. jectos exerceat legum imperium. Pergit ad Periodum ſecun-
dam & faciem legum Germanicarum, quam ante quintum Se-
culum habuerunt, repræſentat. Multa ex Taciti libello de Ger-
manorum moribus hauſit, quem commendat, ejus vero lectio-
nem caute inſtituendam eſſe ſuadet, cum Tacito rerum Roma-
narum tædio laboranti placuerit Romanorum mores recenſione
13. morum gentis barbaræ exprobrare. Agit quoque de Rerumpu-
blicarum Germanicarum ſcopo, quem contra Conringii, Hertii,
Werlhofii ſententiam non tam bellum, quam vitam liberrimam,
lucrum, rerum ſufficientiam & abundantiam fuiſſe probat. Ce-
terum Germanos jam ea ætate leges certas & publico con-
ſenſu

ſenſu approbatas habuiſſe, manifeſtum eſſe credit; cumque legum iſtarum conditionem deſcribit, incidit quoque in morum Germanicorum inquiſitionem; ubi iis non aſſentiri vult, qui nimii in laudibus veterum conſuetudinum ſunt. Res eo redit, quod, quæ bona de Germanis memorarunt Scriptores, per contraria teſtimonia reddi poſſe dubia, viderit, vel ſi quid in iis laudari mereatur, illud potius ex vitiorum ignorantia, vitæ genere &c. profluxiſſe, quam genuinos ſuos natales ſanioribus virtutis debere principiis, opinetur. Sequitur Periodus tertia, quæ ſtatum legum Germanicarum a Seculo V usque ad Caroli M. tempora ſiſtit. Præmittit generalia de Germanorum eorumque le- p. 19.
gum conditione, cumque ampliſſimus iſte populus in diverſas abierit gentes, harum inſtituta, leges & conſuetudines, cum ex legum facta conſignatione, tum ex Hiſtoricorum teſtimoniis illuſtrat, primo ad gentes ſe convertens, quæ in Germania perpetua ſua retinuerunt domicilia, poſt has ad eas progreſſus nationes, quæ in alienas terras migrarunt & patriæ plene valedixerunt. De prioribus prius dicendum erit. Ut hic diſtinctius procederet Autor, novas ſectiones fecit, quarum prima hiſtoriam legis Salicæ continet. Loquitur hic Autor de tempore la- 22.
tæ legis Salicæ, de quo firmum judicium ex Salicarum legum ſcriptis ferri poſſe dubitat; lingua, in qua Salica lex primitus fuerit conſignata, ipſi Germanica fuiſſe creditur, fragmenta quo- 24.
que legum Romanarum in Salicis legibus deprehendit; autoritatem diu obtinuiſſe, ex teſtimoniis probat, & in deſcribenda Salicæ legis conditione & natura prolixior eſt. Progreditur ad Se- 31.
ctionem ſecundam, quæ de Ripuariorum legibus tractat. Collegit hic quædam de harum legum autoribus, ætate & convenientia cum legibus Salicis: dumque in naturam harum legum inquirit, 34.
in probationum vulgarium & canonicarum deſcriptionem incidit, præſertim Judicii duellici originem & æquitatem examinat, illudque pro iniquiſſimo habet, ſuasque rationes adducit, cur contrariam Illuſtris Thomaſii & Dn. Ephraimi Gerhardi 40.
ſententiam amplecti nequeat. Reliquas obſervationes ſilentio præterimus, quæ partim arcana Hierarchiæ contra Laicorum jura detegunt, partim varias conſuetudines Germanicas expli-

cant. Ad Leges Alamannorum devenimus, de quibus Sectio
III agit & tam brevem historiam harum legum, quam non-
nullas annotationes in Alamannorum jura exhibet. Loquitur
de iniquitate Asylorum, rerum Ecclesiasticarum privilegiis, ex-
communicationis abusu, superstitioso Sabbathi cultu, matri-
monialibus legibus, Servorum conditione, hereditatis & succes-
sionis jure, circa quod inter alia observat, non paucos Ducatus
p. 46. jam tum isto ævo hæreditarios fuisse. Alamannicas excipiunt
Sectione IV Bajuvariorum leges, quarum historiam æque ac
naturam paucis exponit, & pecuniariam pœnam ab antiquis
Germanis in homicidas statutam excusat, ineptissimas dictorum
Sacræ Scripturæ in legibus Bajuvariorum occurrentes citationes
50. taxat, & de vocis Alode significatione quædam monet. Post
hæc ad Sectionem V & leges Burgundionum se convertit, quæ
Romanorum jurisprudentiam sapere ipsi videntur, & non adeo
multa antiquorum Germanicorum morum conservasse vestigia.
52. Hinc Sectione VI ad Fresonum sive Frisionum leges progredi-
tur, quarum ætatem cum aliis definire non audet: potius in
eam inclinat sententiam, factam privati studio collectionem Fri-
sicarum legum eamque temporis successu modo auctam, modo
correctam fuisse; injicit quoque legum in conventu Opstalbo-
mico anno M CCC XXIII sancitarum mentionem. Ordo tan-
55. git Sectione VII Angliorum & Werinorum leges, ubi dispu-
tationes de harum gentium sedibus & nominibus in dubio
relinquit, & in eo acquiescit, quod pro nationibus Saxonicis An-
glos & Werinos certissime habeat: animadvertit autem in iis
præ reliquis originem distinctionis juri Germanico familiaris in-
57. ter utensilia & expeditoria bona. Sectione VIII Historia le-
gum Saxonicarum communicatur. Saxones ante Carolum
M. certas leges habuisse, probari posse ipsi videtur: eas, quæ
circumferuntur, Carolo M. adscribere dubitat, differentiam in-
ter Saxonicas leges propter diversitatem gentium sub Saxo-
num nomine cognitarum attendendam monet, & tandem Ca-
roli M. Capitulationem de partibus Saxoniæ recenset, immixtis
63. observationibus naturam istarum legum illustrantibus. Tan-
dem Sectione IX Slavicarum legum mentio fit: gentem Sla-
vorum;

vorum diverſiſſimos a reliquis Germanis ſervaſſe mores, conſtat; uti etiam eam legibus non fuiſſe deſtitutam, multis docetur teſtimoniis. Et ita hiſtoriam Legum, quas obſervarunt gentes in Germanico ſolo degentes, exhibuit: in ſequentibus nunc paginis pergit ad inſtituta Gentium, quæ e Germania egreſſæ nunquam ſunt reverſæ. Brevitati ſtudet, cum harum gentium mores per mixturam aliorum populorum mutatos fuiſſe deprehendat. Attingit tamen potiſſima & Sectione I de Gothorum, Sect. II de Wiſigothorum, Sect. III de Oſtro-Gothorum, Sect. IV de Longobardorum, Sect. V de Anglo-Saxonum legibus agit. His abſolutis, Periodum IV a Carolo M. inchoat, ejusque terminum in deficiente ſtirpe Carolina ſtatuit. Agit hic de Caroli M. legibus, & in ſententiam verborum, quibus Eginhartus in recenſione factæ a Carolo legum collectionis utitur, inquirit. Eam a Carolo inſtitutam collectionem non tam ad publicum gentium uſum, quam ad privatam Caroli notitiam fuiſſe compoſitam autumat. Habes hic hiſtoriam Capitularium, eorumque contenta, nec non relationem de Judiciis, inprimis Weſtphalicorum Judiciorum origine, & quæ ſunt alia. Recenſet porro Capitularium a Ludovico Pio rogatorum contenta: & tandem factas Capitularium tam ab Anſegiſo quam Benedicto Levita aliisque Collectiones examinat. Periodus V ſtatum legum Germanicarum a Seculo decimo usque ad Collectiones famoſas legum & conſuetudinum Germanicarum contemplatur. Hic monet, Germaniæ faciem multum fuiſſe mutatam: incepiſſe Status Imperii magnæ eſſe autoritatis; leges univerſales & Capitularia obſoleviſſe; Comitia univerſalia parum de privatis legibus diſpoſuiſſe; plurimas conſtitutiones de Pace publica egiſſe. Agit quoque de legibus, in campis Roncaliæ latis, de Henrici Aucupis & Ottonis legibus, de jure manuario, & origine Judicii Auſtregarum. Ceterum hanc commendat in hujus & ſubſequentium Periodorum hiſtoria regulam: in ſcrutinio Jurium Germanicorum non tam attendendas eſſe conſtitutiones publicas, quam mores, conſuetudines & leges particularium provinciarum. Circa finem hujus Periodi modum & cauſas receptionis Juris Canonici & Romano-Juſtinianei per compendium

p. 63. 75. 77. 87. 92. 97. 99. 101.

 enarrat.

enarrat. Reſtat Periodus VI, quam de Collectionibus Legum
& Conſuetudinum Germanicarum inſcripſit. Sectione I Spe-
culi Saxonici fata perquirit, & de ejus Autore, idiomate, editio-
nibus, inprimis autoritate agit, circa quam diſtinguendum inter
Juris Saxonici & Speculi Saxonici valorem ſuadet: hæc enim
confundi credit. Demonſtrata vero Juris Saxonici autoritate
in Luſatia, Sileſia, Bohemia, Polonia, Poruſſia, Ducatu Anhalti-
no, Holſatia, Marchia, Principatu Halberſtadienſi, Ducatu Bre-
menſi, Weſtphalia, Pomerania &c. conditionem Speculi Saxo-
nici inſpicit, & multa obſoleta, duriſſime conſtituta, neglectum
connexionis, fabularum frequentiam & immixtionem Juris Ro-
p. 112. mani &c. notat. Sectio II Hiſtoriam Juris Weichbildici Mag-
deburgenſis continet. Autor hic multa, quæ Jura Epiſcopatus,
Burggraviatus, Scabinatus & Civitatis Magdeburgenſis concer-
nunt, refert, & pro inſtituti ratione de Jure Weichbildico & ejus
119. autoritate diſſerit. Eadem ratione Sectione III in Hiſtoria Spe-
culi Suevici verſatur, in qua controverſiam de ætate Speculi
Suevici præ Saxonico movet; & poſterius reſpectu ætatis ante-
ponit priori. Ubique obſervationes inſpergit, quæ ad Germa-
137. nica jura ſpectant. Sectio IV Juris Lubecenſis fata repetit: ori-
ginem ejus cum Meibomio ex Suſatenſi jure derivat: diffundit
ſe ob materiæ affinitatem in Juris Wisbyenſis Hiſtoriam, & poſt-
quam nonnulla de autoritate & conditione Lubecenſis Juris di-
145. xit, Sectione V varia Provincialia Jura & Statutaria antiquiora
recenſet. Nam ita Bavarici, Tyrolicorum, Auſtriacorum, Ju-
ticorum jurium mentionem injicit, imo etiam ad jura ſtatutaria
progreditur, & leges municipales Colonienſes, Aquisgranenſes,
Bremenſes, Brunſuicenſes, Cellenſes, Goslarienſes, Metallicas,
Luneburgenſes, Argentoratenſes aliasque producit. Tandem
161. Sectio VI de Conſuetudinibus earumque natura agit; remo-
vet primo definitiones, quæ in ſcholis JCtorum Romanorum de
conſuetudinum natura dari ſolent. Eam in Germaniæ foris ali-
ter comparatam eſſe credit. Sub conſuetudinum voce fre-
quenter etiam jura ſcripta venire, earumque appellatione pluri-
mum jura provincialia & ſtatutaria in Imperatorum diplomati-
bus inſigniri docet: refert huc obſervantias, quas in publicis &

privatis

privatis scriptis sæpius allegari audimus: optat, ut doctrina de consuetudinibus Germanicis majori studio excoleretur, & publica colligerentur autoritate jura ista solo usui hactenus innitentia. Hac via ingreditur Autor, donec ad tertium pervenerit Caput, in quo decisionem quæstionis suscipit: an jura ista Germanorum antiqua & privatorum negotia respicientia prudenti consilio hodiernis Germaniæ foris reddi debeant. Primo ostendit confusionis jurium in Germania, & neglectus domesticarum legum ortum & progressum. Post hæc reductionem jurium Germanicorum antiquorum pro re impossibili habet, cum partim genuinis antiqua jurisprudentia destituatur fontibus, partim consilium, quod per Doctores in Academiis veterum leges & consuetudines revocari debeant, insufficiens sit. Porro non suadendum esse, ut jura antiqua in Germaniæ foris & JCtorum scholis in integrum restituantur, si vel maxime eorum reductio præstari posset, sibi persuadet. Hæc ut probet, collationem inter præsentem & antiquum Germaniæ statum instituit, multum inter se differre credit, & inde concludit, diversis legibus indigere. Notat quoque, Cleri Pontificii doctrinis omnem antiquam jurisprudentiam corruptam fuisse, & hinc a revocatione Jurium papizantium abhorrere Protestantium provincias. Ultimo nævos Jurium antiquorum Germanicorum per compendium nominat, & tandem concludit, jurisprudentiam Germanicam non tantum nullam sperare posse ex antiquarum legum & morum restauratione emendationem, verum etiam nonnullarum veterum consuetudinum, hodie adhuc observatarum, abrogationem promovendam esse.

p. 171.

179.

181.

184.

187.

JOANNIS FABRICII AD C. A. H. MEDITAtionem orthographicam, Actis Eruditorum Mense superiori p. 16 & seqq. insertam.

OPtima pace mea Cl. Vir, qui sub literis C. A. H. latere vult, examinare potuit meas *ad non neminis dubia de Orthographia Latina Responsiones*: sicut enim dissentientes, ita & censores, in primis humanos, facillime ferre possum. Sed nec ingratum erit, spero, litteratissimo Viro, meas ad ipsius argumenta audire

audire explicationes. Ante omnia ex tractatione mea, ejusque titulo, perſpicere potuiſſet, me non regulas & leges Orthographiæ dare, ſed verſari in ſtatu defenſionis, atque adeo *reſpondere* duntaxat *ad alterius dubia* ſive objectiones. Aberrat igitur a janua eruditiſſimus Cenſor, quando ait: *mihi videri, divellendas eſſe in minutiore ſcriptura diphthongorum litteras:* nam ego meum ſcribendi morem, ab altero oppugnatum, defendo tantum ac tueor, cumque ille *Eraſmi, Lipſii, Manutii, Voſſii, Gronovii*, & *Grævii* autoritatem objeciſſet, reſpondeo hunc in modum: *Si vel maxime probatum hoc eſſet de Criticis hiſce*, (at de *Manutio*, uti demonſtravi, falſum perhibetur, & ceteris alii non minorum gentium, interque eos *Schubartus*, qui verum *Georgii* prænomen pag. 53 fert, opponuntur) *nusquam tamen legimus, eos præceptum ac regulam dediſſe, & jure meritoque dare potuiſſe, ſic & non aliter ſcribendi.* E quibus verbis ſatis patet, nec me præcipere voluiſſe aut potuiſſe, meam ut alii ſequerentur ſcribendi conſuetudinem, ſed tantum velle meam mihi etiam relinqui libertatem. Cumque ſermo eſſet non de *ſcriptura*, quæ manu exaratur, ſed *ea, quæ typis exprimitur*, non erat, quod de diſtinctione illa in medium proferenda laboraret Vir præſtantiſſimus. Neque vero *nego*, multo minus *ſimpliciter* nego, *ſuper adverbiis ponendos eſſe accentus, & ſuper ablativis tectula*, ſi id de aliorum libertate velit intelligi, ſed hoc ſolum dico, *iſtos accentus & tectula e ſcholis trivialibus prodiiſſe, litteratoribus autem & veris Grammaticis ac Philologis faſtidium movere*, ex iisque nomino *Scaligerum, Muretum, Voſſium, Meliſſum, Sanctium, Daumium*, & Chriſtoph. *Cellarium*; quibus multi alii addi poſſent. Loquor igitur de ſententia & ſcriptura celebrium Criticorum, quam quidem & ego ſequor, eaque morem defendo meum, nulli unquam controverſiam movens aut moturus, qui accentus & tectula appingere voluerit. Neque alios intelligo & exſpecto *lectores*, niſi eos, *qui linguæ ſatis ſunt periti:* dubitator enim ſive opponens putabat, quamvis ſcripturam, non ſolum ſcholaſticam, ſed & eam, quæ fit inter eruditos, ſic inſtruendam eſſe, prout ipſe a puero conſueverat, atque audiverat, multique adhuc facere ſolent. Ceterum *rationem* interdum

ſuadere,

ſuadere, notulæ illæ ut apponantur, facilius dicitur, quam probatur: cauſa enim hæc, quod *ſæpe vel doctiſſimi, hoc adminiculo deſtituti, labi queant atque errare*, rem non conficit; nam tales errores non tam a doctiſſimis, quam a pueris & juvenibus linguæ nondum gnaris, aut, ſi forte a viris, non tamen a ſolertibus ac prudentibus, committuntur: erratur etiam aliis modis, ubi tectulorum & accentuum abſentiæ nulla poteſt dari culpa: ſenſus ex integro textu, ejusque antecedentibus & conſequentibus, accedente aliorum interpretandi mediorum uſu, quam optime cognoſcitur, in ſcholis autem a peritis magiſtris docendus atque monſtrandus eſt: nec ullum eſt ex allatis a diligenti Meditatore exemplis, quod non ad hunc modum, ſine illo adminiculo, probe cognoſci, capi & exponi queat: immo nec aliud medium, præter accuratam ſenſus conſiderationem, ipſe habet Vir Cl. ad ſtructuram ſuorum accentuum & tectulorum; exemplis illis fruſtra adjungitur *Conringiana Taciti de Moribus Germanorum editio*, quaſi & ipſa c. XXXIV, 2 vocabulo ablativi caſus *illa* tectulum ſuperimpoſuerit; mea enim, quæ prodiit A. 1678, ſub dio & in aprico vocem illam collocat; quod ſi autem quædam e prioribus (dantur enim editiones A. 1635 & 1652) haberet ejusmodi ſignum, atque ſic conſueviſſet ſcribere Vir ſummus, non jus inde ac debitum probatum foret, ſed factum & mos ſcribendi; at vero mihi facile eſt, ipſa Conringii manu, quam variis in chartis poſſideo, contrarium probare atque oſtendere: *Tacitus* Berneggeri, *Gellius* Gronoviorum, *Cicero* Manutii, Jo. Sturmii & Cellarii, *Curtius* Freinshemii, Rappii & Loccenii, nihil habent iſtarum notularum, & tamen illa ipſa loca, quæ in Commentatione omnino ſignanda judicantur, quam optime ſine illis ſignis intelliguntur, immo a prædictis Commentatoribus ne quidem pro obſcuris habentur, aut annotatione illuſtrantur: in Gronoviorum Gellio, ſicut & in Gronoviani Plauti locis plurimis legitur *poſt illa, poſtilla* Lipſiana cum pleno & integro ſuo tecto, eheu! miſere corruente ac pereunte: Manutius, Sturmius & Cellarius in XII epiſtola libri V *Ciceronis* ad familL legunt, *quæ nunc expromam abſens audacius*, ſenſu certe non improbo, juxta quem vero Critice de *quô* plane ceſſabit:

bit: Ciceronianum verbum *utere* lib. I de Offic. c. 1 non potest fere aliter nisi in futuro sumi, ob tria præcedentia, & unum sequens futuri temporis; quanquam omnia hæc futura imperii ac præcepti vim in se continere, quid vetat dicere? præscribit namque M. Tullius, quid faciendum sit: eccur, si omnino fas est, obscuritatis removendæ causa, notularum apicibus nonnullas munire voces, e.g. secundam futuri Indicativi Deponentis aut Passivi in *ere* desinentem, & ablativum singularis in *o* exeuntem, non idem fit, ac fieri jubetur in aliis, quæ itidem inter se conveniunt, & linguæ rudibus (peritis non est periculum) obscuritatis & erroris causa esse possunt, e.g. in ablativis pluralis numeri, non discrepantibus a dativis ejusdem numeri, ut *dominis*, atque in vocabulo *judices*, quod vel nomen est, & tunc sive nominativus, sive accusativus, pluralis numeri, vel secunda singularis præsentis Conjunctivi? Nullum in hisce fit signum, phylacterium nullum. Cur igitur eo opus sit in aliis similis conditionis? eccur, quæso, in jus vocatur, qui nemini regulam & legem præscribens, ab aliis vero, quorum jurisdictionem non agnoscit, præscriptam accipere recusat, nec minus ratione, quam auctoritate, eaque non unius, sed plurimorum eminentium in re litteraria Virorum, atque ipsorum etiam MSS. cum antiquorum, tum posteriorum, se potest tueri? Denique videat eximius Vir, ne iterum a statu controversiæ recedat, & Andabatarum more pugnet, quando judicat, *scripturam* sſ *probam esse*, *alteram cum* ſſ *minus probam*: nam in fine vocis, aut lineæ hoc s, quod minus vocant, in vulgari seu lombardica scriptura locum habere, nemo certe inficiatur; quæritur autem, an & in medio vocis minus præponendum sit majori, seu longiori. Et hoc est, quod negat *Daumius*: aptisne, an ineptis rationibus, meum non est inquirere, aut pro iis decertare: ego enim nudam ejus auctoritatem, quæ alias litterario in orbe non plane nulla est, adduxi; Clarissimo autem Meditatori, & cuivis alii, hac etiam in re liberam dissentiendi, & *sſ*, aut *ſs*, vel, si mavult, *ss* intra unum idemque vocabulum pingendi viam lubens meritoque permitto; sed & meam mihi reservo, præsertim cum ratio a *fine syllabæ* allata valde imbecillis sit, & inde concludendum videatur, etiam

etiam reliquas fere omnes literas, quæ syllabam in voce absolvunt seu terminant, & quas eadem in altera syllaba excipit litera, minori figura exprimendas esse, e. g. prius *a* in Baal, *b* in gibbus, *c* in occidens, *d* in addere, *e* in eleemosyna, *f* in offendere, *g* in agger, *i* in periit, *l* in pollere, *m* in summus, *n* in connectere, *o* in cooperare, *p* in supplere, *r* in currere, *t* in mittere, *u* in fructuum, *z* in polizza. Hoc autem non necessarium judicatur, nec de eo exstat SCtum Grammaticorum, multo minus ei favent, unde Latinitatem veram discimus, autores classici. Ergo & scripturæ ſſ in medio vocis, si placet, locus permittatur, nec illa ut *minus proba*, illico condemnetur & proscribatur.

Historische Beschreibung des vormahligen Bischoffthums Halberstadt.

i. e.

ANTIQUITATES HALBERSTADENSES, Autore JO. GEORGIO LEUCKFELDIO, Pastore Prim. Grœningensi, & Regiæ Societatis Berolinensis Socio.

Pars I.

Guelferbyti, apud Godofr. Freytagium, 1714, 4.
Alph. 4 plag. 5.

EAdem, qua hactenus, diligentia Summe Reverendus Autor Germaniæ nostræ historiam illustrare pergit, jamque primam Halberstadensis historiæ partem nobis exhibet. Quamvis enim titulus id non indicet, ipsa tamen operis constitutio illud loquitur, quum ab A. 814 incipiat, & ad annum saltem 1122 pertingat, adeoque minimam Halberstadensium Antiquitatum partem absolvat. Neque tamen ista periodus, quam jam determinavimus, tantam Autori Summe Reverendo materiam subministrare poterat, ut non nisi de Halberstadensium rebus agendo totum hoc volumen impleret. Sed Germanorum quoque Imperatorum pariter atque Romanorum Pontificum acta per singulos

annos adnotata heic videas, ut hac ratione tum Halberſtadenſem, tum totius Germaniæ hiſtoriam eo melius illuſtraret. Obſervavit ergo ſingula Imperatorum itinera, quum nullam iis temporibus ſedem fixam habuerint, quorum plurima quoque ad noſtri Epiſcopatus hiſtoriam ſpectant. Hinc adeo non eſt, quod integri voluminis contenta percenſere neceſſe habeamus, quum res ex aliorum monumentis non incognitæ ſint, ſed potius hinc & inde quædam excerpemus, quæ de Celeb. Autoris ſoliditate & diligentia teſtimonium ferre queant.

In ipſo ſtatim operis primordio de nomine Halberſtadii ſollicitus eſt, variasque variorum de eo ſententias profert, quas tamen ubi perpendit, ipſe confitetur incertum eſſe, unde hoc nominis derivatum ſit, neque adeo opus eſſe, ut accuratius in iſta
p. 8. inquiramus. Poſtea vero ad ejus urbis ſitum delineandum
10. pergit, variosque pagos, qui ad Halberſtadenſem diœceſin ſpectarunt, quorum nomina ſunt, *Nordthuringia, Hartingau, Darlingau*, *Haſingau* & *Suevon* ſive *Schvvabgau*. Ubi certe plura occurrunt, quæ Geographiæ mediæ magnam lucem accendunt. Primus hujus Epiſcopatus fundator a plerisque traditur Carolus
22. M. quibus tamen Autor noſter nullam fidem habet, ſed Ludo-
28. vicum Pium potius pro primo ejusdem inſtauratore agnoſcit. Cum vero de primis Epiſcopis pauca reperiantur in hiſtoriarum monumentis, Autor quoque de iis pauca habet, ſed Impe-
68. ratorum potius & Pontificum res, ut diximus, enarrat. Inter alia occaſione Haymonis, qui tertius in ordine fuit Epiſcopus, refertur, ipſum non admodum de ſecularibus fuiſſe ſollicitum, eorum vero adminiſtrationem Ruodgero cuidam ex ſuis concrediddiſſe. Is quum res ſuas fideliter egiſſet, a patrono villam dono accepit Halberſtadium inter & Aſcaniam ſitam, quam ipſe magis auxit, a patroni vero nomine nomen ipſi pariter ac generi ſuo impoſuit, *Haym*, quod poſtea in *Hoym* ſucceſſu temporis deflexit. Inde vero plurimi originem Dominorum ab *Hoym*, quorum familia apud nos eſt celebratiſſima, non incongrue de-
70. ducunt. Poſtea Haymonis jam dicti ſcripta recenſentur, ubi
72. Autor noſter votum addit, ut ex illis bonis, quæ ipſe Epiſcopatui addidit, ſumtus ad novam editionem operum ipſius procu-

randam

randam erogentur. Sed veremur, ne hoc ipſum hoc tempore irritum ſit, quum, ut alia taceamus, eorum Patrum ſcripta, qui ſequiori ævo vixerunt, nihil fere habeant quod ad hodierni ſeculi guſtum faciat. Ut ad alia progrediamur, eſt hodie vicus quidam *Triburiam* ſive *Driburgum*, ad Haſſo-Darmſtadinam ditionem ſpectans, nunc fere ignobilis, nec aliquod antiquitatis veſtigium præ ſe ferens. Auctor vero obſervat, villam ſive curtem Regiam olim ibi fuiſſe, ubi plura Comitia ab Imperatoribus celebrata ſunt, variaque transacta, quæ apud hiſtoricos memorantur. Hinc obſervatio iſta mediæ hiſtoriæ & geographiæ amatoribus non poteſt non eſſe gratiſſima. Sequitur porro obſervatio de primo Henrici Aucupis conjugio, quæ digna omnino eſt, ut hic repetatur. Nimirum Henricus iſte, quum nondum Rex eſſet, uxorem duxit Hathebrucham, Erwini Senioris, Comitis Altſtedenſis & Martisburgenſis, Filiam, quæ quidem priore marito erat viduata. Quum ergo poſt ejus obitum in quodam virginum monaſterio degeret, quod reliquum erat temporis ibidem transactura, Henricus eam matrimonio ſibi jungi curavit. Itaque Sigiſmundus Halberſtadenſis Epiſcopus conjugium hoc, prout tunc temporis eccleſiaſticæ conſtitutiones ferebant, irritum pronuntiabat. At quum ipſe minis eccleſiaſtici fulminis rem ſtatim conficere non poſſet, apud Conradum Imperatorem tam diu conqueſtus eſt, donec is, quamvis invitus, illegitimum hoc matrimonium pronunciaret. Quo facto Hartbrucham, ex qua Tangmarum filium ſuſceperat, dimiſit, eaque adhuc ſuperſtite Mathilden illam, cujus apud hiſtoricos memoria eſt celebratiſſima, uxorem duxit. De Gerone quoque, Marchione, de quo multa Brandeburgici ſcriptores proferre ſolent, Noſter quædam habet, præcipue de fundatione Gerenrodenſis monaſterii. Controverſiam tamen illam, an *Marchio*, an vero *Dux* fuerit, Noſter tribus ſaltem verbis attingit. Obiter quoque monetur, Autori iſti, cujus *Annales Gerenrodenſes* tomo II Meibomiano leguntur, non *Hoppenrodii* ſed *Poppenrodii* nomen eſſe. Non infrequens in media hiſtoria mentio eſt curtis Imperatoriæ, quæ *Tullede*, *Dullide* &c. ſcribitur. Autor vero noſter oſtendit, villam hoc tempore exigu-

p. 95.
107 ſ.
210 ſ.
213.
252

p. 288. am esse ad Hercyniam sylvam, quæ non procul ab antiquo Palatio Walhusa, & urbe Kelbra distat. *Sachsenburgum* quoque duplex olim fuisse ostendit ad meliorem Geographiæ mediæ lucem. Prius erat Imperiale palatium ad medium Hercyniæ tractum non procul a monasterio Walckenredensi juxta villam *Sachse* situm. Alterum vero quinque ab hoc miliaribus distabat, non procul ab Unstruto, Francohusam inter & Erfurtum;
424 f. cujus etiam apud Melissantem in libro vernaculo, quo montanæ Germaniæ propugnacula enumerat, occurrit descriptio. Utriusque hodienum apparent rudera & vestigia. Notatu digna sunt, quæ de Swidgero, qui Canonicus primum Halberstadensis, post Episcopus Bambergensis, tandem Pontifex Romanus sub nomine Clementis II fuit, ejusque patria Noster collegit, quippe
427. pe quæ hactenus a nemine historicorum satis explicata fuerunt. Occasione schismatis inter Halberstadienses Canonicos orti, qui
539. duos Episcopos creaverant, Autor noster monet, in aliis etiam Episcopatibus circa A. 1090 & sequentes duos fuisse Præsules, Romani tunc Pontifices fuere Clemens III & Urbanus II, Halberstadenses Episcopi Herrandus & Fridericus, Paderbornenses, Henricus Comes de Werla & Henricus Comes de Asslo, Magdeburgenses Archi-Episcopi, Hartvicus Abbas Fuldensis & Hartwicus Præpositus Erfurtensis. Horum alter plerumq; a Romani Imperatoris alter autem a summi Pontificis partibus stabat. Halberstadensis diœcesis præter alios eorum temporum il-
597. lustres viros Hugonem de S. Victore orbi dedit, quippe qui in Hammerslebiensi monasterio Professus, in S. Pancratii vero cœnobio Canonicus erat. Tumultus autem bellici ipsum urgebant, ut Galliam peterat, ubi in notissimo S. Victoris claustro provinciam & nomen sortitus est.

NOVA LITERARIA.

LIteræ Parisiis scriptæ docent, Collectionem Conciliorum, quam Jo. Harduinus parat, prodituram intra paucos menses esse; doctiss. Baluzium typis commisisse historiam Ecclesiæ Tutelensis, eaq; absoluta typis Opera Cypriani cum manuscri-

ptis

ptis amplius triginta collata esse editurum. Cumprimis autem Patres Benedictini indefessum in augendis rei litterariæ commodis studium produnt. Ex iis R. P. de la Rue parat novam Operum Origenis editionem. Pretium illi conciliabunt observationes, quibus Origenem illustrabit Vir doctus, ut & Expositio in Psalmos, quam ex codice Bibliothecæ Invictiss. Imperatoris nostri nunc primum in lucem protrahet. Et Montfauconius non contentus Chrysostomi editione, quam parat, insuper insudat Antiquitatibus ære delineandis cumque explicationibus ejus prodituris. Opus illud æneas tabulas mille ducentas & figurarum amplius triginta millia complectetur. Idem Vir doctus anecdota multa inseruit Catalogo Manuscriptorum Græcorum Bibliothecæ Episcopi Metensis, qui intra aliquot mensium spatium lucem aspecturus dicitur. Edmundus Martene Thesaurum anecdotorum novum typis commisit. Constabit ille quinque voluminibus in folio; scripta anecdota palmam iis quæ Cl. Dacherius edidit præripiunt, Historiamque Galliæ & Ecclesiasticam illustrant. Juliani Garnier cura Opera S. Basilii, quibus exornandis duodecim annos impendit, versione nova donata, prelum propediem subibunt. Augustinus Touttee S. Cyrilli Hierosolymitani Opera imprimenda dedit. Petrus Coutant, cui luculentam Operum S. Hilarii editionem res literaria debet, eandem sibi obstringet Epistolis, quas typis repetendas curat, Pontificum, quæ usque ad Innocentium III pertingunt. Contulit illas cum antiquissimis Manuscriptis, notisque suis criticis, quæ historiæ, dogmatibus & disciplinæ lucem affundunt, illustravit. Idem Vir doctus P. Germonium S. J. qui autoritatem Manuscriptorum impugnavit, libro in 8, qui itidem imprimitur, confutabit. Dionysius de S. Marthe propediem primum Volumen Galliæ suæ Christianæ, quod typis exenditur, absolvet. Opus illud in decem, ut creditur, undecimve Volumina excrescet. Guilielmus Bessin omnia Concilia in Normannia habita typographis conscribenda dedit. Præterea vero accepimus, esse ex eorundem Patrum ordine, qui Historiam Occitaniæ, cujus monimenta conquirunt in præsentia, sint contexturi.

Tolosa propediem nobis Diarium novum, quod titulum feret: *Mercure ou Journal contenant des Memoires propres au commercere du monde & à l'histoire du temps.* Politica, quæ vocant, illud potissimum complectetur, v. c. genealogias Virorum illustrium, edicta, literas Principum; quanquam nec literaria penitus prætermissuros se esse Autores pollicentur. Ibidem Baylii institutiones Physicas in usum scholarum accommodatas, quæ quatuor voluminibus in 4 prostant, sequentur duo alia ejusdem Autoris scripta: nempe liber de anima rationabili, de ejus ideis & passionibus, & series problematum physico-medicorum. Parantur item prelo: *Les Vies des hommes illustres de Thoulouse avec leurs portraits*, h. e. vitæ illustrium Tolosatum cum imaginibus, nec non dialogi de vitis & scriptis Autorum, quos Tolosa tulit, minus celebrium, deque iis qui nomen sibi factis heroicis aliisve virtutibus peperere, una cum descriptione brevi urbis Tolosæ.

In Anglia nihil fere nunc prodit, quod non vel circa religionis Lutheranæ ab Ecclesia Anglicana discrimen, vel circa historiam Hanoveranam aut Brunsuicensem occupetur. Jo. Tillotsoni & Henr. Dodwelli Vitæ proxime seorsim prodibunt. Præterea Londinenses Corpus legum de coercendis moribus latarum, & Cantabrigienses Scriptorum Historiæ Ecclesiasticæ parant. Quin & Transactionum Philosophicarum, quæ ab aliquo tempore nullæ prodierunt, novam seriem prelo submittere cœpit Celeb. Hallejus, cui Secretarii munus detulit nuperrime Societas Regia.

In Belgio Vir doctissimus Hadrianus Relandus mappam Imperii Japonici, in regiones LXVI distributi & ex ipsis Japonensium mappis descripti, characteribus Japonicis & Latinis propemodum absolvit; idemque Fratris germani Petri Relandi *Fastos Consulares ad illustrationem Codicis Justinianei ac Theodosiani, secundum rationes temporum digesti & autoritate Scriptorum atque lapidum veterum confirmati*, in forma octava majori typis mandare cœpit. Prodibit & brevi Ἡμερολόγιον μηνῶν διαφόρων πόλεων, *Calendarium menses variarum Gentium cum Romanis collatos exhibens: Alexandrinorum scilicet, Græcorum,*

corum, seu Syromacedonum, Syriorum, Arabum, Sidoniorum, Gazensium, Ascalonitarum, Heliopolitanorum in Syria, Lyciorum, Ascanorum, Cretensium, Cypriorum, Ephesiorum, Bithyniorum, Cappadocum & Seleuciensium, ex Mediceis Codicibus MSS. nunc primum in lucem editum, Commentario Chronologico & Historico illustratum opera & studio Joannis Masson A. M. & A. P. Eundem cum doctissimo Fratre, qui Dordraci V. D. M. est in Ecclesia Anglicana, in colligenda Historia Critica (*Histoire critique de la Republique des Lettres tant Ancienne que Moderne*) quæ distinctis tomis, certis anni vicibus, Amstelodami prodit, potissimum occupari, aliunde putamus satis constare. Prodiit & Hagæ Com. sub nomine Chrysostomi Matanasii lepidissima in Criticos Satyra sub tit. *Le Chef d'Oeuvre d'un Inconnu avec des Remarques* &c. qua Daceriam potissimum cum marito peti nonnulli crediderunt; accessit comparatio Homeri & Capellani, Autore, ut constat, de Fontanelle. Burmannus Quintilianum urget. Clericus, qui nuperrime Henr. Hammondi Opera denuo Lipsiæ cum notis eruditissimis vulgavit, Commentarium in Libros Poeticos Scripturæ, incertum qua de causa, premit, jamque in edenda Historia Ecclesiastica Seculi I versatur. Surenhusius Mischnam Latine tantum edet. Hemsterhuysius Jamblichii Introductionem in Philosophiam Pythagoræam edere parat.

Ex Italia accepimus, Summum Pontificem quingentas tabulas æneas, quæ ad *Minerologiam* Michaelis Mercati pertinent, donasse Archiatro suo, Celeb. Lancisio, ea conditione, ut opus integrum cum notis suis edat; interea Barthol. Eustachii *Tabulæ Astronomicæ* quadraginta septem, quæ ejusdem S. P. munificentia ad Lancisium pervenerant, ut alibi diximus, nuper ejusdem notis pulchre adornatæ prodierunt. Illustrissimus Comes Marsilius superiori anno *Dissertationem de Origine fungorum*, cum fig. in fol. edidit Romæ, idemque canalem CPtanam nuper æri incidi curavit, jamque totus in eo occupatur, ut magnum Opus Danubiale, cujus olim Prodromum commendavimus, sex utique in fol. Tomis edat, cui exornando cum jam tum paratæ sint tabulæ æneæ circiter 3000, facilis erit conjectura Regium plane opus illud futurum.

Lipsiæ

Lipsiæ elegantissima paratur editio Operum Sexti Empirici, quæ cum optimæ notæ codicibus MSS. contulit ac justo Commentario illustravit Vir eruditissimus Jo. Albertus Fabricius. Ibidem Jo. Christianus Lunigius, vastis operibus hactenus editis clarissimus, præter Germaniam Sacram Diplomaticam & Consiliorum Politicorum, quam parat, exquisitissimam Collectionem, Deductiones jurium summorum Imperantium publica autoritate scriptas propediem prelo submittet hoc titulo: *Grundfeste Europæischer Potenzen und Herrschafften Gerechtsame, worinn durch auserlesene Deductiones, Informationes, Repræsentationes, Demonstrationes und andere merckwürdige Schrifften, ausführlich dargethan wird, wie es um unterschiedene hohe Jura und Ansprüche auch Præcedenz-Streitigkeiten eigentlich beschaffen sey*; cui operi cum adjungere constituerit Notitiam curiosam Deductionum, publice cunctos, quibus Deductiones nonnullæ suppetunt, obtestatur, ne titulos integros, non omisso loco & anno impressionis, secum communicare graventur, quo magis completam hoc ipso Notitiam illam exhibere valeat. Lexica quotidiano usui parata, ut Mathematicum Christiani Wolfii, Eruditorum, cum præfatione Jo. Burchardi Menckenii, Heroicum item, seu clarissimorum belli ducum, aliaque brevi lucem adspicient. Prelo quoque hic subest V. Cl. *Jo. Henr. Bœcleri Bibliographia*, antehac semel iterumque Francofurti, sed mendosissime & absque Autoris nomine excusa. Hanc M. *Jo. Gottlieb Krause* cum cura emendavit, meliori passim ordine ad mentem Autoris disposuit, & in capita & §§. dispescuit, codicemque ex ipsius Autoris annotatis descriptum nactus, præter complura alia loca omissa, novem etiam capita nunc demum adjecit; Bœclerianos etiam de libris eorumque Autoribus observationes ex omnibus Viri celeberrimi scriptis collectas suis locis inseruit. Accedent ejusdem opera indices locupletiores, nec non Dissertatio proœmialis de laudibus nævisque hujus libelli. Jo. Christianus Biel, Brunsu. specimen edidit Hesychii Sacri, sive Glossarum ex Hesychio, Grammatico Alexandrino, quæ ad voces & phrases Scripturæ S. illustrandas facere possunt, cum versione & notis uberrimis.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Martii Anno M DCC XV.

Das alte Heydnische und Christl. Nieder-Sachsen ꝛc.

i. e.

HISTORIA SACRA INFERIORIS SAXONIÆ priorum mille annorum; Autore CASPARO CALVOER, *Superint. General. & Consiliar. Consist.*

Goslariæ, impensis Jo. Christophori Kœnigii, 1714, fol. Alph. 7 pl. 6.

DUm Saxoniæ Inferioris res decem prioribus a nato Christo seculis gestas perlustrare voluit Autor Summe Reverendus, imprimis fata religionis tam gentilis, quam christianæ perpendit, ut sacræ historiæ magis, quam civili inserviat, licet non raro multa immisceat, quæ ad politicæ historiæ illustrationem faciunt. Divisit vero opus in quatuor Partes, quas in Libros diversos iterum distribuit. Prima Pars, quæ tribus absolvitur libris, illa complectitur tempora, quibus Saxonia idolorum cultui fuit addicta, neque veram Dei cognitionem habuit. Secunda Pars duobus libris Caroli Magni gesta, Christianorum religioni utilia recenset, monetque, & quibus artibus Saxones ad religionem nostram adegerit, & quos Episcopatus constituerit, ut rudis barbarusque populus fieret mansuetior, veraque fide conservaretur. Tertia Pars, duos libros [illegible]lexa, res gestas Sec. IX exponit: quarta vero notabilia Sec. X momenta, quæ ad sacram historiam spectant, duobus pariter libris explicat. Jam more nostro quædam considerabimus.

Dedicavit opus suum Summe Rev. Autor Potentissimo Magnæ Britanniæ hoc tempore Regi GEORGIO, qua

dedicatione copiose Saxonum præclara gesta in Anglia expo-
nit, novoque Regi felix faustumque auguratur regimen. Præ-
fatio in laudibus Saxoniæ inferioris versatur, & partim Saxonum
fortitudinem bellicam extollit, partim merita illorum in litteras
bonas summa laude prædicat. Prioris momenti enim exempla,
quæ sufficiant, non solum Romani Scriptores suppeditant, sed
etiam crudelissima bella cum Carolo Francorum Rege gesta id
confirmant. Quod ad posteriora attinet, illa variis confirman-
tur speciminibus. Antiquiori enim tempore opera Anscharii
Saxonis Dani cum Suecis Christianam receperunt fidem, &
recentioribus per Lutherum Saxonem reformationis opus est
peractum, quibus Centuriatores Magdeburgenses tanquam
primos, qui sacram Historiam illustraverint, addidit.

His præmissis progreditur Summe Rev. Autor ad ipsum
opus & Lib. I antiquissimum declarat Germaniæ statum. Post-
Pag. 4. quam tam inferioris quam superioris Saxoniæ fines descripsit
Autor, regionum harum incolas veteres recenset. Qui Augu-
sti Imp. temporibus has terras habitarunt, fide Taciti, Chauci
5. & Cherusci fuerunt. His confines exstiterunt Bructeri, postea
vero Saxones in illorum locum successerunt, in quorum nomen
& originem sollicite Autor inquirit. Alii ab oblongis cultris
gladiisque, quos Sachs dixerunt, quibus gens ista pugnabat,
8. nomen traxisse putant; alii minori probabilitate a saxeis cor-
dibus dictos volunt; alii a Sassonibus aut Sacis Asiæ populis de-
rivant, vel per Sassos ipsos Chaucos non rite facta pronunciatio-
ne intelligunt. Sed neutra ex his opinionibus plene satisfacit
9. Autori; quare novam affert conjecturam. Tectosagum men-
tionem facit Cæsar l. 6 de bello Gallico, quod nomen homines
significat *Sago* tectos, quam vocem non Latinam, sed Celticam
origine esse, volunt, & vestem a militibus usurpatam denotat.
Hos Tectosages Gallos fuisse notat Cæsar, qui circa Hercyniam
sylvam consederunt, ut subinde considerandum sit, [illegible]i te-
ctosages iidem cum Saxonibus fuerint, item numne Tectosages
quasi Tecti Sago dici potuerint, qui postea per abjectionem Sa-
10. ges sive Saxones dicti fuerunt. Majoris vero adhuc momenti
esse videtur illorum conjectura, qui a voce vernacula Saßen
dictos

dictos eos volunt, quæ hodie adhuc est in usu, & sedentes sive uni loco inhærentes notat, cujus nominis hæcce potest dari ratio, quod, cum plurimi Germaniæ populi sæpius ex uno in alterum locum migraverint, veteres Chauci diutius in suis pagis mansisse dicantur. Jam ad Saxonum Deos, quos religioso pro- pag. 18.
secuti sunt cultu, pervenit Summe Rev. Autor. Notissimi eorum
fuerunt Sol, Luna & Vulcanus. Solem sub nomine Mercurii, 19.
cujus mentionem Tacitus facit, intellexisse majores nostros, volunt, in cujus honorem etiam primam hebdomadis diem *Diem Solis* vocarunt, & ipsi equos immolarunt, qua occasione in id
inquiritur a Nostro, quid significet equus, qui hodienum in Se- 20.
renissimorum Ducum Luneburgensium insignibus conspicitur, cujus tres afferuntur rationes, alii Solis equum, alii libertatis pretium prodi, alii amorem harum gentium erga equos indicari
opinantur. Describit porro Autor Cl. Lunæ atque ignis cultum; 23.
& tum ad Deos Heroes pergit, quorum maximi Tuisto vel Tui- 28.
scus & filius Mannus fuere; inprimis vero incolæ inferioris Saxoniæ Irmensulam Eresburgensem divino prosecuti sunt cultu, 35.
de cujus figura vel significatione aliæ aliis sunt opiniones. Sunt qui Irmensul interpretantur per Mercurii statuam, quum *ermen*
vel *irmen* idem esse ac Græcum *ἑρμῆν* velint. Alii Martem si- 38.
gnificari credunt, explicantes Hermans Suyl / quasi omnium profugium. Plurimi vel Hermionem vel Arminium Cheruscorum Principem intelligi putant, & statuam primum honoris gratia positam esse, postea vero religioso cultu fuisse adoratam conjiciunt. Non constat, qua figura olim apparuerit, dum alii
truncum ligni, alii virum armatum fuisse existimant, interim 42.
non parum dubitatur, num Columna, quæ hodienum Hildes-
heimii conspicitur, genuina sit Irmensula. Nec certiora sunt, 46.
quæ de Crodone vel Crodo, quem Saturnum denotasse dicunt, afferuntur, quum recentiorum multi dubitent, num unquam tale idolum exstiterit. Novam hac de re affert conjecturam Summe Rev. Autor, dum per Crodonem Wodanum, quem &
Odonem dixerunt, significari putat, quasi secundum veterum 48.
linguam De grote Odo dixerint. Secundo libro cultus divini modum ritus atque Sacerdotes paulo latius describit Autor:

pag. 60. inprimis in ea, quæ Bardos, Vates & Druidas attinent, inquirit.
65. Sunt qui cum Cæsare nullos Druidas Germanos habuisse existi-
66. mant; quos refutat Noster. Bardi erant, qui heroica Virorum illustrium facta carminibus celebrarunt, a quibus Phonascos,
71. hodieque satis notos, originem trahere credunt. Quibus præmissis etiam de ipsa fide majorum nostrorum agit, & notas quasdam ad *Indiculum Paganiarum Listinensem*, ut dicitur, ad-
73. dit. Nimirum Carolomannus Dux Franconiæ atque Austrasiæ in Concilio Listinensi, quod A. 743 instituerat, omne studium in id posuerat, ut Christiana religio majora indies incrementa capere posset, quare jussu ejus errorum Index publicabatur, a quibus vacare deberent Christianæ addicti fidei. Hunc primum magnum illud Germaniæ sidus, Ferdinandus a Furstenberg, Episcopus Paderbornensis, ex Codice pervetusto Bibliothecæ Vaticanæ descripserat, & cum Capitularibus duobus Carolinis de Partibus Saxoniæ publici juris fecerat; jam vero S. Rev. Autor suis historicis animadversionibus illustravit, quæ maxime utiles sunt, cum ex istis haud pauca cognoscantur, quæ idololatricum Germanorum cultum & superstitiones, quibus Christia-
85. nam fidem corruperant, explicant, de quibus etiam Autor ultimo hujus libri capite pluribus agit. Tertius Partis hujus liber totus in eo est, ut veterum Germanorum atque Saxonum speciatim consuetudines vivendique rationem exponat, quare tam bellandi disciplinam & regnandi formam, quam privatos ex-
103. plicat vivendi mores, & tandem de Saxonum lingua per compendium edisserit.

Secunda Parte, quæ res gestas Seculi IIX proponit, S. Rev.
114. Autor, præmisso sermone de Christianæ religionis præstantia, atque divino beneficio, quo nostri barbari rudesque majores ad veram fidem fuerunt adducti; hanc proponit quæstionem:
120. num primis post natum Christum Seculis ante Caroli Magni tempora Christianorum religioni addicti in Inferiori Saxonia fuerint inventi? quam affirmandam esse existimat, & quum S.
124. Bonifacius non parum contulerit ad veræ fidei progressus, operæ pretium esse duxit, vitam ipsius atq; res gestas accuratius ex-
128. plicare. Idque inprimis diligenter inquirit, num Bonifacius

etiam

etiam in inferiori Saxonia verbum divinum prædicaverit? quod negare videtur, quoniam ex nullis genuinis argumentis illud posſit probari. Inde Caroli Magni, cui tantum negotii intercesſit cum Saxonibus, vita verboſius exponitur. Notatu digna ſunt, ubi inter alia de Patria Caroli ſollicitus ad notisſima diplomatis Carolini verba apud *Brouverum* in Antiquitatibus Trevirenſibus provocat, in quo provinciam circa flumen Unſtrud *terram conceptionis ſuæ* vocat, ex quibus Thuringum natione fuiſſe, probari putat. Quamvis forte, ut taceamus, conceptionis tantum, non autem nativitatis mentionem hic fieri, loco *conceptionis* non incongrue *conqueſtionis*, quæ vox illo ævo haud inſolens fuit, legi posſit, quod aliis diſpiciendum relinquimus. Hinc Witekindi fata annectit, cujus genealogiam ex vetuſto Chronico Saxonico MS. exponit, & ejus geſta, quæ memoriæ prodita ſunt, poſtquam Chriſti profesſus fuerat fidem, perſequitur. Judicia Fehmica ſive Weſtphalica a Carolo Magno fundata fuiſſe, plerumque traditur, ſed contradicit cum aliis, qui hactenus diligentius hæc inſpexerunt, hujuscemodi fabulis, nec immerito rem univerſam cleri callidi inventum fuiſſe conjicit: nihilominus e re eſſe exiſtimavit, ut totum procesſum horum judiciorum, quantum memoriæ proditum eſt, explicet, ipſa quoq; hujus judicii formula ex Protocollo quodam Brunſuicenſi addita. Secundo hujus Partis libro disquirit, num Carolus in Inferiori Saxonia & Weſtphalia Epiſcopatus inſtituerit, & obſervat, plurimos hoc affirmare, & Gryphiandrum primum fere fuiſſe, qui hoc in dubium vocare auſus ſit, quem etiam Papebrochius e Soc. Jeſu fuerit ſecutus, qui Tabulas fundationis ſive donationis Carolinæ Oſnabrugenſi Eccleſiæ datas, quas Furſtenbergius in Monumentis ſuis Paderbornenſibus publici juris fecerat, falſitatis accuſavit, quarum tamen defenſionem ſuſcepit Schatenius. Noſter inſtitutos quidem fuiſſe quosdam Clericos, quibus inſpectio in alios commisſa erat, verum tales Epiſcopatus in eodem ſtatu ac forma, quales hodie conſpiciuntur, hoc tempore minime fundatos fuiſſe, nec eo jurisdictionem temporalem, ſive ut hodie dicunt, territorialem ſuperioritatem habuiſſe, pluribus comprobat, & cum Conringio exiſtimat, nec Ottonis Primi tempo-

[Margin: p. 153. 157. 167. 176. 182. 184. 185. 187. 190.]

p. 197. ribus omnibus Epiſcopis hæc eximia jura competiiſſe. Jam porro ad ſpecialiora deſcendit Autor, & originem Epiſcopatus Hal-
202. berſtadienſis inquirit, quam ab anno 780 repetunt. Primum vero Præſulem Hildegrinum dicunt, qui multa ad Chriſtianæ religionis propagationem contuliſſe fertur, uti ex vitæ recenſione, quam addit, latius patet. Eundem in modum in fundationes Epiſcopatus Mindenſis, Bardevicenſis atque Verdenſis
207. inquirit, ubi nonnulla non ubivis obvia occurrunt. Ad Mindenſis Epiſcopatus originem duo ſpectant diplomata, quæ poſt Piſtorium, Meibomium & Watenſtedium iterum producit S.R. Autor. Alterum Ottonis primi eſt, quo Epiſcopatui conceſſit privilegium, ne ullus judex laicus de cauſis vel perſonis ad ecclesiam Mindenſem pertinentibus judicet, datumque eſt A. 961.
213. Alterum eſt donatio Ottonis II Epiſcopo Miloni facta An. 991, quod animadverſionibus illuſtravit S. R. Autor, ut obſcuriores
225. locutiones legenti ſtatim pateant. Exhibet idem Diploma Fundationis Epiſcopatus Verdenſis, quod Carolo M. attribuunt, A. 786 datum, ſed id variis ex rationibus falſi accuſatur: item Bre-
232. menſis de A. 788 ex Adamo Bremenſi deſumtum, quod non majoris videtur eſſe fidei, uti pluribus ex rationibus a Noſtro probatur; quibus hiſtoriam originis Cœnobii S. Ludgeri prope
237. Helmſtadium addit.

242. Tertia in Parte, quæ res geſtas Seculi IX exhibet, occurrit primum Epiſcopatus Hildeſienſis origo, de qua multas
248. fabulas adducunt Scriptores mediæ ætatis, quas recenſet S. R. Autor, & Catalogum Præſulum, qui hoc Seculo præfuerunt Epiſcopatui Hildeſienſi, quorum octo numerantur, addit.
259. Pari modo Hamburgenſis Archi-Epiſcopatus, qui olim viguit, fundationem, quæ A. 833 facta eſſe dicitur, exponit, qua occaſione hodiernum hujus urbis ſtatum explicat, quod non inutile eſſe videtur, licet a propoſito Autoris paulo alienum, qui res primis poſt natum Chriſtum mille annis geſtas ſolum declarare vo-
271. luit. Poſtquam itaque hiſtoriam dedit Epiſcopatuum, qui nono poſt natum Chriſtum Seculo fundati fuerunt, perſequitur ſe-
281. riem Antiſtitum Epiſcopatuum eorum, qui ſuperiori ſeculo jam fuerunt ordinati, & Præſulum Halberſtadienſium, Mindenſium, Verden-

Verdensium & Bremensium vitas & res gestas exponit. Secundus hujus Partis liber in exponenda Cœnobiorum historia versatur, quorum primum Corveyense adducitur. Incerta sunt, quæ de hujus origine circumferuntur. Dantur enim qui eam ad A. 775 referunt; quum alii contra recentiori tempore illud factum esse putent, & Ludovicum Pium autorem ejus prodant. Sequenti Capite Cœnobiorum tradit historiam, qui hoc tempore a Ducibus Luneburgicis fuere fundati: qua occasione sententias quorundam de genealogia Henrici Aucupis atque Ottonis, num scilicet a Witekindo, quem Magnum vulgo vocant, provenerint, profert. Inde aliam movet controversiam: num veteres Saxonum Principes, Heinrici Regis majores, jure proprio ac independenti suis ditionibus præfuerint, an Regibus Germaniæ subjecti fuerint? Existimat vero, caruisse Witekindum & posteros jure superioritatis territorialis, ut hodie loquuntur, habuisse tamen nonnulla egregia jura sed administratorio & vicario nomine; licet non neget, Ottonem & Henricum, postea Regem, majori gavisos esse potestate, quam etiam contra ipsum Conradum tuebantur. Tum fata Civitatis Brunsuicensis exponit, & de ejusdem Sancto Tutelari, quem S. Autorem dixerunt, agit. Postea ad Cœnobia revertitur, & fundationem Cœnobii Brunshausen, quæ A. 850 peracta, & Abbatiæ Gandersheimensis, A. 854 factam, describit. Extat Diploma fundationis hujus Abbatiæ apud Leuckfeldum Antiquitatum Germanicarum diligentissimum indagatorem, una cum confirmatione a Sergio Papa facta, quas chartas suis notis illustratas iterum recudit S. R. Autor. Sed non immerito illas falsi suspectas arguit, his præcipue rationibus, quod fundator Lutholfus se ipsum Ducem Saxoniæ vocet, cujus exemplum eodem tempore vix inveniatur, quodque Ludovicus Romanorum Rex dicatur, qui nunquam eodem titulo usus deprehenditur, ut alia falsitatis γνωρίσματα taceamus, quæ prolixius a Nostro deducuntur.

p. 283. 284. 290. 293. 295. 304. 315. 319. 321. 332.

Ultimæ Partis initio de Archi-Episcopatu Magdeburgico agit S. R. Autor. Hujus origo Ottoni Magno debetur, interim de anno fundationis haud conveniunt Autores. Urbis Magdeburgensis fata quoque recenset, & cathedrale templum describit: addit

333.

vitam

p. 141. vitam Ottonis M. tanquam fundatoris hujus Archi-Episcopatus,
quam prolixius exponit, & inprimis herois hujus justitiam peculi-
377. ari capite prædicat. Pergit deinde methodo, qua in superioribus
partibus usus fuit, atque non solum Archi-Episcopatus Magde-
384. burgensis modo memorati Præsules recenset, sed etiam Episco-
porum Halberstadensium, Mindensium, Verdensium, Hambur-
gensium, Bremensium & Hildesiensium, vitas & res gestas expli-
435. cat. Secundus liber hujus Partis monasteriorum persequitur fata,
quorum primum est, quod occurrit, Cœnobium S. Michaelis
prope Luneburgum, cujus fundatorem fuisse Hermannum Bil-
lingum fama est, quare iterum excurrit, & hujus Principis vitæ
cursum prolixe recenset. Alterum quod hoc seculo originem
447. traxit, Quedlinburgensis fuit Abbatia ab Henrico Germ. Rege,
quem Aucupem vulgo vocant, A. 930 fundata & multis bonis
donata, qua occasione non solum hujus Regis fata persequitur,
54. sed etiam exponit illa, quæ de Uxore ejus *Mathilde* proferuntur.
462. Pari modo origines atque fata diversorum Monasteriorum,
Ringelheimensis, Grawenhoffensis, Grœningensis, Bergensis
prope Magdeburgum, Walbeccensis & aliorum explicat, quæ
apud ipsum Autorem, ne justo prolixiores esse videamur, pote-
runt evolvi. Adjecit huic operi Appendicem, qua Scriptorum,
530. quos hocce opere citavit, vitas & scripta recenset, & tam sua,
quam aliorum addit judicia.

Historische Gedächtniß-Müntzen &c.

sive

THESAURUS HISTORICO-NUMISMATICUS Anni M D CC V.

Noribergæ, sumtibus Heredum Endteri, 1714, in fol.
Alph. 1 pl. 3 ectyp. nummorum 70.

PErgunt nobilissimi Viri, Dn. Nägelein & Dn. Körnlein/ in laudabili instituto, primumque currentis seculi lustrum sexto hoc Volumine absolvunt, in quo pari ac in reliquis eruditione, crescente tamen sculptoris & typothetarum industria, Numos A. MDCCV cusos ob oculos nobis ponunt.

In

In Præfatione quidem preces toties repetitas denuo Lectoribus in memoriam revocant, de communicandis scilicet secum Numis prætermissis, Tomo I Supplementorum proxime prodituro inserendis. Quare & nos non possumus non Cl. Virorum causam iterum iterumque meliorem in modum Curiosis commendare. Interim pro more nostro unum alterumve specimen ex divite hoc penu delibabimus.

Tristem hujus Anni memoriam facit Magni Leopoldi Im- p. 479.
peratoris obitus: Dn. Collectores divi Principis vitam æternis monumentis dignissimam concinno & eleganti compendio præ-
mittunt, hinc Numos consecrationi piissimi Cæsaris dicatos 489.
recensent. Eminet inter hos unus medii moduli, successionem 492.
simul gloriosissimi Josephi patriæ virtutis æmuli egregie repræsentans. Sistitur in ejus antica Castrum, quod vocant, doloris magnifice exstructum; ad cujus basin fœmina mœrens & sinistra manu lacrymas abstergens, dextra Imperii signa gestans, comparet, additis superius verbis: EXTINCTVS AMABITVR IDEM, inferius: LVCTVS PVBLICVS. Tumuli vero aræ inscripta hæc sunt: D.ivis M.anibus LEOPOLDI M.agni P.ii F.elicis S.emper AVGVSTI P.atris P.atriæ QVI TERRIS EREPTVS COELVM PETIIT DIE 5. MAII 1705. In postica Genius conspicitur Gloriam denotans, qui D. Leopoldi imaginem serpente in gyrum rotata cinctam, nec non palmæ ramo Plejadumque quasi corona superne tectam per aera gestat; subtus fœmina humi procumbens, quam adstans aquila Germaniam esse testatur, supplices ad Augustissimum Josephum ornato solio insistentem manus extendit, his appositis lemmatibus; LEOPOLDVS IN JOSEPHO IMMORTALIS, infra: IMPERII SOLATIVM.

Sequuntur aliquot alia in dictam felicissimi Josephi succes- 494.
sionem Numismata, mira inventionum varietate & emblematum elegantia commendanda; æque ac memoriales Numi,
quos mœrens Borussia desideratissimæ Reginæ suæ d. 1 Febr. pie 458.
defunctæ honori magno numero consecravit.

Quanta Theologi de Ecclesia meritissimi Speneri apud
plurimos fuerit æstimatio, testes sunt aliquot in exequias 470.

ejus ab amicis & auditoribus cuſa metalla mnemonevtica: quæ omnia non minus ac Luneburgenſia, Anglica, Hungarica, & alia complura curatiori æſtimatorum contemplationi permittimus: non defraudaturi ſcilicet animos Lectorum inſigni oblectatione, quæ ex oculari intuitu in ipſos redundabit.

Vix tamen nobis temperare poſſumus, quin vel tria adhuc
p. 512. verba de duobus exquiſitæ elegantiæ Numis faciamus. Prior refert in altera facie iconem Eminentiſs. Cardin. Johannis Philippi de Lamberg, Ep. Paſſavienſis & S. R. I. Pr. In altera puerulum blando vultu incedentem, qui generoſum leonem filo per patulas nares transverſim ducto ceu fortiſſimo freno ſubactum, quocunque vult, ſecum trahit, cum Epigr. PERAGIT TRANQVILLA POTESTAS, QVOD VIOLENTA NEQVIT. Quibus verbis dubio procul ad notam omnibus & tot Clientum elogiis deprædicatam laudatiſſimi Principis clementiam reſpexit ingenioſus Inventor.

Poſterioris haud ſecus curioſi campus averſus monſtrat
547. vultum Viri inter Romanenſes famigeratiſsimi, Petri Coddæi, Archi-Epiſcopi Sebaſteni Eccleſiarumque Pontificiarum in fœderato Belgio Præſulis. In adverſo ſiſtitur Leo Belgicus ex armatura & ſagittarum faſciculo dignoſcendus, penes quem Agnus cruci incumbit, pede dextro librum REIPUBLICÆ titulo inſignitum apprehendens: e longinquo Vaticanum S. Petri templum conſpicitur, & juxta hoc Pont. Max. palatium, ex quo fulgura aliquot adverſus agnum ejaculata a fulminibus cœlitus immiſſis diſcutiuntur, illæſa atque ſecure quieſcente ovicula: omnia hæc explicat brevis inſcriptio: INSONTEM FRUSTRA FERIRE PARAT. His in inferiore reſegmine additur numerus Anni MDCCV. Nihil in hoc Numo otioſum, nihil non exquiſitum, quod, qui fata Coddæi, A. 1703 & 1704 in Relationibus innocuis vernaculis expoſita, novit, lubens nobiscum confitebitur.

AN INQUIRY INTO THE NATURE AND Place of Hell.

h. e.

SCRU-

SCRUTINIUM NATURÆ ET LOCI *infernalis.*

Londini, apud W. Taylor, 1714, 8.
Plag. 19½ & fig. æn. 2.

IN seculo vivimus, quod multas novitates tam utiles, quam noxias protulit, quas, uti in prato varii generis herbas, contemplamur, meliores colligentes, inutiles eradicantes. Qui hunc libellum legerit, numerum novitatum inauditarum augendum esse cognoscet: infernum enim, quem hactenus multi in densis tenebris sub terra quæsiverunt, Noster in Sole loco lucidissimo invenisse putat. Eo ordine sententiam suam proponit, ut, probato ex naturalibus rationibus statu hominum post mortem, infernum ex Gentilium & Christianorum mente describat. Primos Pag. 5. Christianos existimasse, dicit, terram esse extensam planitiem 18. firma basi innixam; cœlum vero amplum arcum crystallinum 23. super terram longe lateque extensum, unde eos collegisse pergit, partes terræ a cœlo remotissimas esse infernum: quam sententiam falsæ hypothesi superstructam rejicit. Deinde ignem 35. infernalem non metaphoricum, sed realem esse, ex Marci IX, 43, 44, & autoritate doctissimorum Virorum D. Barrovii, Hammondi, Bilsonii, Petri Martyris, Munsteri, Bullingeri &c. 44. confirmat. Porro asserit, ignem realem inferni neque in centro, neque in peripheria terræ posse conservari, quia ad ignem 61. realem requiratur pabulum sulphureum & nitrosum ex aere, quale in terra ad conservationem ignis æterni non datur. Nec obstare putat Tertullianum, qui arcani ignis naturam in restitutione ejus, quod consumpsit, ponit, quia Philosophi talem ignem asserentes decepti sunt. Neque obstare autumat Dei potentiam, quæ ignem æternum conservare posset; quia ad miracula non procurrendum, ubi ordinaria media supersunt. Addit, 68. nec ea ex ratione admittendum esse ignem æternum in terra, quia major quantitas aquæ quam ignis in ea observetur, nec tanta sit terræ magnitudo, quæ omnium damnatorum & diabolorum multitudinem capiat. Sic neque placet Autori nostro Henrici Mori sententia, qui statuit, infernum ex mundi conflagratione, quæ maria & fluvios exsiccabit, esse oriturum. Opponit 81.

 enim

enim ipſi autoritatem Petri, qui 2 Epiſt. cap. III, 10 docet: terram eſſe comburendam & deſtruendam; quia ibi κατακαήσεται legitur. Nec conſiſtere exiſtimat Mori ſententiam cum 2 Petr. II, 4, ubi infernum jam exiſtere, inque eum malos angelos conjectos eſſe, affirmatur. Remoto itaque inferno ex terræ centro & peripheria, Noſter alium locum in Sole quærit, quem infernum & damnatorum receptaculum ſibi perſuaſit capaciſſimum. Capi-
p. 88. te VI ſuæ ſententiæ novitatem prolixe excuſat, Lectorique per-
106. ſuadere conatur, futura præmia & damna eſſe ſpeculationis argumenta, quæ cujusvis libertati ſubjecta ſint. Aſſeverat quoque, neminem ſalutis damnum incurſurum, qui ſuas meditationes ſine antecedentibus, concomitantibus & ſubſequentibus vitiis legerit. Argumenta tandem, quibus perſuaſus eſt (ſi eſt perſuaſus) ut infernum in Sole collocaret, deſumit ab ipſius Solis natu-
107. ra. Hunc ſatis calidum eſſe putat, quia omnis caloris fons eſt, & mare quaſi igneum. Eundem quoque ſatis ſpatioſum eſſe, ad recipiendam damnatorum & diabolorum multitudinem, quia Aſtronomi jamdudum docuerunt, corpus Solare continere magnitudinem globi terreſtris plusquam centies ſexagies ſexies.
117. Suæ quoque ſententiæ inſervire contendit, quod ex Pythagoræorum & Copernicorum mente Sol in centro mundi, cœlum vero empyreum ſuper omnium ſtellarum Sphæram expanſum ſupponatur. Uti enim in empyreo beati habitant tanquam in ſupremo loco: ſic damnati in centro tanquam infimo & ab empyreo remotiſſimo loco. Ex omnium enim conſenſu cœlum & infernus ſibi invicem opponuntur, uti virtus & vitium, Deus & Satanas, angeli & diaboli. Ex qua obſervatione diſtantiam cœli & inferni explicat Luc. XVI, 23, in parabola divitis & Lazari propoſitam. Huc quoque trahit, quæ antiqui de inferno κάτω & ὑπὸ χθονὸς tradiderunt; quæ tamen non ex eorundem mente, quæ Autori noſtro contraria, ſed ex ſua hypotheſi explicat. Et ne quis objiciat, Solem uti terram eſſe comburendum, ex 2 Pet. III, 10 ſupponit, Solem quidem eſſe combuſturum terram, ſed
142. ipſum in conflagratione mundi non periturum. Tandem Moſen ſuæ ſententiæ patronum producit, quaſi hic poſt Diaboli lapſum Solem creatum eſſe dixiſſet, in quem Diaboli conjecti ſint.

Exi-

Existimat quoque, Diabolum sui domicilii memorem, seduxisse gentiles, ut adoratione Solis non tantum Deum negarint, sed & mansionem Diaboli venerati sint. Hæc est doctissimi Viri nova de inferni loco sententia, cui hoc addimus, quod maculæ solares fortasse sint immundi illi Spiritus, qui ex Sole quandoque in terram nostram prospiciunt.

PAULI HULSII HISTORIA SACRA TURpitudinis incestæ.

Groningæ, ex officina Johannis a Velsen, 1714, 4.
Plag. 17.

De gradibus in matrimoniorum negotio prohibitis, post tot insignes Theologos, clarosque ICtos, suffragium prolaturus Rev. Auctor, S. S. Theologiæ Professor in Academia Gro-
ningensi, statim in limine hujus dissertationis negat, leges con- Pag. 1.
tra incestum a Deo genti Hebræorum latas per Christi adventum & Evangelii promulgationem abolitas esse. Inde jure di- 2.
vino hodie nequaquam licere censet, avunculi viduam, vel uxoris sororem, ejusque filiam, quod expresse non prohibetur Levit. XIIX, multo minus propriam sororem vel novercam, patre defuncto, vel fratris viduam uxorem ducere. Hæc enim ita prohiberi, ut Hebræi non tantum, sed & Christiani sub Novo Fœdere obstringantur. Jus honestatis, & sacra connubiorum jura ex brutorum impetu definire velle, rem arbitratur hominibus bene natis indignissimam. Ita enim nec turbam uxorum, nec fornicationes vagas, nec divortia temeraria, nec adulteria aliaque nefanda, honestati naturali fore adversa. Dein declarat, qua ratione ea honestatis pars pertineat ad Dei imaginem, mo-
nens, lumen conscientiæ in hominum cordibus quidem labe- 12.
factatum, vestigia tamen non obscura superesse. Inprimis au- 16.
tem oculos ad Dei verbum attollendos esse, in quo perfecta 17.
honestatis idea exstet, e majorum exemplis, populorum insti- 18.
tutis, & labefactata ratione nequaquam eruenda. Hac occa-
sione ad historiam sacram delatus primo ab Adamo usque ad 19.
Mosen de omnibus incestæ turpitudinis exemplis disquirit & notat, eo tempore honestatem naturalem ex interno conscientiæ

 dicta-

dictamine pependisse, obliterata brevi protoplastorum traditione, nisi quod Deo placuerit pro sua clementia, & mensura gratiæ piorum Patriarcharum vias interna illuminatione, & significationibus suæ voluntatis extra ordinem factis dirigere.
p. 32. Hic Deum multa tolerasse, quæ non approbarit. Postea demonstrat, leges Levit. XIIX a Deo adversus incestum latas, habendas non esse pro verecundiæ naturalis qualicunque tutamine duntaxat, sed pro naturalis honestatis morali explicatione clara & sacrosancta. Ad hoc confirmandum tribus utitur rationibus, quarum prima paullo generalior inde desumta est, quod leges illæ ejusdem sint naturæ & generis in gradu licet diverso. Nam cum pars illarum certo sit de honestate, idem quo-
35. que de cunctis utpote homogeneis pronunciandum esse. Huic argumento, contra Pontificios Canonistas vindicato, *alterum* sub-
42. jungit desumtum a ratione legis, quæ omnino est carnis propinquitas & reverentia, non nuda legislatoris voluntas & maje-
46. stas. *Tertium* argumentum petitur a facti atrocitate, dum in lege tot flagitiorum nominibus, quæ exponuntur, infamatur.
48. *Quartum* & ultimum sumitur ex epilogo, quem his legibus subjecit legislator. Ubi incestus a gentibus commissus adeo detestabilis describitur, ut Cananæi propterea exstirpandi & penitus
58, 59. delendi prædicantur v. 25, 28. Inde ad historiam a lege lata progressus nuptias Othnielis cum Achsa, stuprum Amnonis sorori oblatum, aliaque incestus exempla considerat, & ad N. T.
63. tempora delatus de incestu Herodiano copiose disquirit, nec
83. non de Corinthio incestuoso & disciplina Pauli, cujus vestigiis
88. omni ætate institerint Christiani. Tandem ad alteram tractationis partem progressus has leges evolvit, & gradus enumerat,
90. cavendumque monet, ne peccetur excessu contra libertatem ho-
97. nestam, multo magis ne in defectu, contra honestatem. Nec
105. tantum prohiberi personas expressas, sed gradus. Leges maribus recitatas ad feminas quoque in suo ordine pertinere arbitratur, indeque certam deducit harum legum evolutionem.
122. Ubi rationibus rite subductis colligit, non posse aliquem ducere uxoris defunctæ sororem, nec hujus filiam. Si quid uspi-

am

am in his dispensatum sit, id interpreti divinæ legis præjudicare non debere.

JUSTI HENNINGII BOEHMERI, D. P. P. JUS Ecclesiasticum Protestantium, Usum Modernum Juris Canonici juxta seriem Decretalium ostendens.

Halæ Saxonum, impensis Orphanotrophii, 1714, 4. Alph. 8 pl. 8.

EQuidem dantur multi, qui Juris Canonici monumenta tradere ausi sunt; haud pauci tamen queruntur, plurima ibi superesse, quæ clarius sint illustranda; namque quum inprimis usum hujus juris inter Protestantes respicimus, negandum non est, catholicæ religionis errores vel nostra ætate maxime occupasse Doctores doctrinæ evangelicæ. Movit illud Cl. Bœhmerum ut scientiam hanc magis magisque illustrandam susciperet; & ut de Dissertationibus academicis taceamus, pertinet huc *Jus* ejus *Parochiale, Additamenta ad Schilterum, Observationes selectæ ad Petrum de Marca*, & *Dissertationes Juris Ecclesiastici Antiqui ad Plinium & Tertullianum.* In opere hoc, de quo in præsentia edisserendum, hanc ingressus est viam, ut secundum singulos Decretalium titulos Pontificiam doctrinam cum nostrarum ecclesiarum statu collatam exhibeat. Præmisit dissertationem de *Suprema lege ecclesiastica*, qua existimat, *salutem ecclesiæ* (h.e. totius cœtus fidelium, seu populi ecclesiastici, non vero tantum cleri, ut Pontificii arbitrantur) *esse supremam ecclesiasticam legem*, & cum finis ecclesiarum alius sit *internus* alius *externus*, eo respiciendum esse opinatur, ut duplex iste finis rite observetur, inprimis ordo in ecclesia servandus, qui unice manuductionem & pædagogiam externam veluti finem sibi præponit, interim externa hæc omnia internam salutem, quæ interiori absolvitur unione cum Deo, complecti eoque tendere debent. Etiamsi civium societates externa tranquillitate perficiantur; salus tamen ecclesiæ non absolute dependet ab hac exteriori quiete, cum ecclesia etiam sub statu Reipubl. admodum turbido florere possit: quid quod leges ecclesiasticas oportet eo dirigi, ne, dum externa pax & salus conservetur, ve-

pag. 3.

6.

10.

rus

rus ecclesiæ finis impediatur. E contrario *speciosa* & *falsa salus* ecclesiæ in sacra *potestate* magis magisque stabilienda, imperio clericali conservando atque ecclesiarum divitiis collocata est, quum res ecclesiæ corruptæ fuerint tranquillis temporibus, quibus externa Christianorum frequentia fruebatur quod ex historiæ ecclesiasticæ monumentis exemplo Hierarchiæ Pontificiæ
p. 15. probat Dn. Autor, quam cum ecclesiæ salute pugnare sequentibus ostendit, indeque colligit, magna providentia opus esse in applicatione textuum Juris Canonici, qui primario non salutem Christianorum veram, sed clericorum commoda respiciunt.
19. Progredimur ad specialiora, ubi id monendum esse existimamus, eam sibi proposuisse methodum Cl. Autorem, ut primo Juris Pontificii sententiam proferat; secundo doceat, quid Protestantes usu receperint; tum memorabiliorum recentiorumque controversiarum momenta addat, multis quoque locis integris JCtorum responsis insertis. Occasione Tit. I de
25. *Summa Trinitate & fide catholica* agitur de formulis fidei, quas ecclesiæ iis, qui in eadem communione sunt, sub lege necessitatis præscripserunt, ut sententias suas iisdem accommodent.
26. Ostendit ejusmodi formulas Apostolorum temporibus haud in usu fuisse, sed illas introductas monet, cum diversæ de religione controversiæ ortæ fuerint. Factum hoc esse non sine magno
27. ecclesiæ detrimento existimat, dum illas sub *vi legis* præscripserint Patres, nec S. Scripturam, sed majorum tradita vel interpretationem pro regula habuerint. Quæri hinc potest, quis officio judicis fungi possit, in decidendis fidei controversiis? Respondet Cl. Autor, statim post Concilii Nicæni tempora in causis, quibus de vera ecclesiæ doctrina controvertebatur, posuisse id Doctores, quod illæ *judiciali* & *decisiva sententia* dirimendæ sint;
31. maxime vero Episcopis atque Clericis illud incumbat, majorisque illorum partis vota reliquis omnibus prævaleant. Hinc factum, ut postea Pontifices autoritatem decidendi fidei causas sibi vindicaverint.
33. Quum vero illa tempore reformationis in dubium vocata fuit, noluerunt Lutherus ejusque doctrinæ professores & defensores Papæ judicio suam submittere causam, sed ad liberum provocarunt concilium, quod tamen propter

Pontificis

Pontificis callida consilia nullum habuit successum. Sunt quoque, qui inter Protestantes lites, quæ de fidei veritate oriuntur, componi posse existimarunt, & *judicialem decisionem* desiderarunt, ad instar quæstionum juris dubiorum, quæ sæpius legibus publicis deciduntur. Verum pugnat contra sententiam hanc Cl. Autor, & opinatur, *decisionem judicialem* in fidei doctrinis haud admitti posse, his motus rationibus, quod non solum de rebus, quæ propriæ sunt intellectus, nulla lex ferri possit, & juxta illud Maximiliani II. effatum, *nulla major sit pestis, quam conscientiis velle dominari;* sed etiam neque competens adsit judex, neque per pœnas eo quis possit adduci, ut fidei res bene sibi cognitas reddat. Interim ab ista longe aliena est decisio summæ civilis potestatis, quod ad res sacras attinet, quippe qua definitur, quæ fidei doctrinæ publice debeant doceri: cui affine est *Jus reformandi.* Latius agit hoc de jure & postquam personas illius capaces ex Imperii nostri legibus recensuit, addita observatione, quos fines & limites ratione trium receptarum probatarumque religionum Instrumentum Pacis Osnabrugense addiderit; notissimam tangit Juris Publici controversiam, num Princeps personas neutri ex tribus his religionibus addictas possit tolerare, quam affirmandam esse censet. Occasione anni decretorii 1624 quæritur: *num Principi liceat exercitium Pontificiæ religionis contra statum anni 1624 introducere?* quod affirmat quidem Cl. Autor, ita tamen circumscribit, & restringit, ne in præjudicium instrumenti pacis aliquid attentari queat. Tandem titulo hoc adhuc de *Jure reformandi Protestantium inter se* agit, & postremo *Jus emigrationem imperandi*, quo gaudent Imperii Status, explicat.

pag. 35. 37. 39. 43. 51. 55. 64. 73.

In Secundo titulo, qui de Constitutionibus agit, præmisit Dn. Autor *Juris Canonici historiam*, in qua notatu dignum est, quod tradat & satis firmis argumentis confirmet, Decretum Gratiani authenticam autoritatem more *consuetudinum feudalium* Longobardicarum habuisse. Sub tempus reformationis B. Lutherus Jus Canonicum funditus tollendum judicavit, sed quum Vitebergenses JCti ægre abrogationem illius ferrent, & pro conservanda autoritate ejusdem laborarent, factum est, ut etiam

83. 121. 123.

in Proteſtantium judiciis illud retentum fuerit, quod ex JCtorum ſeculo XVI florentium ſententiis latius explicat Autor.
Pag. 131. Conſecutum quoque eſt in Imperio noſtro autoritatem Receſſus Imperii Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ, ut & Ordinationes
149. particulares Eccleſiaſticæ. Has Status Imperii, qua tales, non quatenus *Epiſcopos* condere, nec Clericorum ad illos condendos
157. concurſum neceſſarium eſſe, probatur ab Autore, qui poſtea *Catalogum Ordinationum harum particularium eccleſiaſticarum*, quas diverſi Principes, Comites & Civitates in noſtra Germania publicarunt, addit. In omni ſane Republica mores antiquiores eſſe ſcriptis legibus maxime conſtat, quod etiam ſtatui eccleſia-
200. ſtico contigiſſe notat Cl. Bœhmerus ad Tit de *Conſuetudine*. In prima eccleſia magna fuit vis conſuetudinum, adeo ut, cum integræ ac incorruptæ adhuc eſſent res chriſtianiſmi, ſolo *Tra-*
204. *ditionum* cultu regeretur eccleſia. Verum hoc mutatum fuit, quum corruptio indies magis magisque irrueret, ita ut majorem canones acceperint autoritatem, licet & *conſuetudines eccleſiaſticæ* haud raro allegatæ fuerint; cujus effectum atque vim
223. latius explicat atque exemplis illuſtrat Dn. Autor. Nimis longum foret, ſingulorum titulorum momenta maxime notatu digna heic ſubnotare. Quare quædam tantum adhuc addamus, ut exinde de excellentia egregii laboris hujus conſtet, quæ ſuperſunt, Lectoris induſtriæ relicturi.

269. Ad Tit. de *Electione & electi poteſtate* monet Cl. Autor, pertinuiſſe olim Clericorum electionem ad totam eccleſiam, poſtquam vero ſequentes ex Presbyterorum ordine non ſemper digni judicati fuerunt ad tenendos Primatus, id obtinuiſſe, ut electio primi clericorum in Presbyterorum conſeſſu fuerit pera-
270. cta, ita tamen ut & plebis ſuffragia autoritatem habuerint, quod Dn. Autor contra Grotium & Petrum de Marca, qui hoc negant, probat. Requirebatur etiam in occidente Regum conſenſus: quo poſtea factum, ut Regibus integra & plena fere ele-
275. ctio commiſſa fuerit. Ex quo vero Romani Epiſcopi caput ſuum attollere cœperunt, turbarunt iſti maxime hæc Regum jura; inprimis in Germania, donec Concordatis inter Nicolaum V & Fridericum III res expedita fuerit, ita ut hodie electiones

Epi-

Episcoporum maxime ad capitula pertineant. Pergit Autor p. 280.
noster atque declarat, quid circa electionem populi, per *acclamationem* olim factam, notandum, quam variis exemplis, ex historia ecclesiastica petitis, illustrat; quamvis hunc vocationis morem illegitimum esse profiteatur. Exponit etiam hoc titulo, quid per tres modos, quibus adhuc hodie solent peragere electionem Episcoporum, per *inspirationem* puta, *compromissum* & *scrutinium* intelligatur, ostenditque, quis istorum etiam in capitulis Protestantium sit usus. 283.

Ad Titulum *de Episcoporum Translatione*, præmissis iis, quæ hac de re jus Canonicum disposuit, tractat controversiam: *num Princeps translationem Pastoris impedire possit, si ab alia ecclesia rite fuerit vocatus?* quam certo modo affirmandam esse existimat, quod contra Lutherum & Spenerum, qui contrariæ favent sententiæ, defendit. 322. 335.

Occasione Tit. *de Officio Vicarii* agit Cl. Bœhmerus de *Consistoriis Principum Protestantium;* exponit, quid in consistoriis ipsius reformationis tempore contigerit; quo Doctores plurimi in ea opinione erant, necessaria esse ejusmodi judicia de sacris rebus, & hac re Pontificiis assentiebantur, quippe qui duplex judicium, aliud *seculare*, aliud *ecclesiasticum*, agnoscunt. At gravissime disputat contra sententiam hanc doctissimus Autor, probatque jurisdictionem non *Ecclesiæ* sed *Principi* competere, ac propterea, ut consistoria constituantur, non esse necessarium: quamquam non neget, prudentiæ regulis convenire, ut hujuscemodi judicia instituantur. Sunt quidem, qui dissentiunt, Carpzovius & Weberus, Theologus quondam Halensis: sed satisfecit eorum rationibus Autor noster, & probavit, falso consistoriis divinam adscribi originem; unde sequitur, quod neque Theologi necessario iis inesse debeant, neque territorii Princeps consistorio, quod ad res sacras attinet, sit subjectus. Hæc sufficiat exempli loco ex doctissimo labore hoc nos adduxisse. Pari industria Cl. Autor secundum Decretalium librum illustravit; sed III, IV & V proxime exspectare nos jubet. Quibus promissis ut eo citius satisfiat, optandum est, quo magis prior hæc pars Juris ecclesiastici ostendit, quantam eruditionem 597. 605. 609. 612. 630. 639.

 hoc

hoc in ſtudiorum genere ſibi comparaverit doctiſſimus Autor, & ideo maxima ſpes ſit fore, ut altera Pars pari induſtria elaborata prodeat.

ALEXANDRI ARNOLDI PAGENSTECHERI de Jure Ventris Liber ſingularis; cui acceſſerunt de Cornibus & Cornutis Diſſertationes duæ.

Bremæ, apud Phil. Gothofredum Sauermann, 1714, 12. Alph. 1 plag. 10.

HOmines, ſiquidem eos ex Statu ſuo conſideraveris, vel Natos deprehendes vel Naſcituros; quorum ultimi licet in rerum natura nondum exiſtant, atque adeo veri homines non ſint, Jure tamen Civili per fictionem quandam pro talibus habentur, ac proinde in certis caſibus, quoties nimirum de ipſorum commodis agitur, jam Natis æquiparantur. Hæc igitur Jura qualia ſint, Excellentiſſimus Pagenſtecherus in præſenti libro, de Jure Ventris conſcripto, prolixe recenſet. Totum opuſculum in XII Partes, magis tamen, uti videtur, ex arbitrio, quam ordine ita poſtulante, diſpoſuit, quarum fere ſingulæ ſuis iterum Sectionibus ſunt conſpicuæ. Nos itaque in præſenti ſeriem Autoris ſecuti, quid in quavis Parte præſtiterit, paucis videbimus.

P. I. p. 2. Equidem primo de vero *Ventris* intellectu ſollicitus, nihil aliud eum noſtro ſenſu denotare putat, quam *homuncionem na-*
9. *ſciturum, quamdiu is utero adhuc materno clauſus eſt;* cujus magnam, tum propter metum ſubjectionis, tum propter naſcendi ſpem, tum ut ordinum familiarumque dignitas ſalva ſit, Legumlatores curam gerunt, adeo ut ejus notitia JCto & utilis omnino
10. & maxime neceſſaria ſit. Quatuor vero in Pandectis de Ventre Rubricæ Libro XXV & XXXVII occurrunt, ex quibus omnibus, præter Interpretum Commentarios & propriam penum, Ju-
16. ra Ventris collegit Autor noſter. Primus ex memoratis quatuor Titulis habetur L. 25 t. 4 ff. de inſpiciendo ventre cuſtodiendoque partu, quominus enim mulier per calumniam alimenta poſſeſſionemque ventris nomine depoſtulet, diligenter conſidera-

derare atque perpendere utile est, prægnans uxor sit nec ne. Mirari tamen se dicit, Commentatores Digestorum silere de egregio isto remedio l. 3 §. 9 ff. d. jurej. quo locus conceditur jurejurando, si jurgia circa gravitatem feminæ, sueta alias inspectione ventris, terminari nequeant; quod eum insimul producat effectum, ut Actionem in factum ex tit. ff. si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causa esse dicitur, alias competentem tollat. P. I. p. 17.

Ad specialiora Ventris Jura postea descendens, præmittit l. 1 § 1, ff. d. insp. Vent. *Partus antequam edatur, mulieris portio est vel viscerum.* Inde concludit, (1) ergo Venter in dominio ejus est, in cujus ipsa ventrem gerens mater. (2) Venter regulariter non habetur pro jam nato sed nec pro homine, nisi uno casu, cum de ipsius commodis agitur. Unde colligit, ergo (1) Ventri tutor dari potest, (2) si quis hæredes liberos suos instituit, Venter quoque hæres est futurus, (3) si quis liberis quid legavit, etiam Venter de legato participat, (4) Venter exhæredari potest, ad eum scilicet effectum, ut testamentum Patris per Nov. 115 c. 3 non possit dici nullum, bene tamen per querelam inofficiosi rescindi. Rationem ponit in eo, quia id commodius & magis proficuum foret Ventri, cum ex testamento per querelam inofficiosi rescisso ne quidem legata atque Fideicommissa debeantur, e contra si testamentum ex Nov. 115 c. 3 nullum fuerit declaratum, legata similiaque Ventri damnosa capitula subsistant. (5) Tempus, quod Ventri favorabilius, attendendum; qua occasione quæritur: si Pater plebeji ordinis fuerit, mater vero nobilis, utrum id liberis Nobilitatem tribuat? Id quod rectissime negatur. Contrarium tamen obtinet apud Campanos Galliarum Populos: cum enim aliquando in acie multi periissent nobiles, horum viduis fuit indultum, ut ex plebejis nobilem tollerent progeniem. Unde & hodie ibidem sufficit ad nobilitatem, matrem habuisse nobilem. De Cauniis idem refert Feltmannus, quam tamen nobilitatem ridiculo titulo *Pels-adel* notant, tanquam a veste pellicea, qua feminæ utuntur, arcessitam. (6) Venter ex conjunctione Titii cum Caja conceptus, cui avus Titii Pater non consensit, legitimus,

Margin: 18. 19. 20. 21. 22. p. 23, 56. 35. P. II. p. 61.

naſcitur poſt mortem dicti Avi, modo nuptiæ Titii cum Caja
P. III. p. 81. ſubſequantur. In dubio vero præſumitur, marem utero materno claudi, non femellam, cum præſumtio in meliorem ſemper partem ſit facienda: quo & Germanorum Belgarumque,
93. phraſis vernacula *Johannuli in Cella* exacte vergit. (7) Venter in terris, in quibus Retractus Gentilitius obtinet, retrahere poteſt prædium a Patre venditum, modo tempore venditionis Ven-
P. IV. p. 133. ter jamjam fuerit. (8) Venter ancillæ furtivæ eſt furtivus, conſequenter uſucapione non acquiritur; quod ultimum ita limitatur, niſi partus apud b. f. poſſeſſorem & conceptus & editus fuerit.

164. Ab hac Juris Regula receſſiſſe videtur Jus Civile in materia teſtamentorum; teſtamenta enim, in quibus Venter præteritus, ipſo jure valent, & non niſi nativitate poſthumi rumpun-
183. tur. Caſus tamen habetur longe ſingularis l. 3 C. d. inoff. teſtam. ubi mater teſtatrix liberis, e. g. duobus, quos habet, ſcriptis hæredibus, tertio poſt teſtamentum ſuſcepto, in puerperio vita decedit; hoc inquam caſu tertius ille poſthumus, licet teſtamento ſit præteritus, nativitate ſua teſtamentum neque per Querelam Nullitatis evacuat, nec quoque per Querelam Inofficioſi reſcindit, ſed admittitur ſimpliciter in partem virilem. Ratio ea videtur, quia matri animus exhæredandi defuit, quippe quæ ventrem poſt teſtamentum conditum demum concepit; huc accedit alia ratio ſpecialis, quod nimirum ipſa teſtatrix in puerperio extincta ſit, adeoque tali tempore, quo maternæ pietati novum teſtamentum conficere integrum non fuit. Eadem Legis deciſio ſimiliter locum habet, quando Pater credens rumori de filii morte ſparſo, teſtamentum condidit, filiumque in eo præ-
P. VI. p. 206. teriit. Sed utrum quoque Venter abſque mare concipi poſſit? curioſius nunc quæritur. Dn. Autor ex Procopio hoc loco refert, conceptionem Juſtiniani noſtri peractam eſſe per coitum ſpectri cum Juſtiniani Matre. Et ex J. Roberto 3 del. Eur. 7, fuiſſe ſacerdotem aliquando amore virginis captum, literasque ad eam miſiſſe, hoſtia conſecrata obſignatas, quam cum puella præ religione ore & dentibus avulſiſſet, partem hoſtiæ in virginis ſtomachum & ventrem delapſam, virginemque ex ea

ven-

ventrem concepisse. Quid de singulari casu ad sententiam definitivam Facultati Groninganæ Juridicæ nuper submisso sit statuendum, videbimus. Titia a Cajo extra matrimonii copulam impraegnata, peperit filium, nemine præter Mæviam puerperæ matrem præsente, hæc solitariam se videns, ignominiamque Filiæ graviter metuens, impium cepit consilium, contractoque pugno recenter nati pueri caput ea, animo occidendi, vehementia, invita tamen filia Titia, concussit, ut infans exinde mortuus continuo & per se, puta Mæviam, in flumen abjectus fuerit. Quæritur, num ordinaria mortis pœna in Mævia locum habeat? & videtur quod non; quia de corpore delicti nondum constat, cum nullus hactenus infantem aut vivum aut mortuum viderit. Verum cum hæc Regula Juris non procedat in Delictis, quæ occulte perpetrantur, quale est infanticidium, præfata Facultas Juridica ultore ferro in Mæviam infanticidam surgere non dubitavit. An vero Ventres sponsaliorum tempore concepti, sed postea sponsalibus jam per mortem patris ante copulam sacerdotalem diremtis, editi, legitimi sint hæredes? quæritur, & affirmatur, quia Proclamatio publica pariter ac Copulatio sacerdotalis non nisi sunt piæ ceremoniæ, neque ad essentiam Matrimonii quicquam conferunt; modo non voluntas coeuntium sed casus fatalis illis obstiterit. Quo supposito, sequitur, quod liberi quoque naturales sive ex concubina nati per sponsalia subsecuta legitimentur. Secundo quæritur: an Minor Curatorem habens absque Curatoris sui consensu obligetur? Id quod regulariter negatur ob l. 3 C. d. in integr. restit. Nisi in certis quibusdam casibus de quibus l. 101 ff. d. V. O. forte intelligenda, sic enim (1) Minor absque curatore obligatur in contrahendis nuptiis l. 8 C. d. nupt. (2) si dolose contraxit l. 9 §. 2 ff. d. minor. (3) respectu tertii, quatenus tertius aliquis pro tali obligatione fidejussit, aut pignus constituit, §. 3. I. quibus mod. toll. obl. l. 27 ff. d. V. O. l. 25. §. 1 ff. quando dies leg. (4) quoties conditionem suam meliorem reddidit a. pr. J. d. aut. tutor. Tertio quæritur: num Matrimonii vinculum, si quod est, solvere possit Maritus, qui nove nuptam uxorem suam ex alio ventrem gerere deprehendit? quod affirmatur, non quidem exinde

[Margin notes: P. VI. p. 257. (beside line 1); P. IX. p. 310. (beside "infanticidam surgere…"); 326. (beside "Quo supposito"); 339. (beside "quæritur: an Minor"); 374. (beside "Tertio quæritur")]

de, ac si error circa Virginitatem concernat essentialia Matri-
monii, alias enim nunquam cum vidua neque cum meretrice
justum esse posset matrimonium, quod absurdum. Sed quia
ipso Jure Divino solutio Matrimonii ob fornicationem licita est
Deut. XXII, 20, & quia error iste non tam circa virginitatem
quam potius castitatem commissus, utique substantiam Matri-
monii concernit, omnemque consensum matrimonialem exclu-
dit; denique fœmina tale vitium dissimulans versatur in dolo
dante causam contractui, qui proinde merito rescinditur. Habet
p. 388. igitur & dicta decisio locum, quoties fœmina non imprægnata
sed tantum devirginata, modo non vi compressa fuerit. De
P. XI p. 408. Abactione quæritur, utrum homicidium committatur, etiamsi
partus sit inanimatus? quod de Jure Civili certum videtur, licet
de Jure Canonico atque Carolino potius negandum sit.

Sequuntur duæ de Cornibus & Cornutis Oratio-
nes, quarum prima A. 1707, secunda 1709, utraque Gro-
ningæ mense Octobri habita; qui mensis in terris illis foro bo-
ario est inclytissimus, ut adeo difficile non sit conjicere, quid
44. Autorem in tempore cornibus abundante de cornibus dicere
79. commoverit. Cornua dicit apud Veteres signa fuisse & uber-
tatis & autoritatis, id quod multis exemplis ex antiquitate de-
sumtis illustrat. Id postea imitatos esse potentissimos Principes,
aliasque familias illustres, quorum insignia non tantum cornua
naturalia cornutasque naturales bestias referunt, sed & his illis-
ve galeas & cassides exornant. Posterioribus vero seculis cor-
nua in sensu morali denotasse uxorum lasciviam: quo tamen
tempore id ceperit non adeo liquet, certe ad sensum modernum
nullibi Cornutorum appellatio apud Romanos Scriptores oc-
89. currit. Cornuti itaque morales Autori nostro commode in tres
classes referuntur, vel enim sunt 1 Legales, vel 2 Voluntarii, vel
90. 3 non Voluntarii. Ad primam classem pertinere dixeris illos,
qui lege volente tales esse coguntur; sic famosissima habetur
constitutio Eveni III Scotorum Regis, qua cavit, ut Rex ante nu-
ptias virginum nobilium, nobiles plebejarum prælibarent pudi-
citiam, a Milcolumbo III longo post tempore abrogata. Imo in
India integra imperia atque regna esse perhibentur, ubi nefas
putatur,

putatur, uxorem ducere, quæ non a ſacerdote antea fuerit devirginata, ſacerdotibus inſuper pro opera honorarium percipientibus. Secundum Cornutorum genus conſtituunt Voluntarii; P. XI. p. 92.
quo referas Lenones; Tartaros quoque provinciam Camul incolentes, qui, ut peregrinos vel invitos domo excipiant, ipſi domo cedunt, ante hoſpitis diſceſſum non reverſuri. Adeo ſibi honori ducunt uxores proſtitui & ex peregrinorum concubitu regionem populoſam reddi. Denique Cornutorum non Vo- 96.
luntariorum magna ubique deprehenditur copia; inter hos nominare fas eſt Davidem a filio Abſalomo cucurbitatum, 2 Sam. XVI, 22, nec minori jure Jacobum Patriarcham, cujus filius Ru- 128.
ben cum Bilha Patris concubina rem habuiſſe legitur Gen. XXXV, 22. Inter Imperatores Romanos agmen ducit Impera- 103.
tor Claudius, de cujus uxoris Meſſalinæ adulteriis Tacitus aliique paſſim teſtantur. Item Tiberius Auguſtus; duxerat ille Ju- 108.
liam Auguſti filiam, quæ eo laſciviæ progreſſa, ut in ipſo foro & roſtris nocturnas compotationes ageret & nihil quod facere aut pati turpiter poſſet, omitteret. Sequitur Antoninus Philoſophus, 114.
cui uxor erat Fauſtina, quæ dubium reliquit, an forma ceteras fœminas an libidine vinceret. Ex recentioribus in hunc cenſum venit Henricus VI Imp. Friderici II Pater, cujus uxor Conſtan- 93.
tia cum Jordulano, Siciliæ quodam Comite, furtivos concubitus ſociaſſe dicitur. Cornutum ſimiliter fecit Ottonem III Impe- 105.
ratorem Maria conjux, quæ muliebri habitu indutum Juvenem circumducebat, quocum quotidie congrediebatur, eodem pro cubicularia palam utens. Sic David Ritzius Muſicus Henricum 106.
Scotiæ Regem cucurbitavit; & Smetonus quidam per Annam 113.
Bolenam Henricum VIII Angliæ Regem cornibus mactavit. •
Porro Fridericum Palatinum Saxonicum, cui præſtantiſſi- 119.
mæ formæ Adelheida conjux, Ludovicus Thuringiæ Landgrafius cucurbitavit, imo tandem in venatione occidit. Memorabilia ſunt cornua Chilperici I Francorum Regis, cujus 121.
uxor Fredegunda ſubſeſſore utebatur Landrio. Cum enim Rex, aliquando a venatione citius reverſus, conjugemque ante ſpeculum ſe comentem deprehendens, virgula, quam forte manu tenebat, leviter & joco luſitans a tergo eam percuteret; Fre-

degunda, existimans Landrium esse gratissimi hujus verberis autorem: *Putabam*, inquit, *Landri, bonum equitem non retro sed ante ferire.*

p. 150. Qua occasione quæritur: Quid de concubitu Diaboli cum feminis sit statuendum, & num ille quoque cornuum artifex esse possit? Quod a multis sapientioribus creditur, neque ipse
151. adeo Lutherus aliter sensisse videtur. Certo spectra dari, inter Theologos etiam Reformatorum sacris addictos multi sentiunt, & Augustinus, Lutherus & tot alii credunt. Sane de Luthero
166. narrant, ei ad secretum negotium aliquando eunti spectrum vespertino aut nocturno tempore se obtulisse, cui dixisse ferunt Lutherum: **Da du Berenhäuter halt mir die Kertze.** Candelamque ita usque dum Lutherus negotium suum absolvisset, a spectro manu detentam fuisse.

JOH. ADAMI GENSELII, PHIL. & MED. D. S. Cæsareæ Majest. Academiæ Nat. Curios. Collegæ, Lib. Reg. Civitatis Semproniensis Physici Ordinarii, Observatio Medico-Physiologica curiosa, de Conceptione in Somno.

PUella 20 annorum, mercatoris Soproniensis ancilla, ipsa inscia ac non animadvertente, nihilque penitus sentiente, concepit & imprægnata fuit; coram judicio constituta & examinata fassa est ad conscientiam, ac antequam obiisset in agone jamjam constituta idem confirmavit, quod scienter cum nullo concubuerit viro; sed quod sodalis prædicti mercatoris poculum vini semel illi porrexerit, quo exhausto, somno profundo, non sine suspicione narcotici cujusdam propinati (a qua tamen juramento sodalis se liberavit) obruta, credidítque, se in illo, quamvis sine sensibilitate, imprægnatam fuisse. Magistratus super hoc judicium meum expetiit, utrum fœmina in somno, ipsa non animadvertente, concipere possit? affirmative respondi, cum alia quoque similia prostent exempla, (vide Zeileri Rosett. p. 345, Montan. L. 2 C. 2) datis enim omnibus requisitis ad conceptionem necessariis, non potest non eadem subsequi, licet præter voluntatem, sive citra appetitum naturalem coitus

con-

contingat; illud in plurimis puellis toto quasi observatur die, quæ contra voluntatem suam & intentionem, ipsis quasi invitis, impraegnantur, hoc vero in certis mulierculis temperamenti phlegmatici (quales ipsemet novi) cernitur, quæ absque minima delectatione, voluptatisque ac titillationis sensu, atque sic sine appetitu concumbentes, tamen concipiunt, quod etiam firmant Rodericus a Castro Lib. 2 de nat. mul. C. 1 & Platerus Lib. 1 observ. p. 261 multique alii. Non video itaque cur non etiam in somno fœminæ concipere possint, facta efficaci sufficiente ovulorum per spiritus seu contagium seu fermentum seminale fœcundatione. Quæ enim Averroes 2 Collig. C. 10, Amatus Lusitanus & Fabr. ab Aquapend. Lib. 1 de chir. oper. p. 93 referunt, posse fœminam absque coitu propter vim uteri attractricem, semine maris ante genitale arvum vel in balneo tantum emisso, concipere, merito pro fabulis anilibus & imposturis habentur: nam licet semen ad fœtus generationem non καὶ ὄγκον sed καὶ ἐνέργειαν concurrat, quod experimentis Charleton, Regn. de Graaf, imprimis vero Guilielmi Harvei innotuit, qui, dissectionibus cervarum & damarum, tum ante finitum earundem coeundi terminum, tum etiam postea institutis, in uteri cavitate aut ejus cornibus, tubis fœminarum analogis, nunquam seminis aut sanguinis vestigium reperierunt propter nimiam distantiam, nihilominus tamen ovulorum requiritur irroratio: vel si quis cum Veteribus mixtionem seminis fœminæ (quo tamen consensu plurimorum carent) cum maris statuat, sciat fœminas quoque pollutionibus infestari nocturnis, & sic etiam juxta hanc hypothesin, conceptionem in somno, facta solummodo carnali copula, fieri posse. Possibilitatem porro hujus conceptionis exempla quorundam maleferiatorum comprobant, qui ligna, candelas, aliaque absurda, meretricularum vino somnoque sepultarum pudendis sine minima sensatione intruserunt, quare non etiam mentulam potuissent? quando profundius imprimis immersi delitescunt ac sopiuntur spiritus. Veritati denique hujus casus suffragatur historia Lothi, vino somnoque sepulti, nec scientis, nec sentientis actum concubitus filiarum suarum, prout Vulgata Genes. XIX, 33 & 35 notanter reddidit,

id quod verbum ידע innuit, adhiberi alias ſolitum de illis qui noſcunt, ſciunt ac ſentiunt, ſicuti linguam Hebraicam callentibus conſtat, verum Loth ceu ageus & operans, nec ſcivit, nec novit, nec ſenſit actum illum, quare igitur non etiam in patiente & recipiente ſimile contingere poſſet? Ut taceam vino purpuratos, illoque dementatos, homicidia inſcienter committententes, fuſtibus bene oneratos vel graviter vulneratos, nihil plane per aliquod horas propter ſpiritus baccho ſomnoque oppreſſos, ſcientes & ſentientes. Cum vero Medicus quidam, tanquam pro aris & focis pugnans, poſſibilitatem hujus impraegnationis negaſſet, expetii Germaniae noſtrae Hippocratis Wedelii duntaxat deſuper judicium, cui tunc ratione uxoricidii Sopronii inhumane patrati ſcripſeram, qui mihi ſequentem in modum reſpondit:

S. T.

Simul literas gratiſſimas tuas accepi, exhibui incluſas Facultati noſtrae Medicae, cujus reſponſum hiſce meis junxi cum gratiarum actione & ſalutatione humaniſſima ejusdem nomine nunciata &c. Quod alterum poſtulatum attinet: an Virgo alto ſomno ſepulta deſlorari & impraegnari inſenſibiliter poſſit? itidem affirmandum eſt merito, ſi ſcilicet ſomnus ſit profundior, vel ſecundum naturam, ut primus eſſe ſolet, & in aliis magis profundus, vel non naturalis a laboribus, ſatigatione, potu largiori, imprimis praegreſſis vigiliis, ſeu immiſſionem perfectam & completam, ſeu irradiationem ſolum ſeminalem, ut recentiores quidam volunt, ſtatuamus: videri de hoc poteſt Zittmannus in Medicina forenſi, Cent. V Caſ. 21 p. 1156 & Centur. VI Caſ. 77 p. 1642, ibique laudati. Servet Te Deus. Dabam raptim Jenae M DCC XII D. XXV Aug.

ΛΟΙΜΟΛΟΓΙΑ,

i. e.

HISTORIA CONSTITUTIONIS PESTILENTIS, Annis 1708, 1709, 1710, 1711, 1712 & 1713, per Thraciam, Sarmatiam, Poloniam, Sileſiam, Daciam, Sueciam, Saxoniam Inf. Auſtriam, variaque loca S. R. I. graſſatae; per

I. I. W

I. I. W. de PENNA, Lib. Bar. de BEINTEMA, S. C. M. Pers. Med. & Consil. ut & Regn. Hung. Provinciarumque ei annex. Parem, Archiatr. Protomed. & Consil. Sanit. Præsidem perpetuum.

Viennæ, typis Joannis van Chel[illegible], Sac. Cæs. Maj. Aulæ Typographi,[illegible]14; 8.

Plag. 21.

IN ortum & progressum constitutionis hujus pestilentis ubi in-
quirit Vir Clariss. ex literis ab amicis sibi communicatis quæ-
dam recenset, quæ inter notandum, quod in civitate Cibinii p. 15.
plusquam tertiam defunctorum partem infantes confecerint,
variolis necati. Has enim variolas comitabantur plurima in-
solita symptomata, confluentiæ scilicet petechiarum nigerri-
marum, purpurearum, & cæruleo-lividarum, inter quas ni-
græ neminem, ultimæ & confluentes variolæ aliquos superstites
esse fuerunt passæ, sed labe diuturna tussis siccæ, artuum im-
becillitatis, cæcitatis, & aphoniæ vexatos; paucis integre con-
valescentibus. Progressus desiccationis variolosæ cadaveroso
& omnibus perquam molesto fœtore cubicula, vestes, adeo-
que totam domum implebant, unde domestici & parentes
ophthalmias, tubercula inflammatoria in facie mammisque do-
lorifica & lente sanabilia contraxerunt. Sic carbunculorum 19.
speciem, quam caudatam vocat, commemorat, qui radium
fulminalem 12 digit. longum, & 2 latum extendebant, ast fu-
nesto semper cum eventu. De contagio Viennensi ubi loquitur 32.
Noster, hoc cum pestilentia, quæ anno 1679 ibidem grassata
est, nullo modo esse æquiparandum existimat. In priori enim
singulis magis atrocibus mensibus plures 15000 occubuerunt,
quamvis Aula Cæsarea & plurimæ Magnatum Nobiliumque
familiæ sese hinc in alias regiones receperint; in ultima vero
etiamsi Aula Cæsarea ibidem commorata fuerit triplex, nihi-
lominus major mortuorum numerus 300 vel quadringentesi-
mum vix superavit. Et quamvis anthraces, bubones ac pete-
chiæ nigræ in eadem fuerint observatæ, attamen hæc pestilen-
tia pro universali atque ita pro peste reputanda non venit, quæ

eam qualitatem sibi propriam habet, qua ejus aprocrisis morbosa, malignitas, ac deleterium cum contagio summum acquisivit vigorem. Quæ profecto huic grassanti morbo, saltem in civitate & suburbiis, omnino defuerunt; cum tota civitas nullam dimidiam plateam infectam habuerit, & tota quanta urbis infectio ad aliquot domos solum sese extenderit. Est ergo hæc ipsa pestilentia pro morbo potius simpliciter epidemico & præcise sporadico, disseminato, singulos separatim adoriente, & non ab aeris solius, sed & præcise victus vitio secundum singulorum & uniuscujusque qualitatem particularem ac propriam
p. 36. proveniente agnoscenda. Unicam enim causam pestilentiæ, quovis modo consideratæ, internam statuit Noster, qua integer œconomiæ animalis status a sua temperie & crasi descisit; quæ agens immediata causa inter venenosas omnino est recensenda; siquidem observatum fuit, sanguinem interfectorum non aliter advolantibus muscis deleterium extitisse, quam infu-
37. sionis sorbitionem cobaltinæ. Quod autem in aere venenum fluctuet, quod hominibus quocunque modo communicatum mortem afferat, non credit. Cum enim bubo & anthrax, tanquam signa pathognomonica pestilentiæ, etiam absque constitutione pestilenti observentur, & iisdem remediis curentur, frustra venenum in aere fluctuans effingitur. Ut taceamus, symptomatum diversitatem in hominibus eodem aere fruentibus idem
44. confirmare. Ipsa potius materia veneni seu deleterii etiam perniciosissimi a sanguine, humoribusque ab eo scaturientibus, pro-
46. dit & originem suam trahit. Quale autem pestilentiæ deleterium peculiare existat, id non præcise de singulis determinari potest, sed dignosci debet ab ægri & magnitudinis morbi statu pro-
47. prio. Hoc equidem animadvertit Autor, quod hæc ipsa epidemia, sicut forte quælibet alia, biliosis magis fuerit exitiosa, tunc nimirum, cum bilis abundantior & acrior ad extraordinariam pnevmatosin inclinet, & solitum suum æquilibrium ac debitam segregationem in corporibus cacochymicis amiserit. Negandum tamen non est, hanc bilem tractu temporis & continuatione alimenti clam venenosi, qualitatem quoque peculiari-
58. ter venenosam potuisse obtinere. Ad hæc Astrologorum sen-

tent.

tentias de causis pestis tanquam fabulosas explodit. Aer quidem agens & productivum instrumentum propagandæ p. 81. pestilentiæ haberi potest; ast non sine materia objecti cooperantis, nempe corporis ejusmodi qualitate donati, ut sui humores certa ratione & quantitate heterogenei aeris causa & medio ad vitiosum & deleterium orgasmum adigantur, & a contubernio suo multimoda fermentationis ope fuliscant. Hisce atmosphæræ mutationibus secundum densum 82. & rarum, etiam aliæ plures adjungendæ sunt ab æstu, frigore, sicco & humido, aut defectu harmoniæ partium nitrosarum, hisque immutatis ac denique aliis plurimis qualitatibus vitiosis ac deleteriis; utpote dum effluvia venenosa & putrefactionis cadaverosæ vel etiam peste infectorum aeris quendam tractum universe queant coinquinare. Inter reliquas res, quæ non na- 92. turales vocantur, circa cibum notatur, præter miram ejus varietatem potuisse boum, epidemio hactenus morbo laborantium, carnes comestas humoribus deleteriam aliquam qualitatem communicare. A metu vero vel terrore etiam gravissimo, 95. in corpore, apocriseos morbosæ experte, pestilentiam excitari posse, vehementer dubitat. Ut de prognosi nunc nihil dica- 139. mus, circa Curam monet Noster, ut Medicus ad singulares qualitates & temperamenta probe attendat. Diversimode 174. enim erit procedendum, nunc sufflaminando & antipyretice agendo, nunc autem vigorem sanguini addendo, quibus natura motam qualitatem heterogeneam digerat, sequestret, atque convenienter extra corpus eliminet; vel ad glandulas locaque suscipiendis ichoribus apta, formatione abscessus amandet. In- 178. ter evacuantia, quæ tamen raro locum obtinent, ad venæsectionem tunc properandum existimat, cum ceteris æque ac sanguine humoribus in vigore constitutis prægrandem ebullitionem habeamus timendam, qua naturæ ordo nimium gravatus aut turbatus ad internecinum exitum usque invertatur, & alia artis adminicula pharmaceutica eum salutarem eventum non videantur promittere. Emetica non rejicit, imprimis quando magnitu- 186. dini morbi concoctio impar existit; alarum imprimis post vitriolum eundem ad scopum commendat, quoniam vomitus &

pur-

purgatio ab eodem ſine læſione fermentorum gaſtricorum efficiuntur, & hoc remedium peculiari pollet virtute alexipharmaca, qua venenatam ſubſtantiam ſeu formatam ſeu formandam potentibus ſudoribus affatim & aliquando una vice ita corrigat, eliminetque, ut alia prorſus medicatione non videamur
pag. 196. opus habere. Ob concurrentes circumſtantias quandoque ad purgantia deſcendendum, quæ ex ea cauſa videntur neceſſaria, ut ἴχωρ ἄγριος ſeu humor leucophlegmaticus ſanioſus aut alius quilibet heterogeneus craſſioris ſubſtantiæ, quam qui convenienter transſpirationi inſenſibili aut concoctioni materiæ abſceſſus obediat per ora hiantia cum nervorum, tum vaſorum muſculoſorum glanduloſorumque intro ſpectantia facile ac debite verſus interiora revocetur, & juxta inteſtina amandetur. Talia vero ſunt ſeligenda, quibus & viſcerum fermentorumque gaſtricorum tenor potiſſimum conſervetur, atque hypercatharſis cum ſuis fluxibus dyſentericis, aliiſque ſymptomatibus præcaveatur; cacochymiæ etiam huic vel illi tollendæ ſecundum
197. peculiarem ipſius temperamenti qualitatem proſpiciatur. Hic tamen non ſemper contenti eſſe poſſumus unius atque alterius purgantis exhibitione, ſed nonnunquam utiliſſime ad plures transeundum, cum alias periculoſiſſimæ turgeſcentiæ univerſa-
200. lis incendii occaſionem afferat. Attamen ſemper in promptu erunt alia corroborantia & ſufflaminantia, quibus efficiamus, ut eo citius ataxia illa ab omni purgante produci ſolita poſſit ſu-
204. perari. In bubonibus, ſi præ benigna materiæ conſtitutione aptaque facilitate corporis natura per ſuam idiodynamiam in tumorem aſſurgat, eumque ad maturitatem purulentam dextre promoveat, non utique multa remediorum ſupellectile opus habebimus, ſed totam curationem ei ipſi aliquando ſecure poterimus relinquere. Sed ſi ob cacochymiæ viſcoſitatem ſuppurationis operi natura impar ſit, enitendum erit, ut defectum naturæ iſtum quam impigerrime propriis ac convenientiſſimis auxiliis omnimode compenſemus. Remedia talia ſint, quæ qualitatis nimis calidæ aut adſtrictivæ expertia obſervantur, quæque potiſſimum digeſtiva pro formando pure ſolent gaude-
207. re. Horum tumorum maturitate laudabili obtenta, ad inciſionem

sionem pergere præstat, quam tam diu expectare, donec natura aperturam fecerit; hinc segregata demum eschara, tumor, ubi subsederit, consolidandus venit, quod ipsum tamen negotium maturandum non est. Carbunculos aliquoties animadvertit Experientiss. Autor in pueris & adultioribus, qui obambulantes & extra decubitum sine sequela alicujus sinistri symptomatis fuere curati. Inter quos unus in mammilla dextra ast levissimo gradu; alter autem cum fovea mortiferæ carnis ac separatione in collo extuberaverat. Venæsectionem, quam p. 116.
Galenus præcipit, ad animi deliquium, item scarificationes, gallinas avesque vivas deplumatas & parti affectæ impositas nihil æstimat, quin potius cum mali hujus natura inducias non patiatur, illico tam intra quam extra ad medicationes properandum jubet. Illa ad curam in genere spectant, hæc eo respiciunt, ut 217.
facta apertione & remotione materiæ ambustæ carbonem ipsum studeamus extinguere, & ejus progressum pernitiosum prorsus impedire ac abscindere. Hinc omnia ea conducunt, quæ gangrænam alias solent extirpare. Præ reliquis Emplastrum magneticum arsenicale, Unguentum Ægyptiacum cum alumine usto commendatur. Necesse interim est, ut medicamentum sæpius, e. g. omni bihorio applicetur. Cauteria actualia non essent improbanda, modo eorum applicationi Chirurgi melius assuescerent. Circa petechias observavit, cum corpus calidioribus, 221.
theriaca, mithridatio, orvietano, Elect. de ovo, aliisque igneæ naturæ remediis in criseos suæ formatione interturbatum fuerit, ad hæc degenera symptomata ægros fuisse adactos, quorum materia, si natura in suo cursu haud gravata vel ad supremum effervescentiæ punctum fuisset incitata, procul dubio vel lenta digestione vel separatione abscessus alicujus ad felicem judicationem pervenisset. Pro quarum medela quanquam quidam calidis remediis vigorem recentem corpori inducere studuerint, ut ulterius malignitas versus circumferentiam tandem foras protrudatur; minus tamen felici cum successu semper hoc factum meminit. Tutius ad mera cardiaca temperatiora & ipsa sufflaminantia refugit, in quantum naturali effervescentiæ prospici expediat. Sanguine jam effœto & ad punctum effervescentiæ 225.

 vel

vel ultra deflagrato, præter dictam methodum ad ſubacida eſt
confugiendum, quorum qualitas proportionem videtur habere
cum aciditate noſtri fermenti, cum purgantibus miſcenda, &
quidem fortioribus, ſed in minima doſi, non ut purgent, ſed hu-
mores ad efferveſcentiam diſponant; qua methodo ſæpius mi-
raculi inſtar agonizantes ad reſpirationem liberiorem & inte-
p. 229. gram ſanitatem vidit reverti. Si in principio, materia turge-
ſcente, nauſea, vomitu, diarrhœa, & dyſenteria vexetur æger, me-
236. rito illa per emetica, hæc per purgantia ſedantur. Sin mali-
gnitas in villis ventriculi hærens neque liberam tranſcolationem
nacta mortificationem moliatur, temperata remedia ſunt adhi-
benda, quæ ſimul ſtomacho proſint, & materiæ abſtergendæ
medeantur, nec toti ſubſtantiæ ac temperamento obſint; in quo
238. caſu ambra gryſea non eſt negligenda. Sin copia bilis maligni-
tate deleteria præditæ hæc Symptomata excitet, abſtergentia &
242. conſolidantia proderunt. Si materia morbifica venenoſa ad
palpitationem cordis, animi deliquia & ſudores ſyncopticos æ-
gros diſponat, ea methodo utendum eſt, qua alexipharmaco-
rum auxiliis alia venena nota infringimus, ipſique cordi adeoque
naturæ viribus univerſaliter ſolemus opitulari. Quæ rurſus ea
cum præcautione in uſum trahenda ſunt, ut hinc temperata
omnino & ſufflaminantia, illinc quandoque confortativa gene-
246. roſiora adhibeantur. In ſymptomatibus ſoporoſis bilis valde
narcoticæ qualitatis omnem ſpirituum & humorum fermenta-
tionem inteſtinamque efferveſcentiam ſiſtere ac extinguere vi-
detur; quare in id enitendum, ut ſanguini humoribusque fer-
mentationis modum reddamus, ipſique foco vitæ accendendo
ſtimulum addamus. Hinc veſicantia, frontalia, epicarpia, ſub-
pedanea, fotus, frictiones, inunctiones, ſternutatoria, enemata
fortiora & cauteria actualia conducunt. Acria hinc adhibenda
ſunt, eaque acida, qualia in aceto ſimplici & medicatis, deſtilla-
tisque reſident, vel ſimplicia naturaliter acria, non autem ex ſa-
libus parata. Sin hæc effectu ſuo fruſtrentur, ſuperius allega-
ta emetica in uſum vocanda ſunt. Ut alia Symptomata, quæ in
peſte occurrere ſolent, ut & Autoris circa præſervationem &
amuleta ſententiam nunc prætereamus, hoc ſolummodo addi-
mus,

mus, quod aliqua temperamenta dari quidam existiment, quæ pesti recipiendæ minus proclivia & eidem resistendo magis sufficientia sint. Cui tamen opinioni non subscribit Noster. Cum enim frons, oculi, vultus, sæpe mentiantur, aliudque repræsentent, quam quod a qualitatibus, intrinsecus consideratis, debebat judicari; ita melancholicos, podagricos & hypochondriacos, alias in morbum pestilentem non adeo propensos, internæ dispositionis ergo, pestilitati non dissimilis, in eandem videmus incidere. Unde ad alia concurrentia & ad præteritæ vitæ regimen prudenter attendendum erit, si ab externis majorem vel minorem proclivitatem velimus præcognoscere. Alia est conditio fonticulorum, cum saniosa illuvies per aliqua spiracula a natura affatim amandetur, ut vel inde solum ejusmodi purgaminum effecta certo pro præservativis possint considerari, quousque in statu secretionis sufficientis perseveraverint. p. 324.

ASTRONOMIA CAROLINA: A NEW THEORY of the Cœlestial motion &c.

h. e.

NOVA THEORIA MOTUUM COELESTIUM, secundum optimas observationes & rationi maxime consentanea fundamenta Artis composita, cum exactis & facillimis ad hanc Tabulis & præceptis pro calculo Eclipsium &c. Autore THOMA STREETE.

Londini apud R. Smith & I. Woodwardum, 1710, 4.

Alph. 2 plag. 3.

PRima operis editio Londini 1661 prodiit, & Astronomorum primariorum applausum meruit. Continetur in eo pars Astronomiæ theorica succincte quidem, ast solide pertractata. Singula problemata exemplis veris illustrantur, quibus tabularum fundamenta nituntur. Tabulis *Streetianis* multum tribuit ipse *Flamstedius*: unde & suis Prælectionibus Astronomicis easdem subjunxit Cel. *Whistonus*. Anno 1705 hanc motuum theoriam in Latinam linguam transtulit Cl. *Doppelmayerus*,

rus, apud Norimbergenſes Mathematum Profeſſor, ut noſtris etiam aliisque idiomatis Anglici ignaris innoteſceret. Autor equidem tentavit quandam ſuarum Tabularum emendationem; cum tamen ante diem mortuus parum perfecerit, in ſecunda editione nihil fuit immutatum, niſi quod ſphalmata, quæ vel typothetarum, vel ſcribentis manu irrepſerant, fuerint ſublata. Ipſe nimirum celeberrimus *Hallejus* id ſibi operam dedit, ut maximam Tabularum partem revideret. Acceſſere editioni novæ verſus memoriales Anglici Autoris de computo Eccleſiaſtico & (quod palmarium judicari debet) ipſæ obſervationes Lunæ ac Planetarum *Hallejanæ* A. 1643 & 1684, prope Londinum ſextante ſexpedali inſtitutæ, ad Tabularum fidem comprobandam & Lunæ præſertim theoriam a poſteriori inveſtigandam in gratiam longitudinis maris, cujus inventio a perfecta Lunæ theoria pendet, ſicut jam olim oſtendit *Morinus*. Inter obſervationes rariſſimas refert, quod ♀ in Conjunctione retrograda d. 7 Jun. 1684 diſtantiam a Sole hor. 6 3' 0'' obſervaverit 45° 18' 40'' & h. 8 47' a Corde Leonis 13° 11' 20'' atque ☿ in aphelio ſuo diſtantiam a Corde Leonis d. 9 Jun. h. 8 46' 33° 22' 30'', d. 10 Jun. h. 8 40' 32° 57' 30'', d. 11. Jun. h. 8 41' 32° 37', d. 12 Jun. hor. 8 32' 32° 21', d. 13 Jun. h. 8 39' 32° 9' 20''.

IOANNIS FABRICII, S. THEOL. D. ET PROF, emeriti, Conſideratio controverſiarum, quæ Evangelicos inter & Romano-Catholicos, Reformatosque agitantur. Editio ſecunda, auctior & emendatior.

Stendaliæ & Gardelegiæ, apud Erneſt. Henr. Campe, 1715, 4. Alph. 1 plag. 17.

CUm priorem hujus libri editionem anno 1704, quo ſub titulo *Conſiderationis variarum controverſiarum* prodierat, in Actis noſtris pag. 446 & ſeqq. jam recenſuerimus, in præſenti nihil aliud nobis agendum videtur, quam ut ex nova Præfatione commemoremus, quæ doctiſſimus Autor de altera hac editione indicanda putavit. Diſtractis enimvero primæ editonis

tionis exemplaribus opus & conveniens ei visum est adornare novam, ut eorum, qui librum sibi comparare cupiunt, voto ac desiderio fieret satis. Et nunc quidem, sic volente eo, cujus sumtibus liber recudendus erat, eas duntaxat controversias, quæ nobis cum Romano-Catholicis & Reformatis intercedunt, exhibet; attamen paratus est ad edendum, pari modo, hoc est, emendatas & auctas, ceteras etiam, quæ in priori exstant editione, dummodo Lectorum propensionem & desiderium cognoverit, Deusque vitam & vires concesserit, quibus & illa possint adjungi, quæ nos inter & Græcos disputantur. Multa hic sunt emendata, multa addita: & hæc quidem partim in calce paginarum posita, partim textui inserta. *Defensio Considerationis*, quæ primum in lucem seorsum exivit, subjuncta hic conspicitur, cum *Sylloge judiciorum ac testimoniorum*, quæ trium religionum Viri magni & eruditi, de instituto, fide, integritate, & candore Autoris tulerunt, nominaque illorum expressa sunt testium, qui vel publicis in scriptis ea professi sunt ipsi, vel ad plures interea abiere, quibusque invidia, odium & malitia mortalium non potest amplius esse fraudi. Ubi in primis notandum monet illud testimonium, quod exstat pag. 298 num. 40, quod ipsi sit instar clypei adversus accusationem dati a se de mutanda religione consilii: provocat enim ad conscientiam suam, atque ad Deum omniscium, *se nunquam a quoquam*, nisi semel ab homine quodam Romano-Catholico (cui tamen, quia religio liberrimæ est voluntatis, præeunte B. Luthero in T. IV Operum German. Jenens. p. 464, mutationem nec suasit, nec dissuasit, sed eum jussit utriusque Ecclesiæ dogmata & sacra probe considerare, ac deinde eligere, quod sibi e re videretur sua) in materia ad religionis mutationem spectante, *quasi qui suum vellet sequi judicium*, *consultum esse*. Nam quod attinet ad certum quoddam negotium, non tum actum esse de consilio mutationis capiendo, quippe quod jam firmiter erat initum; Celsissimæque manus autographa, & folia quædam superiori autoritate impressa, satis valide de sua testari integritate. Errasse igitur, qui contra illud arma tulerint, cum, si rem propius inspicere & cognoscere ipsis fuisset datum, visuri fassurique essent, a nemine

illorum, inter quos suavis fuit consensus & concentus, suasam fuisse mutationem, ut faciundam, nec terminos prudentiæ, æquitatis & caritatis christianæ violatos, aut in Dei judicium, nullo modo injustum, ab humano tamen longe diversum, temerariam factam irruptionem. Ad se igitur non pertinere, si qui, rei imperiti, ipsum audeant facere consultorem, & facem hujusmodi mutationis, cum nunquam pro tali ab ullo nostratium fuerit requisitus & agnitus. Denique Indicis meminit Autor, affirmans, eum licet breviculum ita esse digestum, ut omnia totius libri contenta, atque adeo etiam Christiani *Dreieri*, Hermanni *Conringii*, Joannis *Fabricii* parentis sui, & Jo. Conr. *Durrii* inedita ante primam ipsius editionem judicia, facile in eo reperiri queant. Nos hoc tantum addimus, & nobis & aliis, uti credimus, gratum fore, si Autor propositum suum ceteras similiter edendi Controversias voluerit tenere & exsequi, atque ad hoc largam Dei gratiam eidem apprecamur.

JOHANNIS LEZNERI
Beschreibung des Stiffts Königslutter rc.

h. e.

IO. LEZNERI BREVIS ET ANTEHAC INedita descriptio Imperialis Cœnobii Regio-Lotbariensis, in Ducatu Wolfebytano siti, cum Annotationibus necessariis, quibus Lezneri & aliorum Scriptorum errores corriguntur: Adjecta est HENRICI MEIBOMII Notitia commendaturæ Suplingburgensis.

Wolfebyti, apud Godefridum Freytag, 1715, 8.
Plag. 4½ cum figuris.

QUantum conferant ad historiam diligentiores singulorum locorum descriptiones, intelligunt ii, qui in historia cognoscenda atque explicanda cum cura versantur. Quare operæ pretium fecit doctissimus hujus Descriptionis Editor, quod eam non tantum e Lezneri Chronici Brunsuicensis, Luneburgensis & Gœttingensis, hactenus inediti, Libro III protulit, verum etiam eruditis annotationibus illustravit. Et Leznerus quidem breviter

tra-

tradit: anno Christi 1110 monasterium Lothariense, pro virginibus, Brunsuigam inter & Helmstetum, condere cœpisse Bernhardum Haldeslebiensem Comitem, Ottonis filium. Postea A. C. 1135 Rixam, Lotharii Imperatoris conjugem, monasterium virginum in cœnobium monachorum Benedictinorum mutasse, atque Echertum (Eberhardum) Abbatem Magdeburgo evocasse: porro Innocentium II P. R. & Lotharium Imp. Rudolphum item Episcopum Halberstadiensem, ut diœcesanum, fundationem confirmasse; atque ita templum S. S. Petro ac Paulo consecratum fuisse. Tandem Lotharium Imp. A. C. 1139 ultima Septembris mortuum, isthic conditum esse; atque inde loco nomen Regiæ Lutteræ factum, ut a Lutterana ad Barembergam præfectura videlicet distingueretur. A C. 1140 Henricum Superbum, Lotharii generum, & sequenti anno Rixam, Lotharii conjugem, eodem loco sepultam esse. Hæc summa relationis Leznerianæ est. In annotationibus autem pag. 12 docetur, nomen cœnobio a Lutera, fluvio admodum limpido, *die Lautere*, fuisse inditum. Et pag. 44 seqq. refelluntur, qui fluvium e petra, *Duckstein* dicta, oriundum tradiderunt, ostenditurque, tophum istum, non ad fontes fl. sed propius ad cœnobium, item sub eodem cœnobio, sub urbe, & deinceps ad vicinum usque Rottorfium, quærendum esse. Fontes autem septem Lutteræ, ante Elmum silvam conspicui, nuper fornice tecti describuntur, in cujus facie hæc incisa leguntur:

SVB FEL. REGIM.
SERENISS. PRINCIPIS
ANTONII VLRICI
DVCIS. BR. AC. LVNEB.
M. H. F. C.
IO. FABRICIVS
ABBAS. R. L.
A. C. M DCC IIX.
EX FONTE BIBENS FONTEM CORONA.

Pag. 38. Bertoldus Kegel, Abbas, A. C. 1431 mortuus, quod partem silvæ ad cœnobium pertinentis extraneis donasset, corona li-

na lignea imagini ejus superposita notatus fuisse traditur, & monachi quotidie ita questi: *Lamentabiliter conquerimur Deo & patronis nostris, cunctisque Christi fidelibus, quod - - - & - - - dicti - - - violenter, dolose, & fraudulenter, monasterio nostro in - - 24 mansos agrorum, in animarum suarum, & omnium possidentium amicorum damnationem justam, abstraxerint.* Perinde alia Abbatum epitaphia inscriptionesque hinc inde conspicua fideliter referuntur in his annotationibus, uti & indiculus Abbatum, ab origine usque ad hunc diem, pag. 39 & 40. Pag. 20 insigne Abbatis Regio-Lothariensis clavis & gladius, ob Petrum & Paulum, templi patronos, indicatur; & p. 41 ab Adriano IV P. R. rogatu Henrici Leonis, ornatus episcopalis Abbati concessus legitur. Pag. 14 & seq. reprehenduntur, qui Lotharium Imp. autorem faciunt juris Justinianei publice docendi: Pandectas ab eo Amalfi in Neapolitano repertas & Pisanis donatas, e Diario eruditorum Italico (tom. IV p. 241) confirmatur. Pag. 25 & 27, Lotharium Imp. die 5 Decembris obiisse ostenditur contra Leznerum, & ex inscriptione, quæ A. 1620, aperto tumulo, tabulæ plumbeæ insculpta sese exhibuit, & in monasterio hodienum asservatur;

LOTARIVS DI GRA
ROMANORVM IMPERATOR
AVGVSTVS REGNAVIT
ANNOS XII. MENSES III.
DIES XII.
OBIIT AVTEM III.
NONAS DECEMBRIS VIR IN
XPO FIDELISSIMVS VERAX
CONSTANS PACIFICVS
MILES IMPERTERRITVS
REDIENS AB APVLIA SAR
RACENIS OCCISIS ET
EIECTIS

In eodem tumulo tum pomum imperiale e plumbo conflatum, & gladius, item calix & patina argentea deaurata reperta fu-

ta fuerunt, iis formis, quas figuræ subjectæ demonstrant. A. 1708 monumentum hoc ex integro restauratum monstratur p. 33 & 34. Atque hæc ex ista descriptione atque annotationibus retulisse sufficiat. Notitiæ Meibomianæ adjecta est designatio quorundam Commendatorum Suplingaburgensium, usque ad hodiernum Serenissimum LUDOVICUM RUDOLPHUM, Ducem Brunsu. & Luneb. Cujus fratri Serenissimo Duci AUGUSTO WILHELMO, Brunsuicensibus ac Luneburgensibus hodie feliciter imperanti, demisse dicatus liber ipse est a Summe Rev. Jo. Fabricio, Abbate Regio-Lothariensi. Ceterum, si quid vota nostra valent, ut integrum *Jo. Lezneri* opus historicum, cujus jam fragmenta apud nostrum, & max. rev. Leuckfeldium habemus, in lucem quis tandem proferat, annotationibusque atque animadversionibus illustret, prouti illustriss. G. G. L. solet, magnopere optamus.

TRAITÉ DU BEAU.

h. e.

LIBER DE PULCHRO; AUTORE I. P. DE CROUSAZ, in Acad. Lausan. Philos. & Mathes. Prof.

Amstelodami, apud Franc. Honoratum, 1715, 8.

Plag. 20 cum una plagula figurarum plena.

JAm olim Philosophorum ingeniis non indigna visa fuit contemplatio *pulchri*, ac Socraticus ille Simon librum quoque singularem *de pulchro* scripserat, teste Diogene Laertio *lib. II n. 122.* Denuo & ab integro hoc argumentum aggreditur Cl. Crousazius, cujus Logica duobus abhinc annis edita insignem meruit applausum. Scilicet nihil est in ore hominum crebrius, quam vox *pulchri:* cujus tamen ideam in plerisque esse confusam, inde liquet, quod unus pulchrum dicit, quod alteri minus esse pulchrum videtur. Sunt, quibus *pulchrum* hunc definire placet in modum: *id, quod placet.* Enimvero sæpe alicui aliquid placet adeo, ut magno in id amore feratur, ut tamen idem fateatur, id pulchrum non esse: contra alius aliquid habet pro Cap. 1.

S pul-

pulchro, nec tamen id amat aut eo delectatur. Ceterum hinc manifestum est, *pulchritudinem* non pendere a libidine facultatis imaginativæ, sed esse reale quid. Disquirendum igitur suscepit Cl. Autor de vera *pulchri* idea. Age in compendium contrahamus uberius ab eo edissertata. *Pulchri* idea generalis est duplex. Pulchrum enim dicitur (1) quod mihi placet, (2) quod me delectat. Hæc æquivocatio est prima dissensionum de pulchritudine alicujus rei causa. Facta proinde distinctione inter *ideas* & *sensationes*, docet Noster, interdum nos habere ideam alicujus rei, quæ idea grata sit menti, sed non oriri ab illa idea sensationem aliquam, adeoque rem illam nos non amare. Contra fit, ut aliqua res, cujus idea non sit pulchra, gratam excitet in nobis sensationem. Ergo duplex est pulchritudo, idealis & sensitiva. Interdum utraque est conjuncta: quando vero duæ hæ pulchritudines conjunctæ non sunt, tunc fit, ut eadem res placeat nobis & non placeat, pulchra videatur & non pulchra. Ut autem aliquid vere sit *pulchrum*, requiritur (1) *varietas*, (2) *uniformitas*, id est, variarum illarum rerum tendentiæ ad eundem scopum vel origo ex eodem principio. Ex varietatis cum uniformitate conjunctione nascuntur cetera requisita *pulchri*, nempe (3) *regularitas*, (4) *ordo*, (5) *proportio*. Hæ qualitates non sunt imaginariæ, sed reales. Non ergo arbitrarium est judicium de pulchro, sed fundamentum omnino habet in objecto ipso. Hoc exemplis illustrari par est. Quare *Cap. IV.* afferuntur exempla pulchritudinis ædificiorum, pulchritudinis morum, pulchritudinis corporis humani. De hujus pulchritudine sæpe diversa sunt judicia. Noster tamen sperat, se certas ponere posse regulas, ad quas pulchritudo humanorum corporum sit exigenda. Supponit igitur, corpus humanum esse eo fine factum, ut (1) vivat, (2) sanum sit, (3) quæ a mente imperantur, strenue exsequatur. Quicquid igitur huc facit, id ad perfectionem humani corporis pertinet, adeoque *pulchrum* haberi debet. Sic illi colores, qui indicant morbum vel pravum aliquem affectum, perfectioni hominis adversantur, adeoque pulchri haudquaquam sunt. Sic & macies & nimia crassities adversantur pulchritudini, quia hæc impedit agilitatem hominis, illa

Cap. II.

Cap. III.

illa speciem præbet hominis vel morbo vel morti proximi. Ita pulchra est statura, quæ corpus hominis aptissimum reddit ad suum fungendum officium. Contra deforme est caput grande corpori impositum parvo. Hunc in modum Noster etiam describit pulchritudinem faciei humanæ, item oculorum, & si qua alias in hominis corpore pulchra esse existimantur. *Cap. V* respondet ad objectiones, quæ adversus suam pulchri definitionem fieri possint. *Cap. VI* inquirit causas, cur adeo diversa sint hominum de pulchro judicia, sive cur aliquid uni pulchrum videatur, alteri minus. *Cap. VII* disputat, quibus de causis pulchritudo tanto gaudeat nostros in sensus imperio. *Cap. VIII* disserit de pulchritudine eruditionis ex positis a se de pulchritudine principiis. Scilicet eruditio res est pulcherrima, quia in tanta rerum, quæ cognoscuntur, varietate omnia tamen evidenter ex iisdem ducuntur principiis, & ad eadem reducuntur. Contra deformis est illa eruditio, quando quis memoriam duntaxat replevit iis, quæ scripserunt alii, sine discrimine veri ac falsi: quanquam tales sæpe admirationi sunt simplicioribus. Speciatim quanta sit Physices pulchritudo, quantamque voluptatem capiat homo ex rerum a Deo creatarum contemplatione accuratiori, quamque multum hæc meditatio conferat ad hominis in hac vita felicitatem maximam, egregie edisserit ac luculenter; addita etiam descriptione pulchritudinis Historiæ. *Caput IX* est de pulchritudine Virtutis, quippe quæ hominem reddit perfectum ac felicem, imo quæ Deo similem reddit hominem, enti omnium pulcherrimo. E contrario vitia statum hominum reddunt deformem. Ad pulchritudinem virtutis etiam illud pertinet, quod tot virtutes ad unitatem reduci queunt exactissime. Speciatim exprimit Cl. Autor docto penicillo pulchritudinem justitiæ & magnanimitatis. *Cap. X* agit de pulchritudine Eloquentiæ. Primum agit de linguarum pulchritudine: ubi observat, linguam sequi mores, & e.g. in illis regionibus, ubi pronunciatio est aspera, mores quoque hominum asperiores esse: ubi illa mollis, hos quoque teneriores. Etiam de varietate styli eleganter philosophatur, & aliquot veterum loca sub censuram vocat criticam. Maxime de stylo

oratorio ejusque ornamentis ita differit, ut planum faciat, quam accommodatæ fint figuræ tropique ad percellendos audientium animos, iisque, quod volueris, perfuadendum. *Cap. XI*, quod poftremum idemque longiffimum eft, in octo quippe fectiones divifum, pulchritudinem Muficæ ita contemplatur, ut oftendat, fe & fcientiæ naturalis & artis Muficæ intimam habere peritiam. Ad priorem quod attinet, de fonorum natura & ad aures noftras habitudine copiofiffime difputat, & hac occafione multorum hic occurrentium phænomenorum caufas naturales exponit.

ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ Η ΔΙΔΑΣΚΟΜΕΝΟΣ.

i. e.

PHILOPATRIS DIALOGUS LUCIANEUS.

Difputationem, de illius ætate & Autore, præmifit, verfionem ac notas adjecit M. JO. MATTHIAS GESNERUS.

Jenæ, apud Jo. Felic. Bielkium, 1715, 8.

Plag. 13.

PHilopatris dialogus hactenus Lucianeis accenfitus eft, ita tamen, ut non femel docti homines de ejus genuino Autore & vera ejusdem ætate dubitaverint, cum propter orationis a reliquis Luciani diverfitatem; tum propter rerum in eo pertractatarum, cum tempore ejusdem non nifi difficulter conciliandarum, feriem. Duo igitur & hæc fibi plenius evolvenda conftituit doctiffimus Gesnerus, in differtatione, quam dialogi editioni præmifit; primum, quis fœtus hujus genuinus pater fit; & alterum, quo tempore eundem Autor ejus produxerit. Et quanquam clarum fatis effe ipfi videtur, non mereri nomen Luciani Philopatridem, reperti tamen ejusdem patroni funt, qui non ita temere abjiciendum effe crediderunt, fed Luciano ipfi affervandum. Quibus iterum adverfum fentiunt, qui Luciano antiquiorem effe ftatuunt, & vel ad Neronis, vel Trajani tempora elevandum; eo inducti, quod Paulus Apoftolus, tanquam fuperftes, vel vix defunctus, introducatur in colloquio, & triumphus

cele-

celebretur, qui cum Trajani Parthico apte congruat. Sed omnibus explosis aliorum rationibus, juniorem Trajano, imo ipso Luciano esse Philopatridis Autorem, ad Juliani ætatem rejiciendum, nova ratione doctissimus Autor asserit, quod antequam ipse suis rationibus stabiliat, in subvertendis aliorum placitis occupatus est. Et quidem, quod ad eos attinet, qui Luciano vindicant Dialogum, respondet ad id, quod constanter editi libri, & manu descripti, inter Luciani reliqua exhibeant, non sufficere, cum sæpe sic peccet scribarum imperitia, ut propter aliquam similitudinem, vel argumenti, vel styli, uni alicui tribuant, quod alterius esse non statim perspiciunt; & præter id, hoc non esse nihili faciendum, quod in editione Hagenoensi vetere diserte scriptum sit, dialogum hunc inter spuria Luciani referendum esse. Argumentum quidem ejusdem moribus conforme esse, non negat Gesnerus; sed vanitatem in tractatione elucentem cum Philosophi in judicando acumine vix consistere posse autumat. Dictionis etiam adesse paritatem largitur, sed talem, quæ non Autorem magis, quam frivolum imitatorem, arguat. Victoriam illam Imperatoris Romani, quam Cleolaus in dialogo dilaudat, non eandem esse, quam Verus Marci fratris collega reportavit a Persis, docet, quod alii credunt, quoniam unius tantum victoris Imperatoris sit facta mentio, cum tamen Marcus & Verus, fratres augusti, omnia inter se fecerint communia. Imo si hæc cum horum Imperatorum rebus consistat, nihil ex ea colligi posse, nisi quod non repugnet, tunc scriptum esse Philopatridem, non vero quod necessario scribi debuerit. Hæ tandem calamitates publicæ, quas Aurelius & Iulius Capitolinus Antonini imperio tribuunt, tantum abest, ut certo evincant Luciani esse Philopatridem, ut potius illarum commemoratio evidenter demonstret ab eo editum non esse, quoniam in illo ipso felicitatis publicæ luculenta extant præconia, ut illudere ob id gentilis Critias christianis Sophistis, qui mala augurasse introducti sunt, audeat. Qui antiquiorem Luciano dialogi concinnatorem arguunt, Pauli factam mentionem urgent, ut quem aliquis colloquentium noverit; ad quod excipit Autor, vafra id nequitia factum esse a gentili homine, ut, quod de sum-

mo gentium Apoſtolo audiendo perceperat, cuivis doctori attribueret; ſi vero alicubi ejusdem vidit pictam imaginem, non ex eo colligendum eſſe, talem in templis Chriſtianorum tunc fuiſſe ſuspenſam, quæ quorundam, Romanæ Eclesiæ ſuperſtitionis aſſertorum, eſt credulitas. Triumphum in dialogo deſcriptum ad Trajanum referunt, ſed cum aliorum magis quam hujus a Parthis relata victoria convenire traditur, & Artemidori allegata autoritas contrarium confirmat, quod de Trajano ſermo eſſe nequeat, cum ille ſomniorum hunc interpretem ætate antecedat. Cui argumento & illud accedit, quod tanta inter Philopatridem & reliqua Luciani ſit ſimilitudo, ut vel eundem autorem, vel ſtudioſum imitatorem prodat. Subverſis his arietibus aliorum fundamentis, ad ſua confirmanda Autor redit, ut probet, non eſſe Luciani Philopatridem, ſed eodem juniorem, & ad Juliani ſeculum demittendum, quoniam majorem Chriſti Salvatoris ſacrorum cognitionem præ ſe ferat, quam alibi in Luciano licet deprehendere, & quod orationis tam ſit inconcinna ſtructura, ut cum Luciani elegantia non poſſit conſiſtere. Minorem vero ejus ætate autorem eſſe probatur, quia Conſtinopoli editus eſſe videtur & quia voces ἐξισωτὴς, πολυάκολος, & ζυωρὶς in dialogo adhibitæ, Luciani æqualibus vel plane ignotæ ſint, vel eodem, quo heic ſenſu veniunt, non admiſſæ. Et ſic demum Juliani Imperatoris ætati addicitur, quia ante illum, Chriſtiano quidem tenente imperium, non licuiſſet autori, quisquis ſit, tam petulanter Chriſtum profitentes irridere; quod Juliani victoria contra Perſas concinat; quod Chriſtiani Juliano mala quævis præſagiverint; quod tunc ſtatus civitatis Romanæ felix fuerit; quod ἐξισωταὶ tunc fuerint cogniti, (de quibus plenius in notis actum,) quod virginum cædes tunc patratæ ſint; quod tunc Chriſtiani Galilæi dicti ſint, & quod eo tempore Lucianus Sophiſta inclaruerit, qui pro vero autore dialogi haberi poſſit. Quæ omnia ingenioſe & docte Gesnerus conquiſivit & aſſeruit, ut facile in conſenſum Lectorem trahere queant. Hoc tamen diſſimulare nolumus, vix a nobis impetrari poſſe, ut eripiatur pars ſcriptorum autori, quæ in libris, hactenus a doctis criticis inſpectis, inter reliqua ejus reperta

perta est; nec illa de scribarum temeraria ignorantia, & critici (fortean non satis periti) manu libro impresso addita conjectura satis videtur tuta esse. De dictionis forma argumentum plerumque est ambiguum, nec uni scriptori una semper in scribendo est felicitas, præcipue illis, ex quorum ordine Lucianus est; nec tanta forte elucet heic Christi mysteriorum cognitio, quæ in Lucianum cadere nequeat, quia nec insignis adeo, imo confusa est, & quam, postquam alios effinxit dialogos, augere potuit. De verbis aliene adhibitis rationi non nimium debet tribui, & vox ἐξιωσιτὴς ex instituto Christianorum de rerum communi usu ab acuto Samosatensi Sophista fingi tunc potuit; Constantinopoli vero scriptum esse hunc dialogum, ex adductis verbis vix firmiter concluditur. Reliqua minora sunt, & magis probant, non adversari, quo minus, Juliano imperii clavum tenente, Philopatris factus sit, quam quod ejus ætas eum in lucem ediderit. Interim nulla ratione contemnendum est diligentissimi Editoris studium, & annotationes ad Philopatridem ad eum recte intelligendum egregie faciunt, & Lucianum sedula trivisse manu earundem Autorem, satis superque declarant.

NOVA LITERARIA.

ERuditi Itali XVIII nobis Tomum Diarii sui typis expressum dedere, qui æque ac præcedentes præclara multa complectitur. Deprehenduntur in eo fusa elogia *Josephi Mariæ Tomasii*, Cardinalis, quem annus MDCCXIII e vivis eripuit, & *Francisci Cionacci*, Nobilis Florentini: in quo posteriore conficiendo multum se Antonio Francisco Marmi, monumenta suggerenti, debere Viri docti profitentur; ceterum & prioris partem Tomo insequenti Diarii sui reservarunt. Atque de istis quidem alio loco (nam operæ id pretium est) plura afferemus, quo nunc Lectores remittere liceat. Ex libris, qui percensentur, notatu cumprimis dignæ sunt *Tabulæ Anatomicæ Cl. V. Bartholomei Eustachii, quas e tenebris tandem vindicatas & SS. D. Clementis XI Pontif. Max. munificentia dono acceptas, Præfatione Notisque illustravit ac ipso suæ Bibliothecæ dedicationis die publici juris fecit Jo. Maria Lancisius, intimus Cubicularius, & Archiater Pontificius, Romæ* MDCCXIV, fol. Magnum earumque

Lan-

Lancisii clarissimi, nobisque alibi laudati, nomen & nobis & posteris sit oportet, qui Bibliothecam, per quadraginta annos magna diligentia nec minoribus sumtibus collectam, & plus octo millibus librorum Medicorum, Chirurgicorum, Anatomicorum, Chymicorum, Botanicorum, Philosophicorum & Mathematicorum constantem, superiori anno una cum copiosa supellectile instrumentorum Anatomicorum, Physicorum, Astronomicorum, Opticorum, Mechanicorum & Geographicorum vivus ipse publicis usibus Romæ consecravit. Domicilium illa nacta est in primario Xenodochio, quod vocant S Spiritus; suntque illi certi homines præfecti, qui reditus annuos capiunt duodecim millium scutatorum, quos eam in rem concessit Cl. Lancisius, & parte eorum sibi servata, partem ornandæ augendæque magis ac magis bibliothecæ impendunt. Inter eos, qui eonatus optimos Viri utique in exemplum exteris nati provexerunt, primo nobis loco commemorandus Seren. Princeps Furstenbergius noster, quem una cum Potentiss. Galliæ Rege & M. Duce Hetruriæ, communibus literarum statoribus, rarissimos Lancisio donasse libros docemur. De libro vero, quem diximus, dicemus plura, quam primum ad nos pervenerit. Juxta hunc alium memorare nobis liceat, quem itidem percensent Viri docti, quique titulum præfert: *Galatina letterata, nella quale si rappresentano quarantaquatro Personaggi che anno illustrato colle lettere la loro Patria di S. Pietro in Galatina, dal P. Fr. Alessandro Tomaso Arcudi, de Predicatori, Autore dell' Anatomia degl' Ipocriti sotto nome anagrammatico di Candido Malasorte Ussaro. In Genoua 1709, 8.* Ex Observationibus, quæ in Tomo hoc exhibentur, locum suum jure ac merito tuentur, quæ Vir doctiss. Bernardinus Zendrini commentatus est, ut Jo. Alph. Borelli librum de motu animalium contra Cl. Parent, qui eum in Disquisitionum Physicarum & Mathematicarum Tom. II p. 632 confutare aggressus est, defenderet. Cetera, quæ in Novis Literariis annuntiantur, alia occasione commemorabimus.

ERRATA IN MENSE FEBR.

P. 59 lin. 33 orientales l. *occidentales*; p. 61 lin. 3 voculis l. *Oculis*; l. 18 explicendo l. *explicando*; p. 63 lin. 19 expressum l. *expressam*.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCC XV.

Lausitzische Merckwürdigkeiten/

h. e.

HISTORIA LUSATICA, AUTORE SAMUELE GROSSERO, Gymn. Gorlicensis Rectore, & Societ. Scient. Borussicæ Socio.

Lipsiæ & Budissinæ, sumtibus Davidis Richteri, 1714, fol. Alph. 8 pl. 13 cum fig. æneis.

GRatissimam nostris hominibus operam præstant, qui Germaniæ nostræ historiam luculentiorem nobis sistunt. Quum enim hactenus plurimi ad pertexendam historiam illam accesserint ne mediocri quidem rerum gestarum scientia aut subsidiis instructi, utique ab iis turbatas potius quam illustratas fuisse superiorum temporum historias deprehendimus. Quo majores gratias debemus Clarissimo Operis hujus, quod Lusatiæ res complectitur, Autori, qui nihil omnino intermisit, quo illud quam optime concinnaret.

Subsidia, quibus instructus ad opus hoc accessit, varia in Præfatione exponit, annales nimirum variorum manu scriptos, & dissertationes in diversis Academiis habitas, quæ omnia prolixe afferre non possumus. Præcipui inter MSptos Codices hactenus exstitere Christoph. Manlii rerum Lusaticarum Commentarii, seculo XVI scripti, cum quibus Noster varios omnium seculorum scriptores diligenter contulit.

Integrum opus absolvitur Partibus quinque, quarum prima universam Lusatiæ historiam antiquam, mediam, & novam,

pag.1. complectitur. *Lusatia*, quæ lingua Slavica *terram aquosam &*
silvis abundantem denotat, Slavorum quondam & Soraborum
6. sedes fuit, qui si minus subditi Witikindi M. Saxonum Ducis, so-
cii tamen armorum fuerunt. Quum ergo is Carolo M. se dede-
7. ret, post obitum ejus, facta inter tres filios regionum divisione,
Witikindo II Dominatus Budseciæ cessit, una cum Præfectura
Sorabica. *Budseciam* vero quondam dicebant Ortenburgum,
arcem Budissinensem, cujus elegantem descriptionem edidit
Leuberus. Apud eos ergo Duces annis fere trecentis per-
mansit ista Præfectura, ita tamen, ut, quum varii orirentur So-
raborum tumultus, iisdem aliquando Præfecti Imperatorii præ-
ponerentur. Primus & celebratissimus inter illos, quos olim
13. *Comites limitaneos*, tunc vero *Marchiones* vel *Marggravios* dice-
bant, erat Gero, Dux Stadensis, vel, ut alii volunt, Martisbur-
29. gensis. Porro, quum Imperium Germanicum a Saxonibus ad
Francos devolveretur, Henricus IV Dedonem I Marchionem,
qui plerumque cum hostibus Imperatoris fecerat, non Mar-
chionatu solum, sed & ipso superioris Lusatiæ tractu multavit.
30. Partem ejus accepit Wipertus Groicensis Comes, heros notissi-
mus, partem vero Boleslaus Crivousti, ex Polonica familia Si-
lesiæ Dux, & post hunc Duces & Reges Bohemiæ alii.
31. Circa eadem tempora partem inferioris Lusatiæ possederunt
Marchiones Brandeburgenses ex Ascaniensi familia, exiguam
vero portionem Misnenses Marchiones retinuerunt. Accessit
64. tamen plurima quoque pars Bohemicis Regibus, sub quibus Lu-
satia variis turbis agitata fuit. Post obitum vero Ludovici,
Hungariæ & Bohemiæ Regis, Lusatia cum jam dictis regnis
172. ad Austriacos pervenit, iisque usque ad tempora Ferdinandi III
paruit. Tunc enim, sub Bohemicarum turbarum initium, Jo-
hannes Georgius I Elector Saxoniæ Lusatiam ad Fridericum
Palatinum proclivem in fide Imperatoris retinuit, eandemque
236. 243. postea bona Ferdinandi voluntate, pro factis belli sumtibus pi-
253. s. gnoris loco retinuit, ac postea pace Pragensi hereditario jure to-
283. tam Lusatiam suis adjecit provinciis, quamvis post illius fata in
celebri illa Saxonicarum terrarum divisione pleraque inferio-
ris Lusatiæ Martisburgensi lineæ concesserint.

Secun-

II.

1 2

hunc

Fig. 5.

SVANTOVITH.

Fig. 10.

FLYNS.

Secun-

Secunda Pars historiam Eccl. Lusatiæ complectitur, quæ primis temporibus paganismi tenebris immersa fuit, unde hac occasione Soraborum Deastros ex Autore nostro una tabella conspiciendos proponimus. *Prono* vel *Prove* Obotritorum numen erat, justitiæ & foro regendo præpositum, & apud Provenaviam in Wagria templum, in quo colebatur, habebat. *Crodo*, a Slavis ad silvam Hercyniam habitantibus cultus, Saturnum præcipue repræsentabat, & in Hartesburgensi & Gardelagensi arce fanum habebat exstructum. *Trigla* tribus capitibus Dianam Triviam exhibebat, quæ prope Brandenburgum in Harlungo monte colebatur. *Porevitus* quinque capitibus effingebatur, & prædæ præesse credebatur, cui in Julinensi insula & alibi quoque templum dedicarunt. *Swantowitz* Venedorum lingua *sacrum lumen* denotabat, & primarium fere eorundem numen erat, quo Solem sive Apollinem designabant. Præcipuum ejus templum erat in insula Rugia, quo omnes Slavorum populi sacrificia conferebant. *Radegastus*, Slavorum & Soraborum Mars, sive præcipuus bellorum arbiter, templum habuit Rethræ in Ducatu Mecklenburgico. *Siwam* alii Venerem, alii vitæ Deam statuunt, quam Ratzeburgi præcipue sacris honoribus affecerunt. *Flynz*, Soraborum Lusaticorum Deaster, magna ab ipsis religione cultus, varie depingitur. Prima ejus figura ad ductum Manlii lib. 2 rerum Lusat. altera ad ductum Annalium Budissinensium, qualis juxta villam Oyvin in rupe stetisse dicitur, delineata est: tertia vero imago hodienum Gorlicii in ædibus cujusdam privati observatur. Neque omittendi sunt *Juterboc* vel *Belboc*, & *Czernebec*, quorum ille, ut cum Manichæis loquamur, principium bonum, alter malum fuisse creditur. Dici non potest, quam difficulter ab hoc idolorum cultu se abduci passa sit refractaria Soraborum natio. Licet enim Bonifacius, qui suo merito Germanorum Apostolus audit, doctrinam christianam in illis oris disseminare cœperit, licet Ludovicus Germanicus, Pii filius, Ecclesiam Nisicensem fundavit, licet Archi-Episcopatus & Episcopatus, Magdeburgensis, Misnensis, Martisburgensis instituti fuerint, nihil tamen profecit omnis Christianorum conatus. Demum post seculum XII aliquid præstitum est, dum varia

p. 4. TAB. III. Fig. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

pag. 9. 5. 6. 11.

 hinc

hinc inde templa & monaſteria, pro illorum temporum ſuperſtitione exſtruerentur. Sed quum & illam religionis ſpeciem re-
p. 16. purgari conveniret, factum eſt, ut, quam primum auſpiciis divinis inaudiretur Lutheri doctrina, ei ſe quoque maxima u-
20. triusque Luſatiæ pars adjungeret. Subintravit tamen poſtea Schwenckfeldianorum lues, quæ hic quoque turbas dedit non
21. mediocres. Accedebant Crypto-Calviniani, de quibus plura
29. hic proferuntur. Sequebantur ea tempora, quibus Jacobus Bœhmius ultra crepidam ſapere conabatur, punioremque theologiam abſtruſis myſticorum & chymicorum ideis inquinabat. Prolixus eſt in ejus vita & geſtis Autor Celeb. præcipue quum multæ narrationes circumferantur, quæ a veritate nimium
37. quantum diſcedunt. Sequuntur difficultates & rixæ inter De-
40.41. canum & populum Budiſſinenſem, Tremulantium item, Cuhl-
42. manni, & eorum qui a pietate nomen ſortiti ſunt, geſta, quæ
52. ſ. quidem ſingula percenſere haud poſſumus. Claudit hanc partem Paſtorum Primariorum & Ephororum notitia, qui per utramque Luſatiam verbum divinum ſecundum Evangelii doctrinam docuerunt.

c. 1. *Pars tertia* continet memorabilia politica, ubi primo de ſummo magiſtratu ſermo eſt, eoque breviter quædam ex prima parte repetuntur, additis ſimul tabulis Regum & Principum ge-
2. 3. nealogicis. Inter officiales deinde primum locum occupat der Land-Voigt/ quem Latine Pro-Marchionem dixeris, qui loco Marchionis abſentis jus dicebat. Is primum a Regibus Bohemicis inſtituebatur, & ut plurimum Comes vel Nobilis erat; at in ſuperiore Luſatia dignitatem eam poſtremis tempori-
4. bus ornarunt primogeniti Electorum Saxoniæ. Succedunt die Lands-Haupt-Leute/ Cameræ & Fiſci Luſatiæ Præfecti, qui ex
5. Nobilibus eliguntur: die Amts-Haupt-Leute/ Præſides Curiarum provincialium, quibus adjunguntur die Landes-Aelteſten/ Senatores Curiæ provincialis, qui in ſingularum urbium diſtri-
6. ctu ſinguli creantur. Judicii quoque provincialis, quod Bu-
7. diſſinæ floret, brevis notitia additur, nec non Statuum provincialium, qui ex Dominis, Prælatis, & Equitibus conſiſtunt, & alia
8. quoque judicia conſtituunt. Ad Prælatos pertinent Decanus Budiſſi-

Budiſſinenſis, Abbatiſſæ Mariæſtellenſis & Mariævallenſis, Prioriſſa Laubanenſis & Abbas Cellæ Novæ. Dominia denique, c. 9 ſ.
nobilium familiæ, & urbes utriusque Luſatiæ ſingulis capitibus ordine alphabetico percenſentur, additis præcipuarum urbium figuris æneis.

Pars quarta literaturæ in utraque Luſatia hiſtoriam enarrat, ſcholas nimirum, quas certe ſuperior eximias habet, earumque Rectores, additis earundem fatis & variis ſubſidiis. Adduntur nomina & vitæ eruditorum, tum ex nobilium, tum civium ordine, qui in Theologia, Jure, Medicina, Philoſophicisque artibus celebres fuerunt.

Quinta denique *Pars* ea complectitur, quæ circa phyſica, œconomica, mechanica, & commercia notatu digna occurrunt. Et hic quidem de fluviis & rivis, ſilvis & paſcuis, montibus & collibus varia narrantur, quæ telluris felicitatem ſatis arguunt.
Ex montibus quinque ſunt, qui lapides quamplurimos conge- 14.
ſtos oſtendunt, quos antiqua Soraborum ſepulcra fuiſſe ſtatuunt eruditi, unusque ex illis, cujus & figura apparet, *mons mortuorum* der Todten-Berg hodieque audit. Ii, qui antiquitatum æſtumatores ſunt, narrant, congeriem iſtorum montium e meris cineribus conſtare, veſtigia quoque altaris cujusdam ibidem obſervari contendunt. In uno iſtorum tumulorum lapidi inciſa eſt forma lecti, cum capite humano torva facie & magni-
tudinem conſuetam excedente. In viſceribus terræ Luſatia quæ- 17.
dam adamantium veſtigia oſtendit, alia quoque, mineralia, lapides, & lutum. De agrorum, hortorum & vini cultura, ac pecuaria, jure braxandi, & commerciis multa Noſter obſervat, quæ omnia brevitati ſtudentes prætermittimus.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE &c.

i. e.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM ECcleſiaſticorum Tomus XIX, Autore LUDOV. ELLIES DU PIN, Doctore Theol. Pariſ. & Prof. Regio.

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, 1715, 4.
Alph. 2 pl. 8.

CUm Celeberrimus Autor hocce volumine ſiſtat ſeculi proxime elapſi ſcriptores eccleſiaſticos, quorum & ſcripta & fata rei literariæ ſtudioſis ſatis cognita ſunt, facile prævidemus, ejus lectionem poſteritati, quam noſtræ ætati, fore longe gratiorem. Nec vero hanc ſolam ob cauſam laudari meretur Autoris inſtitutum, ſed propterea etiam, quod ita corpus hiſtoriæ ſcriptorum eccleſiaſticorum perfectum redditur & omnibus abſolutum partibus. Ceterum nobis in recenſendo hoc opere licebit eſſe brevioribus, ne lectoris impatientiam provocemus. Ediſſeremus itaque primo methodum, quo Autor hic uſus eſt: deinde recenſebimus eorum, qui hic laudantur, nomina: denique ipſius Autoris vitam & ſcripta paucis enarrabimus. Quod ad methodum attinet, ſingulorum ſcriptorum & vitam & ſcripta attingit. Et hæc quidem recenſet fuſiſſime & accuratiſſime, ad eundem modum, quo nos & alii novorum librorum recenſitores. De vita vero ac fatis ſingulorum fere negligentius agit: dolebitque poſteritas, eum non dediſſe accuratiorem, quam facile videtur conſequi potuiſſe, eorum notitiam. Sic Baluzium a ſe primo loco poni ſcribit, quod inter ſuperſtites ſcriptores ſit natu maximus: nec tamen, quo is anno in lucem editus ſit, commemorat. Ceterum cum *p. 6* de Mabillonio tanquam adhuc vivo loquatur, (cum ſcil. prima hujus operis editio adornata eſt: nam conſtat, eum A. 1707 d. 27 Dec. fato ſuo defunctum eſſe) cumque teſtetur A. 1632 d. 25 Nov. natum eſſe, neceſſe eſt, ante illud tempus jam in vivis fuiſſe Baluzium. Pariter nec Huetii annum nativitatis annotavit, & de plerisque omnibus ſic egit, ut menſuram tituli, quatenus is Hiſtoriam vitæ cujusque ſcriptoris promittit, haud ſane impleverit. Suffecerit igitur, nomina eorum, quorum ſcripta eccleſiaſtica (cetera enim eorundem ſcripta, quippe a ſcopo ſuo aliena, prætermittit,) recenſentur, addita etiam controverſiarum cuique motarum mentione, veluti in tabula quadam exponere. En illa! *Stephanus Baluzius*, qui primum librum edidit adhuc ſcholaſticus A. 1652, & jam occupatus eſt

eſt in edendis Cypriani operibus, quæ ad verbum comparavit cum viginti quinque codicibus MStis: *Jo. Mabillonius*, (de quo paulo infra dicemus uberius) *Petrus Daniel Huetius*, *Jac. Boileau*, Theologus Sorbonicus, A. 1635 d. 16 Martii natus: *Rich.Simonius*, *Natalis Alexander*, natus Rothomagi A. 1639 d. 10 Januarii: *Lud. Geraldus de Cordemoi*, natus Pariſiis A. 1652 d. 25 Nov. *Jo. Harduinus*, *Claudius Fleurius*, *Bernardus Lami*, *Paulus Pezronius*, (mortuus A. 1706 d. 10 Octobris,) *Petrus Lemertius*, *Carolus Gaitte*, *Jo. Baptiſta d' Antecourt*, *Antonius Fauſtus Naironius*, *Joſephus Maria Carus*, *Dionyſius Sammarthanus*, *Edmundus Martennius*, *Nicolaus Nurrius*, *Theodoricus Ruinartus*, *Bernardus Montfalconius*, *Jo. Martianæus*, *Jo. Grancolaſius*, *Mich. le Vaſſor*, *Petrus Faidit*, *Jo. Ciampinus*, *Mich. Maledictus*, *Franciſcus Lami*, *Franciſcus Timoleon de Choiſy*, *Petrus le Nain*, Tillemontii frater, *Antonius Muratorius*, *Laurentius Alexander Zacagnius*, *Gummarus Huygenius*, *Zegerus Bernardus van Eſpen*, *Jac. Marſollerius*, *Matthæus Petitdidierius*, *Jo. Pelletierius*, *Lazarus Andreas Bocquilletius*, *Natalis d'Argonne*, (mortuus A. 1705, cui tria volumina ſub nomine *Vigneul de Marville* edita tribuit p. 354 memorat, addens tamen, id ſibi non credi:) *Guil. Bonjourius*, *Franciſcus Bianchinius*, *Jo. Girardus de Villethierri*, *Caſpar Iveninus*, *Nicolaus Herminierius*, *Franciſcus Pougetus*, *Claudius de Vert*, *Benedictus Bacchinius*, *Jac. Laderus*, *Petrus Cuſtantius*, *Cochetus de S. Vallier*, *Jac. Joſephus du Guet*, *Auguſtinus Calmetus*, *Jacobus Longus*, *Toinardus*. Illuſtribus his nominibus ſuum merito interpoſuit Dupinius, teſtatus, ſe Pariſiis natum eſſe A. 1657 d. 17 Junii, patre Domino du Pin, orto ex nobili familia Normanniæ: A. 1672 creatum eſſe Philoſophiæ Magiſtrum, A. 1680 Baccalaureum, & A. 1684 Theol. Doctorem. Hinc *Bibliothecam* ſuam *ſcriptorum eccleſiaſticorum* copioſiſſime recenſet a *p. 177--225*, ubi ſcribit, perfectioni ſui hujus operis nihil deeſſe, niſi *Hiſtoriam Scriptorum Proteſtantium ſeculi XVI & XVII*, atque *Hiſtoriam controverſiarum eccleſiaſticarum illuſtrium ſeculi XVII*, quam ſupra jam *p. 103* pollicitus erat ſe editurum eſſe, & cujus ſpecimen jam hoc in volumine exhibet, *p. 302--307* recenſens controverſiam in Gallia aliquot ſcriptis editis agitatam

tam de Comœdiis, sintne permissæ, an non? Hinc suas *Dissertationes historicas de antiqua disciplina ecclesiastica* recenset *p. 225 sq.* item sua *Prolegomena in Scripturam sacram, p. 226--237*: suas *Notas in Psalmos, p. 237*, ubi & meminit scripti ab anonymo adversus notas istas editi, atque a se refutati: suas *Notas in Pentateuchum, p. 238*: suam *Editionem Optati Milevitani p. 238 sqq.* & *Gersonis operum p. 242*, suam *defensionem Censuræ Sorbonicæ librorum de religione Sinensium, p. 245*, suum *Opus de Doctrina Christiana p. 247--253*. Hæc opera, paucis exceptis, in his etiam *Actis* diligenter recensita meminimus: cujus rei fidem faciet sola *Indicum trium generalium* ad *Acta* nostra inspectio. Ceterum Tractatum *de potestate ecclesiastica & temporali*, quem cum nos *Suppl. T. IV p. 145. sqq.* recenseremus, pariter *Dupinio* Autori tribuimus, in serie scriptorum suorum omittit, ejus tamen Recensionem, ex *Diario Parisiensi* repetitam, in fine hujus operis exhibens *p. 404*. Totum opus concludit Index alphabeticus Scriptorum ecclesiasticorum seculi XVII, a *Dupinio* Tomis XVII, XVIII & XIX recensitorum.

HISTORIA ÆRÆ CHRISTIANÆ, CUI PRÆmittuntur Schediasma de Veritate Historica & Oratio de vero historiæ usu; Autore JO. GUILIELMO JANO, Hist. P. P.

Vitembergæ, apud Sam. Kreusigium, 1715, 4.
Plag. 20.

NUlla quidem æra per aliquot abhinc secula inter Christianos occidentales celebratior, sed & vix ulla majoribus difficultatibus & aberrationibus obnoxia fuit, quam quæ a Christi Servatoris nativitate deducitur. Ad has facilius cognoscendas evitandasque, Autor præsentis commentationis doctissimus, Collega noster honoratissimus, integram illius historiam uno conspespectu exhibere statuit.

Caput I veterum de anno natali Sospitatoris nostri sententias exponit. Horum plerique illum rejiciunt in annum P. J. 4711, quem tamen alii annum Augusti XXVIII, alii XLI, alii XLII nominant, prout videlicet Augusti imperium modo ab occupata

pata post Actiacam victoriam Alexandria, modo a primo illius consulatu, modo a cæde Julii Cæsaris auspicantur. Inter eos, qui a communi ista opinione discedunt, Panodorus, monachus seculi V, præcipue memorabilis est, quia primus nativitatem Christi in annum Julianum 45 contulisse, atque adeo cum æræ Christianæ vulgaris autore consensisse putatur. Ceterum etsi priorum V seculorum Christiani annum Christi natalem investigarunt, tamen tempora ab illo non computarunt, sed æris longe diversis usi sunt, quod ex inscriptionibus eorum sepulchralibus, actis martyrum & conciliorum demonstratur.

Caput II, æram Christianam seculo VI a Dionysio Exiguo primum usurpatam fuisse, contra Ant. Pagi demonstrat: cycli Paschalis Dionysiani, anno 526 juxta annos Christi ordinati, rationem describit, & in æræ Dionysianæ a vulgari hodieque usitata discrepantiam inquirit.

Caput III, de usu æræ Christ. post Dionysium inscriptum, illam, ducentis post mortem autoris sui annis fere intermissam, seculo demum VIII a Beda instauratam, deinde a Bonifacio in Germaniam Galliamque ex Anglia translatam, anno 742 in *Synodo* Germanica pariter ac Cloveshaensi primum publica autoritate adhibitam, & inde a Caroli M. temporibus in *Impp.* diplomatibus frequentatam fuisse, ostendit. Unde perperam a Carolo Crasso hujus rei initium vulgo repetitur. Quo tempore *Pontifices Romani* epistolas suas annis Christi signare cœperint, non satis inter omnes convenit. Constans fere opinio est, ex Paulo Middelburgensi desumpta, & Petavio, Papebrochio, Ciacconio, Pagio, Spanhemio, aliisque probata, seculo demum XV Eugenium IV id primum instituisse. Illam vero Mabillonius operose confutat, & contrarium multis exemplis epistolarum Papalium inde a seculo XI repetitis probare studet. Autor, utramque sententiam certo modo concedi, aut saltem conciliari posse, existimat. Nam etsi verum est, quod Mabillonius contendit, annos incarnationis Dominicæ in bullis quibusdam undecimi & proxime sequentium seculorum reperiri; illos tamen non ipsius Pontificis, sed tantum Cancellarii aut scribæ nomine hac vel simili formula notatos videas: *Data V Idus Octob. per*

manus Udonis sanctæ Apostolicæ sedis Cancellarii, anno Domini Leonis IX Papæ I, indict. II, anno vero Dominicæ Incarnationis M XLVIIII. Contra ea Eugenius IV annos Christi cum annis Pontificatus sui in prima persona tali modo conjungere cœpit: *Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ M CCCC XXXVI, VII Kal. Nov. Pontificatus vero nostri anno primo:* ut adeo hoc saltem nomine primus æram Christianam adhibuisse dici possit. In privatis historiæ & Chronicorum scriptoribus, qui æra Christi tempora designarunt, illud maxime observandum, quod plerique omnes usque ad seculum XVII, communi quodam errore, natalem Christi ex sua aut veterum sententia *verum* cum principio æræ *vulgaris* seculo VIII introductæ commiscuerunt, & in recentiori quidem historia ab hoc, in antiquiori vero primorum post C. N. ut & omnium ante C. N. seculorum, ab illo annos Christi numerarunt. Unde fieri non potuit, quin, totidem annis, quot principium æræ vulgaris initio anticiparant, deinde extrusis, Chronologiam insigniter perturbarent: id quod in Chronicis Gobelini Personæ, Jo. Naucleri, Jo. Funccii, Abr. Bucholzeri, & inprimis in Annalibus Cæs. Baronii luculenter demonstratur. Primus Chronologorum Sethus Calvisius ope Periodi Julianæ, a Scaligero suppeditatæ, originem hujus confusionis detexit, annos Christi primos cum ultimis recte connexuit, atque adeo, ut Scaligeri verbis utar, in Chronologia nugari desiit. Eum Petavius, Pagius, & plurimi alii secuti sunt. Interea error ille inveteratus tam altos egit radices, ut hodieque vestigia ejus, etiam apud doctos quosdam viros, in numerandis annis nativitatem Christi antecedentibus, aut proxime consequentibus deprehendas. Exemplum ejus rei luculentum præbet diligens alioqui scriptor Carolus le Cointe, qui, Baronium incaute secutus, annos Christi in Annalibus priorum seculorum non aliter numerat, ac ille, & alii, qui ante Calvisium Chronica compilarunt. Denique *Græcam* Ecclesiam, epochæ mundanæ assuetam, sero admodum, nec fere alibi, quam in commercio literario, post captam CPlin cum Occidentalibus instituto, æram Christianam recepisse, demonstratur.

HISTOIRE DES QUATRE CICERONS,

i. e.

HISTORIA DE QUATUOR CICERONIBUS.

Hagæ, apud Joannem van Duren, 1715, 12.
Plag. 15.

LOngissimam Dedicationem, ALEXANDRO, Principis KURAKINI, Russici nunc in Hollandia Legati, filio factam, cui nomen suum Bibliopola subscripsit, sequitur amœna Dissertatio, cujus Autori constitutum est demonstrare, filium Ciceronis patre non fuisse inferiorem virtutibus, cum vulgo inter degeneres magnorum virorum liberos referatur. Hunc in finem Ciceronis filii vitam describit, munera ipsius bellica enarrans, itemque studia Athenis Cratippo duce haud segniter exculta. Animadvertit inter hæc, eum Athenis in familiaritatem Gorgiæ rhetoris incidisse, ebriosi hominis ac libidinosi, cujus illecebris fuisset corruptus, nisi pater ipsi per literas interdixisset familiari hujus hominis usu: cui mandato eum statim morem gessisse, ex ipsius ad Tironem epistola demonstrat. Qua occasione observat, plures Ciceronis filii epistolas hodienum superesse inter epistolas patris, prudentiæ, suavitatis, generositatis plenas & plane disertas. Pergit, eum libertatis studio patri parem a morte Julii Cæsaris in Cassii Brutique castris fortiter militasse: hinc cum Octaviano, qui postea Augusti nomen accepit, reconciliatum, factum esse Pontificem Maximum, paterna recuperasse bona, & in maximo apud populum Rom. fuisse amore. Quid? tantopere Augusto fuisse carum, ut & eum faceret Consulem, & eodem uteretur fortissimo belli duce. Ad ultimum Romæ vixisse in otio, & quia, oppressa libertate, magnas res gerendi occasio ei defuerit, luxuriosius vivere cœpisse, partamque per plurimos annos virtutis gloriam senem uno isto vitio decoxisse. Adeoque hoc unum ejus crimen esse, quod non in curriculo virtutis perrexerit ad vitæ finem, sed in devia deflexerit, non suo magis, quam temporum vitio. Ceterum placuit Autori, Ciceronem quoque patrem, ejusque fratrem & hujus filium, quos duos posteriores levissimos fuisse homines ex historia

evincit, in hanc ſcenam producere, eorumque vitam ac fata exponere. Equidem Ciceronis oratoris vitam ab aliis uberius deſcriptam habemus. Quare nihil inde repetendum ducimus, niſi quod Autor, virtutes ejus prædicans, non taceat nævos ejusdem, eumque ob duo potiſſimum vitia reprehendat, primo ob timiditatem animique mollitiem, cui nullum attulerit remedium philoſophia, deinde, quod ſenex duxerit juvenculam, ludibrio multorum ea re ſe exponens. Ceterum quam vere libellus hic Cl. Harduino a nonnullis adſcribatur, non dijudicamus.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI, OCCIdentalium monachorum Patriarchæ; Auctore DOMNO JOHANNE MABILLON, Presbytero & monacho ejusdem Ordinis e Congregatione S. Mauri.

Tomus V.

Lutetiæ Pariſiorum, ſumptibus Caroli Robuſtel, 1713, fol. Alph. 9 pl. 20.

PErvenit tandem ad nos Celeberrimi Mabillonii Annalium Ordinis S. Benedicti Tomus quintus cura atque ſtudio Viri Clar. Fr. Renati Maſſuet, quem integrum fere reliquit doctiſſimus Mabillonius, paucis exceptis, quæ cum Ruinartus tum Clar. Editor ex variis, quæ cum iis amici communicarunt, monumentis addiderunt, prout hic ipſe in Præfatione ſua fatetur. Cui & Mabillonii ejusdemque diſcipuli Ruinarti Vitam addidit. Etſi vero epitaphium Mabillonii in Actis noſtris 1708 p. 184 exhibuimus, & Ruinartus pro ſuo in magiſtrum amore Gallica lingua deſcripſit: *Abregé de la vie de Dom Jean Mabillon*, Pariſ. 1709, 12, rem tamen Lectori non ingratam nos facturos arbitramur, ſi utramque exhibeamus. Joannes Mabillon honeſtis parentibus d. XXIII Novembris anni M DC XXXII in vico S. Petri de Monte vulgo *Saint Pierre Mont* in Campaniæ finibus in lucem fuit editus & jactis primis fundamentis die VI Septembris M DC LIV congregationi S. Mauri ſe adjunxit, in qua ſocietate tantos in virtute & literis progreſſus fecit, ut jam tum ſummam de eo ſpem conceperint ſuperiores Congregationis, ſed quum in graviſſimum, eumque continuum capitis dolorem incideret,

ciderer, adeoque ſpes exigua de vita ejus ſupereſſet, ad monaſterium B. Mariæ de Norigento prope Codiciacum miſſus eſt, ut ruris otio & liberiori cœlo afflicta valetudo refici poſſit, intra quod tempus, quantum per debiles licuit vires, antiquitatibus eruendis incubuit. Dehinc miſſus eſt initio Julii anni M D C L V I Corbejam Veterem, nobile Agri Ambianenſis monaſterium, ubi ad Cellarii munus promotus fuit, quoniam morbus eum juberet literis ac regularibus exercitiis quaſi valedicere. Anno M D C L X die XXVII Martii ſacer Presbyterianus ordo ipſi collatus fuit, qui novos pietatis ſtimulos addidit, cujus fovendæ gratia optimos quosque libros evolvit. Enimvero cum legiſſet aliquando, ſanctum Gerhardum, Corbejenſem undecimo ſeculo monachum, eadem ferme corporis infirmitate laborantem, Sancti Adelhardi Corbejenſis quondam monachi precibus & meritis integritati corporis fuiſſe reſtitutum, eadem ſpe eundem ſanctum Abbatem rogavit, ut id, quod Gerhardo olim præſtiterat, ſibi non denegaret, quæ preces ſucceſſu ſuo non caruerunt, quoniam a capitis dolore paulo poſt liberatus eſt, ejusque accepti beneficii memoriam conſervaturus, hymnos in Adelhardi laudem compoſuit, qui cum aliis ejusmodi hymnis, quos vel novos edidit, vel veteres emendavit, in unum collecti typis vulgati ſunt, ad uſum eccleſiæ Corbejenſis. Miſſus A. M D C L X I I I in regalem S. Dionyſii abbatiam prope Pariſios, ibi cimeliarchæ munus obtinuit, ubi Lucæ d'Acheri, monaſterii in Suburbano S. Germani a Pratis Abbati, innotuit, cui & in eruendis colligendisque veteribus monumentis indefeſſus ſuppetias tulit. Mox de nova omnium S. Bernardi Operum editione cogitavit, quam jam Claudius Chantelou in animo habuerat, ſed morte præventus ipſum opus non abſolverat. Prodiit elegantiſſima hæc editio cura Mabillonii anno M D C L X V I I, tum duobus voluminibus in fol. tum novem minoribus in 8, recuſa A. 1690, aucta quinquaginta fere novis epiſtolis pluribusque diſſertationibus præviis & annotationibus illuſtrata, 2 Voll. fol. Libros autem de *Conſideratione* elegantioribus typis commodiorique forma ſeparatim edi curavit anno 1701. Sed de nova iterum omnium S. Bernardi operum edi-

editione cogitantem, mors sustulit. Aliud nec minoris molis munus suscepit, dum generalem & accuratam ordinis S. Benedicti historiam scribere voluit, quod Antistites ordinis promoverunt, & propterea varias in provincias atque regiones peritos monachos miserunt, qui monasteriorum & ecclesiarum bibliothecis & archivis sollicite perlustratis, ex iis colligerent, quæ ad rem pertinere viderentur. Primum ergo Tomum Actorum Ordinis S. Benedicti per seculorum classes distributorum vulgavit Parisiis 1668, quem paulatim octo alii sunt secuti, (vide Act. Er. 1686 p. 57 & 1703 p. 263) ut unus tantum supersit, ad complendum opus, cujus proximam editionem nos sperare jubet Clar. Massuet, qui illum fere typis paratum esse, affirmat. Omnibus vero Tomis ita nomen suum præfigi curavit, ut *Acherii* semper præponi, in posterioribus *Ruinarti* adjungi voluerit, quanquam cujus potiores essent in opere partes, nullus nesciret. Quum vero veritatis nimis studiosus fuerit, id displicuisse pluribus, quos immodicum Benedictini nominis studium ceperat, fatetur Editor doctissimus. Male enim actum cum Ordine existimasse illos tradit, si Benedictinus eos albo Sanctorum expungeret, quos credula nimis majorum pietas Calendariis inscripsisset. Sed his convitiis nihil commotum Mabillonium fuisse, testatur, quum adeo veritatis esset studiosus, ut professus sit: malle se a scribendo penitus cessare, quam ordinis gloriæ ultra modum studiosis gratificando quidquam scribere, quod a sinceritate ullo modo deflecteret. Anno 1684 dissertationem *de pane eucharistico azymo & fermentato* edidit, qua contra Sirmondum & Eminentissimum Cardinalem Bona, cui tamen librum inscripsit, probare annisus fuit, perpetuum fuisse solius azymi panis in ecclesia Latina usum, nec Photii tempore adhiberi cœpisse. Alii controversiæ fuit immixtus Mabillonius, quum de libelli *de Imitatione Christi* autore disputaretur, num is sit Thomas a Kempis, num Joannes Gerson? Hujus apologiam Franciscus Delfau scripsit, quo mortuo a diversum sentientibus oppositæ fuerunt *Vindiciæ Kempenses a R. P. Canonico Regulari Congregationis Gallicanæ, adversus R. P. Franciscum Delfau*, quibus Noster anno 1677 *Animadversionibus ad Vindicias Kempenses*

re-

respondit: qua occasione Editor in Richardi Simonis, qui sub nomine *Dn. de Sainjore* latere voluit, Bibliothecam Criticam invehit, quam cum omnium offensione prodiisse dicit, quum illum Autorem T. I c. 18 p. 89 inique hac de controversia judicasse velit. Anno 1675 primum *Analectorum* suorum Tomum in 8 vulgavit, quem collecta plurima monumenta literaria complecti voluit, quemque tres alii annis 1676, 1682 (vid. Act. Er. 1684 p. 65) & 1685 sunt secuti. (Vid. Act. Er. 1686 p. 17.) Eruditissimus est omnium judicio labor quem *de Arte Diplomatica* suscepit & anno 1681 fol. maj. in lucem emisit, (vid. Act. Er. 1682 p. 129) cui anno 1704 Supplementum in fol. addidit (vid. Act. Er. 1706 p. 358) & anno 1709 nova eaque emendatior editio successit. (Vid. Act. Er. 1710 p. 273.) Equidem Joannes Baptista Colbert ad hoc opus perficiendum sumtus obtulit, sed recusavit Mabillonius eos accipere; quare eum & ab Autoris Bibliothecæ Criticæ & ab aliorum, ut vocat, criminationibus defendit Clar. Editor. A. 1682 in Germaniam & 1685 in Italiam profectus est, quo in itinere D. Michaelem Germain habuit socium, cum quo omnes bibliothecas veteres & novas, archiva & cimelia, perlustravit, uti ex *Museo Italico* Parisiis 1687 vulgato constat. (Vid. Act. Er. 1687 p. 593 & 1690 p. 291.) Hinc novis litibus implicatum iterum ordinis sui monastici vindicem agere oportuit. Quum enim in solennes ordinum Burgundiæ conventus semper admissi fuerint Benedictini abbatiarum octo, Canonici vero regulares circa annum 1687 illam prærogativam peculiari scripto in dubium vocaverint, respondit huic Mabillonius, cui quidem & alter e Canonicis regularibus se opposuit, sed & illi Noster altero scripto satisfecit, cujus titulus *Deux Memoires touchant la preseance des Benedictins sur les Chanoines reguliers aux Etats de Bourgogne*, 1687, 4. Eodem anno scripsit epistolam de primario instituto Romarici Montis, vulgo *Remiremont*; biennio vero post Tractatum patrio sermone de *Missa & Communione* in regula S. Benedicti adhibitis edidit. Anno 1691 prodiit in 4 ejusdem Tractatus *de studiis monasticis*, quo majori plausu vix ullum librum exceptum unquam fuisse dubitat doctissimus Massuet, (vid. Act. Er. Suppl. T. II p. 267) qui & refert, quod

quam

quam sæpissime & variis in linguis fuerit editus; licet V. C. Amando Joanni Butillerio Abbati B.M. de Trappa displicuerit, cui quidem a Mabillonio fuit satisfactum. Postea præcipuam operam Annalibus Benedictinis scribendis admovit, ediditque jam tum anno 1696 Epistolam encyclicam de morte Mariæ de Blemur e Benedictina congregatione. Anno sequenti regulam S. Benedicti cum statutis, quæ Stephanus Poncherius, Episcopus Parisiensis, publicaverat, Gallice denuo convertit & anno 1698 Epistolam, sub nomine Eusebii Romani ad Theophilum Gallum de Cultu Sanctorum ignotorum vulgavit (vid. Act.Er.1699 p.107) quæ multis non placuit. Eodem anno epistolam ad catholicos Anglos scripsit, qua se a fama, quasi ad Protestantium sacra transiisset, liberavit, aliamque A. 1700 Epistolam patria lingua ad Episcopum Blesensem de veteribus Reliquiis discernendis edidit. Anno 1701 in Regiam Inscriptionum Academiam receptus est Mabillonius. Anno 1702 librum de *morte Christiana* edidit, quem anno 1703 Annalium ordinis S. Benedicti Tomus I excepit. Hunc anno 1704 secundus (vid. Act. Er. 1705 p.413) A.1706 tertius, & 1707 quartus fuerunt subsecuti, (de quibus dicemus proxime in Supplem.) quominus vero plures prelum subierint, mors impedivit, quæ d. 27 Decembris 1707 illum vivis eripuit. Copiosior est Clar. Editor in Mabillonii moribus, atque virtutibus, pietate & animo demisso prædicandis, sed hæc nos haud morantur; quin pauca adhuc de Theodorico Ruinarto addamus. Hic natus Remis die decima Junii anno 1657 literis incubuit quam diligentissime, quibus absolutis A. 1682 Parisios vocatus est, ut Mabillonio duce ulteriores faceret progressus, quæ spes necdum fefellit, dum editis jam anno 1690 *Actis Martyrum sinceris & selectis in* 4 ostendit, quam feliciter se ad Mabillonii præcepta & mores imposuisset, (vide Act.Er. Suppl. T.I p. 593) quæ patrio sermone donavit *D. Drouet de Maupertuis*. A. 1694 *Historiam persecutionis Vandalicæ in* 8 publici juris fecit. (Vid. Act Er. Suppl. T. II p. 407.) A. 1699 novam eamque elegantissimam operum S Gregorii Turonensis dedit editionem, (Vid. Act. Er. 1700 p. 437.) Et quum Mabillonius in lucem emitteret sextum seculum Actorum Ordinis S.

Bene-

Benedicti Ruinarti nomen adjecit, cujus opera in Actis digerendis, in ordinem redigendis atque illustrandis fuerat usus. An. 1702 patrio sermone *Apologiam missionis S. Mauri, Benedictinorum in Francia apostoli*, in 8 edidit. (Vid. Act. Er. 1703 p. 438.) Postea pugnavit pro opere Mabillonii de Re diplomatica, novamque illius editionem Anno 1709 procuravit. Hujus præceptoris sui jam memoratam Vitam Gallico sermone edidit; sed quum ad ordinis S. Benedicti Annales totum se converteret, ei labori die 27 Septembris ejusdem anni immortuus est. Præter opera jam memorata, studiose Epistolas collegit Summi Pontificis Urbani II, quibus accuratum ejusdem historiam præmisit, cujus operis editionem, strepitu belli cessante, nos expectare jubet Clarissimus Massuet.

Jam de ipso Annalium Tomo Quinto aliquid dicendum. Complectitur ille res gestas ab anno a C. N. M LXVII ad annum M C X V I, ultimo anno incluso, & decem libros, nempe a libro *sexagesimo tertio* ad *septuagesimum secundum*, continet, ubi varia & ecclesiæ & civili historiæ non parum utilia inveniuntur. Nos pauca speciminis dabimus loco.

Sub anno 1068 de Heinrico IV Germaniæ Rege agit, cujus non adeo æquus judex Mabillonius esse videtur. Testatur enim, laxasse Heinricum lascivienti adolescentiæ frena, principes despectui habere cœpisse, venationi ac ludicris, non justitiæ operam dedisse, & summa imis miscuisse. Solum apud eum in honore fuisse dicit *Adelbertum* Bremensem Archi-Episcopum, quum hominem tantæ superbiæ fuisse arguit, ut neminem sibi sanctitate parem existimaverit. Hic ut tantæ autoritatis & vitæ innocentis quoddam argumentum præberet, cuidam Abbatissæ, quæ tum ægrotabat, præcepisse fertur, ut intra quindecim dies moreretur; sed ista mandato illius non paruit, quippe intra illos quindecim dies iterum, non sine Archi-Episcopi opprobrio, ad pristinam valetudinem rediit. Heinricum flagitiorum deditissimum describit, quem nec unicæ sorori suæ pepercisse ait, quam fuisse *Adelheidem* Gandersheimensem Abbatissam conjicit. Talia flagitia Agnetem matrem haud potuisse tolerare addit, quæ in monasterium S. Petronil-

pag. 18.

 læ

læ Romam ſe receperat, & a Johanne quodam Abbate petierat, ut colligeret ex S. Scriptura & Patrum ſententia quosdam ſermones, ex quibus bene vivendi diſceret normam, quod etiam fecit, eamque hortatus fuit: *ut non eccleſiaſticis divitias multas poſſidentibus, ſed viduis, orphanis, infirmis, peregrinis, illisque maxime, qui vere ſunt pauperes Chriſti, eleemoſynas ſuas*
p. 20. *diſpenſet*. Sub anno deinde 1070 commemorat, Wilhelmum Angliæ Regem *Stigandum* Cantuariæ Archi-Epiſcopum ſede dejeciſſe, & *Lanfrancum* ei ſuffeciſſe, *Vitalem* Weſtmonaſterii Abbatiæ præfeciſſe, aliosque Epiſcopos & Abbates conſtituiſſe, ex quo conſtat, Regibus Angliæ iisdem temporibus jura circa ſacra competiiſſe, nec a quoquam in dubium vocata fuiſſe,
44. quod poſterioribus demum temporibus factum. De Salefeldenſis monaſterii ad fluvium Salam in confinio Thuringorum & Slavorum ſiti origine agens, quam *Annoni* Colonienſi Archi-Epiſcopo debet, Chriſtiani Schlegelii commendat Schediaſma de numis Salefeldenſibus, ex quo annotat, habuiſſe quondam illud monaſterium jus cudendæ monetæ, quod jus Senatui Salefeldenſi Heinricus Abbas vendidit medio ſeculo decimo quarto: unde diſcimus, illis etiam temporibus non ſoli Imperatori
60. regale cudendæ monetæ competiiſſe. Anno 1073 electus fuit in Summum Pontificem Hildebrandus, poſt Gregorius VII dictus, cujus electionem & res geſtas paſſim deſcribit Noſter. Mentionem etiam facit originis Grandimontenſis ordinis, quem Stephanus de Tigerno inſtituit, & ſuis precibus ab iſto Pontifice confirmatum obtinuit, quam conceſſionem Autor Annalium Grandimontenſium p. 30 ſub anno 1073 exhibet, & *primam apoſtolicam confirmationem futuri ordinis Grandimontenſis factam a Gregorio VII Summo Pontifice, qui S. Stephanum multis oblatis beneficiis ſibi notum retinere volebat*, dicit. Sed Mabillonius haud probæ fidei notas in illo diplomate occurrere fatetur, quod in inſcriptione Gregorius *Servus Servorum Dei* dicatur, qua formula illum ante conſecrationem ſuam, quæ anno tantum ſequenti facta eſt, non uſum fuiſſe, ſed *Gregorium in Rom. Pontificem electum* ſe ſcripſiſſe, obſervat, quibus alia etiam addit. In Anglia anno 1074 a Lan-

a Lanfranco Archi-Episcopo Cantuariensi Ecclesia S. Salvatoris igne combusta, restituta novisque monachis tradita fuit, p. 84.
in quorum gratiam librum decretorum seu rituum monasticorum composuit, ex quo observandum, Monachos omnes in triduo ante Pascha sacra communione refectos fuisse, pauperes vero, quibus in cœna domini pedes abluebantur, *de Oblatis non consecratis communicatos fuisse.* Novitios denique, facta professione tribus diebus *communionem corporis & sanguinis Christi* percepisse, silentium tenuisse & quæ hujus generis sunt alia.
Lib. 66 de origine ordinis Cartusianorum inter alia agit, cu- 101.
jus autorem *Brunonem* fuisse docet. Ortus ille fuit Colonia ibidemque Clericus factus in civitatem Remensem adolescens secessit; dein sub Pontificatu Gervasii Canonicus & Scholarum Magister moxque Cancellarius factus est. Reliquit autem mundum & in eremum discessit, colloquio cum duobus amicis *de falsis oblectationibus & perituris mundi hujus divitiis* nec non *de perennis gloriæ gaudiis* habito motus, ut ipse in Epistola fatetur; quibus aliam causam addunt, Manassis nempe Archi-Episcopi Remensis corruptos mores, quos Bruno strenue insectatus sit, quare aliam istius secessus causam, quam post annos minimum ducentos quidam attulere autores, nimirum Brunonem, dum Parisiis in Scholis versaretur, prodigio redivivi Canonici, qui se damnatum vociferatus sit, perterritum, in eremum discessisse, & adjunctis sibi sociis Cartusiensium ordinem instituisse, falsam aut ad minimum dubiam esse confirmat. Egressus itaque Remis Bruno cum sociis sex Hugonem eximiæ sanctitatis virum Gratianopolitanum Episcopum adiit, qui, ut fertur, cœlitus septem stellarum visu de eorum adventu præmonitus, accedentes paterno complexus amore asperrimos Cartusiæ montes eis ad habitandum concessit, quorsum isti se contulere & Brunone duce ac Magistro cœlestem vitam agere cœperunt, qui præter istum Brunonem fuerunt, *Landuinus* Italus, ejusdem in Majoris Cartusiæ regimine proximus successor; *Stephani* duo, Burgensis & Diensis, sancti Rufi Canonici, *Hugo* sacerdos & laici duo *Andreas & Gvarinus.* Postea inquirit, num hæc ejusdem Ordinis institutio anno 1084, num 1086, quod Baronius & Sirmondus pro-

pugnant, fuerit facta, & de Cartusiensium regula atque institu-
p. 227. tis disquirit. Lib LXVII Desiderium Abbatem legitime electum fuisse in Pontificem maximum sub nomine Victoris III judicat, Hugonem vero Flaviniacensem, apud Labbeum in Bibl. T. I p. 233, aliquid humani esse passum putat, dum scripserit, Casinensem Abbatem, antequam ipse Hugo Romam advenisset, electum fuisse, seque uti & ceteros fratres hominum magis quam Dei respectu ejus electioni præbuisse assensum, ast ubi Casini eum convenisset, tam nefanda ex ejus ore se audivisse, ut assensus sui magnopere illum pœnituerit: eum quippe dixisse, se Heinrico Regi fidem dedisse & propterea illius partes omni modo defendere teneri; quod tamen Mabillonius ex eo satis refelli posse arbitratur, quod Heinrico semper contrarius fuerit, nec Abbatiam suam Casinensem de manu Regis unquam accipere
236. voluerit. In sequentibus ejusdem consecrationem, acta & obitum multis describit Autor noster.

Possemus facili negotio plura addere, quæ e. g. de Beneventana Synodo p. 279; de Hirsaugiensi Monasterio ejusque privilegiis p. 220, 287; de ejusdem Abbate Gebhardo, quem cœlitus correptum ob subtractam pauperibus annonam ferunt, p. 448; de Monasterio S. Galli in Helvetia p. 124, 183, 464, 583, de Sigeberto Gemblacensi, nobili historiæ scriptore, quem S. Luciæ Virginis & martyris passionem prosa & ligata oratione, librum de jejuniis quatuor temporum, responsiones ad Epistolas Gregorii VII & Paschalis Papæ, p. 136, S. Guiberti vitam, p. 555, Chronicon & librum de Scriptoribus Ecclesiasticis, p. 581 edidisse refert; de Anselmo ex Abbate Beccensi Archi-Episcopo Cantuariensi, qui Menologium, librum Meditationum, Proslogium, librum de Veritate, de Casu Diaboli, de Libertate arbitrii, de Grammatica, de Malo, p. 37, 58, 132, 476, de Incarnatione Verbi, p. 309, de quæst. *Cur Deus homo?* p. 324, de processione Spiritus S. p. 401, de peccato originali, p. 417, de concordia prædestinationis cum libero arbitrio, p. 504, plures Epistolas & alia scripta edidit; de Weingartensi Monasterio, a Welfone Bavariæ Duce condito, p. 329; de Cisterciensi ordine ejusque institutore S. Rotberto, p. 393, 405, 617, variisque aliis rebus maxime historiæ inser-

inſervientibus refert doctiſſimus Mabillonius, de quibus tamen plura addere inſtitutum noſtrum vetat. De Mathilde Comitiſſa, Bonifacii Marchionis filia, Godofredi Gibboſi, poſt Welfonis Bojoariæ Ducis uxore, multis in locis agit Clar. Autor & ejus res geſtas recenſet, quas maximam partem ex Domnizo Presbytero hauſit, qui vitam illius verſibus quidem haud elegantibus, ſed, ut Autor judicat, veritate factorum æſtumandis in quatuor libros digesſit, & ad calcem operis effigiem ipſius Mathildis minio repræſentari curavit, quam in æs inciſam Dominicus Mellini in fine Vitæ ejusdem Mathildis Italice a ſe ſcriptæ exhibuit, & Mabillonius iterum p. 610 recudi fecit.

Appendix varia diplomata atque monumenta numero XCII maximam partem inedita complectitur, quibus triplex Index eſt additus. Primus omnia, quæ hoc Volumine comprehenduntur, generaliter indicat, ſecundus Monaſteriorum & Abbatum exhibet recenſionem, & tertius enumerat præcipuos Scriptores atque Autores, qui hoc Tomo laudantur; in fine tandem addenda quædam & corrigenda in ſuperioribus Tomis adjiciuntur.

HODEGETA FORENSIS CIVILIS ET CRIminalis, principiis Juris fundatus, Actionum, Exceptionum, Leuterationum, Appellationum, Supplicationum & Regiſtraturarum Judicialium, Proceſſus Ordinarii, & Summarii, Executivi, Cambialis, Areſtatorii, & Poſſeſſorii, nec non Defenſionum Criminalium, Regulis & Formulis Practicis, Stylo Curiali moderno Germanico expreſſis, inſtructus, variisque JCtorum Reſponſis, Præjudiciis & Obſervationibus Fori confirmatus, a D. GOTHOFREDO BARTHIO.

Lipſiæ, apud Thomam Fritſch, 1715, 4.
Alph. 6.

QUantum ſibi Orbis literatus de utilitate atque præſtantia hujus Operis promittere debeat, illi conjiciant, qui Conſultiſſimi Autoris miram rerum forenſium peritiam, ejusque in cauſis agendis dexteritatem exploratam habent. Quamvis etiam in

eo non adultioribus ſed tyronibus Praxeos & Neo-Practicis potiſſimum ſcripſerit, invenient tamen & illi hinc inde plurima, quorum forte lectio ipſos neutiquam pœnitebit. Et quidem in ipſo ſtatim Præfamine prolixe oſtenditur, ſtatum atque munus Advocatorum, quo ipſe ultra duos & triginta annos functus eſt & huc usque fungitur, eo majore in Republica eſſe utilitate, quo magis ipſorum nomen communiter eſſet exoſum; neque tamen exinde horum profeſſioni quicquam felicitatis decedere, ſiquidem ſuæ libertati relicti, a nemine mortalium præter Deum & Principem dependerent, & ſolius Dei providentia atque benedictione freti, quaſi proprium haberent ſymbolum: *Dominus providebit.* Tria vero ad nomen Advocati rite tuendum requiri, 1 ut ſit Clienti ſuo fidelis, Judicis aut adverſarii offenſas parum curans; 2 ut juſtas non injuſtas cauſas, præſertim Criminales, defendendas ſuſcipiat; 3 ut competenti ordine, obſervatis pro ſtylo cujusque Curiæ Formalibus & Fatalibus, Clientum Jura proponat. Modus vero proponendi, uti pro varietate Proceſſus varius eſt, ita ſingulæ hujus ſpecies ſex ſeparatis Capitibus ſiſtuntur, ita ut primum de Proceſſu in genere illiusque Formalibus, deinde in ſpecie de Civili, nimirum de Petitorio tam Ordinario Cap. 1, quam Summario Cap. 2, Executivo Cap. 3, & Cambiali nec non Areſtatorio Cap. 4, & Poſſeſſorio Cap. 5 agatur, denique Proceſſus Criminalis formalia Cap. 6 demonſtrentur. Nos ex ſingulis pauca pro inſtituto noſtro delibabi-
p. 38. mus. Sic de Citatione, tanquam prima Proceſſus parte, monetur, quod, licet alias a Commiſſario Principis partes litigantes, irrequiſito Judice inferiore, citari poſſint, Conſiſtoria tamen Saxonica, etiamſi vice Electoris ex mandata quaſi Jurisdictione in cauſis Eccleſiaſticis fungantur, citationes absque requiſitione inſinuare perſonis eorum jurisdictioni haud ſubjectis nequeant, ne quidem iis, quæ in domo Clericorum, ut conductitiæ, ſervi vel ancillæ, degunt, illud nihilominus prærogativæ præ aliis ſecularibus Judiciis habeant, quod omiſſis verbis: *in ſubſidium*, requiſitionem faciant. Omnis vero Citatio, ſub præjudicio facienda, terminum legalem continere debet, quod Fatale in
126. Saxonia ad 6 ſeptimanas & 3 dies lege publica extenditur; id quod

quod inde ortum videtur, quoniam Jure Civili non niſi tribus dilatoriis citationibus peremtorie quis citari, nec ut contumax puniri potuit l. 69, 70, 71 ff. de judic. idque Jure etiam Saxonico receptum; dilatoria autem Saxonica ſpatium 14 dierum continet: **eine bürgerliche Friſt**/ dicta, eaque itidem triplicari ſolet, triplex hujusmodi dilatoria pro termino peremtorio habetur; tres vero hujusmodi quaterdenæ 6 ſeptimanas & 3 dies præciſe efficiunt, ſi modo diem termini ſemper computaveris in terminum a. l. 133 ff. d. V. S. Citatis, ſi comparuerint, ex natura Pro- p. 273.
ceſſus Juramentum quandoque defertur, ubi altera pars ſub formula *ad videndum* (non ad audiendum) *jurare* denuo eſt citanda, quia ad ſolenne juramentum, **zu einem zierlichen Eyd**/ non tantum verba & formula jurandi: **So wahr mir GOtt helffe und ſein heilig Wort**/ ſed & ut erectis in cœlum duobus dextræ prioribus digitis, maſculi, admotis vero ad ſiniſtrum pectus fœminæ, aliisque per uſum receptis ſolennitatibus adhibitis, jurent, requiritur. Ad ea igitur omnia, quodque ſolenni ritu hic actus peragatur, videndum, is, contra quem juratur, citandus eſt. Rei officium habetur, ut litem conteſtetur, & quidem vel negative vel affirmative; ubi ardua oritur quæſtio: an Reus affirmanda 301.
negare ſalva conſcientia poſſit? Id quod Autori noſtro prægnantibus ex rationibus affirmandum videtur, cum fieri poſſit, ut Reus ſufficienti exceptionum peremtoriarum probatione deſtituatur, neque etiam eas conſcientiæ parum conſcientioſi adverſarii committere velit, at e contrario ſciat, negatum actionis fundamentum actorem probare minime poſſe, ſeque adeo actore non probante abſolutum iri. Accedit quod probatione hoc modo actori injuncta, reus commodo reprobationis gaudeat, **er kommt hinter die Hand** / h. e. non ſolum longius ſe præparandi ad deducendum reprobando exceptiones ſuas, ſpatium conſequitur, ſed & citra metum probationis contrariæ, reprobationem ſuam deinde ſecurius peragere, nec non ex ipſis ab Actore producendis documentis nonnunquam exceptiones ſuas eo magis fundare & probare poteſt. Neque propterea impia vocari meretur cautela, cum non nocendi ſed juſtam & bonam cauſam defendendi animo adhibeatur. Reus e contra in termino e-

maneir

manens condemnari quandoque solet ad legitima impedimenta,
auf Ehehafft und behelffliche Widerrede/ qui termini non
p. 310. synonimice sunt intelligendi, sed ita ut prius vocabulum proprie
Legibus approbata & quæ in facto consistunt, v.g. morbus, inun-
dationem aquarum &c. hoc vero alias exceptiones Juris a contu-
macia excusantes denotet, veluti si in Citatione dies termini fue-
rit omissus, item exceptio inepti libelli, &c. Fertur postea senten-
363. tia, eaque a viribus rei judicatæ suspendi potest Appellatione in-
terposita, ubi singulare Senatus Lipsiensis privilegium notari
meretur, vi cujus ad coercendum frivolas Appellationes, neque
schedulam Appellationis recipere neque Apostolos dare tene-
tur, priusquam depositio pecuniæ pro arbitrio ad 20 vel 30 Jo-
achimicos definitæ facta. Deposita autem pecunia, rejecta vel
sine omni effectu justificata Appellatione, aut facta illius renun-
ciatione, Senatui cedit; idque in specie quoque in Ordinatio-
ne Judicii Mercatorii Lips. Tit. 10. §. 3 repetitum. Simili
415. Privilegio singulari modo laudatus Senatus Lipsiensis,
a Mauritio Saxoniæ Electore ipsi sub dato Dreßden den 2
Mäy 1546 concesso, gaudet, quod eo invito, nemo extraneis vel
Nobilibus immobilia sua vendere possit sub pœna amissionis
quartæ partis alienati prædii; cujus tenorem integrum hic in-
serere operæ pretium foret, nisi brevitatis ratio in præsenti esset
habenda. Quin nec locare integra ædificia extraneis Merca-
toribus aut Nobilibus, exceptis Academicis, Doctoribus, Magi-
stris & Studiosis, sine consensu Magistratus licere, ex declara-
tione & extensione dicti Privilegii authentica ejusdem Electo-
90. ris Mauritii de d. 10 Maj. A. 1546 patet. Reus de crimine usu-
rariæ pravitatis convictus pœna infamiæ notatur, idque hodie
adhuc in viridi esse observantia, ex recentissimo Præjudicio ap-
paret, ubi creditrix honoratioris conditionis, accepto per septi-
manam pro singulis thaleris uno numo, infamis declarata &
sors fisco adjudicata est, verb. so sind die von ihr auf Wucher
ausgeliehenen Summen vor verfallen zuachten/ und im übrigen
sie Inhalts des am 28 April 1625 ergangnen Churfl. Sächß.
gnädigsten Mandats, vor anrichtig geachtet V. R. W.
a Dn. Scabinis Lipsiensibus in Resp. ad Dn. Haubold von Ein-
siedel/

siedel/Creyß-Hauptmann in Ertz-Gebürge/und Herr Christian Cressen/ Creyß-Amtmann/ M. Aug. 1710. Ex quo judicato deinde cum dicta mulier a marito suo Medicinæ Doctore in testamento hæres instituta esset, exclusis testatoris fratribus & sororibus unilateralibus, subnexa tamen codicillari clausula, hæredes hi collaterales illius uti turpis personæ institutionem querela inofficiosi, occasione l. 27 C. d. inoff. test. impugnabant & M. Jun. 1712 ab iisdem Dn. Scabinis exoptatam obtinuere definitivam. Ad causas Criminales postea descendens, quæstionem præ- p. 906.
judicialem decidit: utrum scilicet Principi Jus aggratiandi in causis homicidii dolosi competat, nec ne? Ubi negative respondet, cum sanctione Legis divinæ, (a qua ne summos quidem Principes citra summam adulationem exemeris) hocce delictum mortis pœna puniatur. Ad extorquendam veritatem Tortura sæ- 956.
pius adhibetur, nondum tamen sufficit confessio Inquisiti durante tortura facta, verum illa biduo vel triduo post in consessu judicii inquisito iterum prælegenda, ejusque confirmatio ab eo exigenda, quam si ex pertinacia detrectat, secunda & tertia vice torturæ subjici potest, post tertiam vero revocationem Jure Saxonico Electorali a pœna ordinaria absolvendus est. Licet ex singularibus rationibus a Dn. Scabinis Lipsiensibus M. Junio 1710 in causa famosissimi cujusdam Furis quarta vice tortura dictitata & tunc demum fustigatio cum perpetua relegatione ipsi adjudicata fuerit. Ex Homicidio culposo Jure Saxonico 1031.
debetur Wehrgeldium das Wehr- oder Mann- item Sühn-Geld/ estque mulcta agnatis pro illata ipsis per internecionem consanguinei injuria, in redemtionem ultionis & vindictæ necis solvenda, quæ pro diversitate sexus personæ occisæ diversa est, masculo enim occiso, 24 sexagenarum antiquarum, 24 Alte Schock/ sive viginti thalerorum est, & vocatur ein gantzes Wehr-Geld/ fœmina vero interfecta duodecim saltem sexagenæ, seu decem thaleri, ein halb Wehr-Geld/ solvendi sunt, quia occiso mare major familiæ, quam interemta fœmina, quæ nubendo eam egreditur, infertur injuria. Similiter homicidium culposum nunquam capitaliter puniri potest, unde cum duo rustici e proximo Lipsiæ adjacente pago, 1083.

aus dem Kohlgarten / in cella vinaria Lipsiensi vino dulci se inebriassent, summeque ebrii, mutuis alapis, jocando certassent, alter ultimam excipiens de scamno, capite ad fornacem appulsus, exanimis in terram procidit, quia vero verberans extra omniem rectæ rationis usum tum fuit, adeo ut nec pedes nec manus suum officium facere potuerint, cum insuper incertum fuerit, ex alapa an lapsu mors insecuta esset, fustigationis pœnam, vi sententiæ a Dn. Scabinis Lips. M. Aug. 1625 latæ, subiit.

DISSERTATIO DE PESTE PER JOANNEM MICHAELEM de KOZAMERO, Med. Doct. Inclyti Ducatus Teschinensis Physicum, Coll. Nat. Cur. Collegam.

Wratislaviæ, apud Michaelem Hubertum, 1715, 8.

Plag. 3.

QUanquam salutaria passim prostent Medicorum præcepta, juxta quæ peste decumbentium cura institui valeat ac debeat, errores tamen observavit Autor Clar. non paucos circa ordinationes & instituta, quæ ad universale contagium tollendum, vel potius avertendum, sunt promulgata atque observata; suarum igitur partium esse credidit, veram contagii naturam explicare, ut ea perspecta felicius eidem obviam ire liceat. Supponit igitur, sicut in aliis morbis epidemicis, ita in
pag. 12. peste, sanum ab ægro infici, hancque grassando majoribus epidemicæ malignitatis pollere viribus, augerique; ac miasmata vel effluvia potissimum esse, quæ mumiam humanam in suam deleteriam naturam redigant. Per mumiam intelligit
19. partem hominis spirituosam, aut volatilem, sive hæc subsistat in circulantibus humoribus, sive jam intraverit genus nervosum, & spiritus animales constituerit, sive ut alimentum transierit in alitum, & solidis partibus computrescentibus iterum sui juris facta exspiret, sive abeat in miasma perpetuo ab homine exhalandum. Quo copiosius igitur nostra mumia in aere alicubi reperitur, tanto magis in hanc, tanquam in materiam appropriatam agit ac latius se diffundit gas pestilentiale. Et sicut omne fermentum requirit calorem pro sua actione, ita quoque

que peſtilentiale ſemper æſtivo calore excitatur & communiter
pro hujus gradu vehementius aut lenius ſævit, & pro hyemali
frigoris gradu iterum remittit. Quibus poſitis per ſe patet, di- pag. 22.
ram hanc luem aut plane averti, aut ejus perniciem fran-
gi melius non poſſe, quam ſi gas peſtilentiale ſeparemus a
mumia, quantum poſſibile, ſeu mumiam avertamus a gas,
ne hoc illam fermentando transmutet in ſuam naturam.
Cum igitur in domibus, ubi homines copioſius cohabitant, aer
noſtra mumia exhalata denſius ſit impletus, gas quocunque
modo allatum totam mumiam ibidem contentam inquinat, &
in gas tranſmutat, quod homines dein per inſpirationem infi-
cit. Mumia etiam rebus utenſilibus adhærere ſolet, gas con-
cipit, hocque dein diſſeminat. Hinc quando infecti a ſanis non 26.
ſeparantur, atrocius ſævit lues; ſicut Pragæ factum eſt inter Ju-
dæos, qui non tantum copioſius in domibus commorantur, ſed
etiam morbum primo celare tentarunt, aliquotque cellas ca-
daveribus impletas habuerunt; unde tantam ſtragem edidit lu-
es. Contrarium obſervatum fuit Viennæ, ubi infecti mox ad
noſocomium deportati, & horum utenſilia combuſta ſunt; hinc
in tam populoſa civitate reſpective exiguus numerus integro an-
no, quo peſtis graſſabatur, e vivis exceſſit, & quod notandum,
hæc lues tantum in inferiorem hominum ſortem tragœdiam
ludebat, quoniam hi ob pretioſum habitationum ſpatium cu-
mulatius invicem cohabitant. Sic peſtis Græcii in Styria in ipſis
incunabulis fuit confracta, quoniam infecti mox a ſanis erant
ſegregati. Autoris igitur conſilium eo redit, ut infecti a ſa- 30.
nis aut ſani ab infectis cito ac remote removeantur, ut omni ſtu-
dio aeri parcamus, ne multum veneno imprægnetur, quem ſa-
ni incolunt. Nec probat morem, quo magiſtratus infectos in 36.
domibus occludere ſolet, quia gas nullo modo ſe patitur inclu-
di, ſed ceu volatile exhalat, aeremque externum implet. Noſo- 38.
comium autem valde a civitate remotum eſſe vult, ne inde gas
vel effluvia aeri perpetuo ſe admiſcentia adeo facile ad civita-
tem diffundantur, & in loco, ubi ventus non multum verſus ci-
vitatem flare ſolet, nec etiam prope viam publicam, aut ali-
um locum, ad quem negotium quoddam hominum frequen-

tiam accersit, sed ab omni consortio humano, quantum possibile,
p. 40. segregatum esse debet. Nec minor cura circa tumulos, intra quos terræ mandantur demortui, adhibeatur, scilicet hi a civitate, a nosocomio ipso, a via publica, verbo, ab omni hominum
42. consortio remote debent effodi. Præter tempestivam infectorum a sanis remotionem aeris puritas pariter per ignem conservatur. In nosocomico e.g. in caminis perpetuus alatur ignis, & pro magnitudine ejus plures aut pauciores ejusmodi camini fornacum loco debent exstrui: quatenus ignis gas venenosum ad se attrahit, secum per caminum devehit, illiusque texturam immutando malignitatem destruit; quales ignes
45. etiam quivis civis in cubiculo fovere debet. Mortui denique quam citissime in loco a nosocomio longe remoto, ut modo monuimus, tumulo mandentur sat profundo, nec diu aut multum aperto; terra copiosa tegantur ac calce viva conspergantur.

A TREATISE OF DISEASES INCIDENT to the Skin,

i. e.

DE MORBIS CUTANEIS TRACTATUS DANIELIS TURNERI, Collegii Chirurgici quondam Collegæ, nunc Medici Londinensis Licentiati.

Londini, apud R. Bonwicke, & rel. 1714, 8.

Alphab. 1 plag. 2.

IN duas partes Tractatus hic a Clariss. Autore dispescitur, quarum prior de affectibus cutaneis universalioribus, scilicet de lepra, elephantiasi, pruritu, scabie infantum, herpete, erysipelate, variolis, aliisque febrium malignarum efflorescentiis, carbunculo & cancro, exanthematibus, sudoris & insensibilis transspirationis vitiis, colore cutis mutato, & de nævis maternis agit; posterior vero morbos, qui particulares cutis partes obsident, examinat, videlicet pilorum defluvium, tineam, phthiriasin, faciei, manuum, pedumque affectus, hæmorrhoides, canales naturales occlusos seu imperforatos, suggillationes, vulnera, ulcera, ambustiones, morsus & ictus animalium venenatorum, & læsiones partium ab instrumentis venenatis. In quibus declarandis affectibus, quæ tam quoad theoriam, quam pra-

praxin hactenus fuerunt tradita & commendata, fideliter allegat Noster, singulisque proprias, quas fecit in ægris, observationes subjungit. Sub calcem libri appendix legitur de efficacia topicorum, ex quo pauca commemorabimus.

Circa topica sunt, qui in excessu, alii, qui in defectu peccant; illi superstitioni nimis dediti varios characteres, periaptas &c. conficiunt, consignant, & appendunt; hi omnia pericarpia, subplantalia & epithemata cane pejus & angue oderunt, cum tamen ab emplastris, linimentis, &c. effluvia subtilissima ad sanguinem & fluidum nerveum penetrent, eorumque texturam immutent, unde varii æque salutares effectus exspectari possunt, ac a medicamentis, quæ per os propinantur. Ut eo evidentior evadat hæc de topicorum efficacia sententia, provocat Autor ad duos infantes, quorum umbilico pro lumbricis necandis & expellendis linimentum aliquod, quod de arthanita paratum existimat, fuit illitum, tanto cum effectu, ut cum convulsionibus universalibus animam efflaverint. Allegat insimul vim mercurii externe illiti, aut in cingulo gestati, atque salivationem promoventis; sic non minorem effectum deleterium venena externe applicata exhibent; cur igitur mitioribus naturæque amicis topicis omnis in alteranda œconomia animali energia denegari debet? In quam rem exemplum adducit fœminæ, continuis nauseis vexatæ, quæ frustra assumtis medicamentis cordialibus, stomachicis, & antemeticis, ex linteis in decocto menthæ, absinthii, & aromatum imbutis, calide applicatis sensibile levamen percepit. Nec quis mirari debet, ab effluviis topicorum tantam exspectari posse efficaciam, cum vel gravissimi morbi, apoplexia, puta, epilepsia, & alii convulsivi & hysterici affectus vaporem quendam & tantum non immateriale ens pro causa agnoscant; quid? quod pestis & alii morbi contagiosi per effluvia sensibus nostris non comprehendenda interitum animali afferant. Varia hinc allegat exempla Noster, vel a se observata, vel ab aliis tradita, quæ usum in curandis morbis internis stillicidiorum, embrocationum, oleorum, epithematum, balneorum, frictionum, sinapismorum, phœnigmorum, rubefacientium, in-

uſtionum, pullorum, &c. externe admotorum evidenter evincunt. Tandem, qua ratione emollientia, indurantia, refrigerantia, condenſantia, adſtringentia, aperientia, attenuantia, emplaſtica, epiceraſtica, detergentia, repellentia, attrahentia, maturantia, ſtyptica, ſarcotica, & agglutinantia ſuam abſolvant operationem, ſi externe applicentur, ſeorſim explicat.

GEORG. WOLFFG. WEDELII CENTURIAE ſecundæ Exercitationum Medico-Philologicarum Sacrarum & Profanarum Decas IV.

Jenæ, apud Jo. Felic. Bielckium, 1715, 4.

Plag. 16.

POſtquam Præfationis loco Celeb. Autor Oratiunculam aliquam, conſecrationis ergo Collegii Medici novi, publicæ lectioni primæ in eo anno ſuperiore habitæ præmiſſam dediſſet, Exercitationes, quemadmodum antea conſuevit, ſubjicit, & I quidem de moly Homerico Odyſſ. K. quod hodie Nymphæam albam eſſe affirmat, & variam ejus Mythologiam enarrat. II quærit: An zythi mentio fiat in Sacris? & fieri affirmat Eſa. XIX, 10 in verbis: כָּל עֹשֵׂי שֶׂכֶר אַגְמֵי־נָפֶשׁ omnes facientes clauſuram ſtagnorum animæ; collata verſione LXX, *καὶ πάντες οἱ ποιοῦντες τὸν ζυθόν.* Ubi שֶׂכֶר exponit per maceriem, qua munitur ahenum, (die Braupfanne) cujus interiorem cavitatem voce אֲגַם, Stagnum, ſignificari dicit, collato loco 1 Reg. VII, 23, & נֶפֶשׁ tandem ipſi Victus eſt, ſeu Refectio, qualis in cerevifia præcipue, collato Eſa. LVIII, 10; atque probat, in Ægypto, quam contra Prophetia directa erat, zythopœiam in uſu fuiſſe. III de dignitate Poetarum, IV de dignitate Notariorum publicorum Cæſareorum, V de ſtatu neutro Medicorum, ſtatum decidentiæ inter & convaleſcentiæ medio, VI de Peſtilentia in Sacris, cujus rationem ex Eſaiæ verbis Cap. XXXIII, 11 explicat, cum ibi dicatur contra Aſſyrios: Spiritus veſter ignis (erit,) qui conſumet vos. Ita rem igitur explicat, ut peſtis ratio ſit, cum lucula, quam indiderit Deus cordibus viventium omnium, elemento ſtellarum ſimilis, mo-

tu

tu ſcintillario & calore blando vitalis, improportionata reddita in flammam exardeſcat, hominesque ſubito extinguat. Hinc, Peſtem conſiſtere in febrili intemperie, concludit, & pronunciat: tertia pars hominum moritur febri. VII de Numo C. C. Auguſti ænigmatico, qui argenteus eſt, & unicus adhuc Pariſiis in cimeliarchio Domini Faucault aſſervatur, eo, quod eſt numus cenſus, cujus generis numi Romanis inviſi, ſtudioſe ab ipſis ſunt conflati. In uno latere gerit Caput Auguſti, cum inſcriptione ad dextram AUGUSTUS: altero, in medio, cippum, cui inſcriptum, C C. AUGUSTI: circumcirca, ad ſiniſtram L. CANINIUS, ad dextram GALLUS III VIR. Hic exiſtimat Autor, CC. remotis ſententiis aliis, legendum Cenſuræ Cæſaris Auguſti, & in ea verſatur opinione, fuiſſe hunc numum cenſus, cujus Evangeliſta Matth. XXII, 19 meminit, vel ſaltem ſuccedaneum ei. VIII de Holoconitide Hippocratis L. I de Morbis mulierum c. 108 t. 35, quam Bulbocaſtanum coniophyllon, ſeu Cicutariam bulboſam eſſe probat. IX de Lepra in Sacris, quam pro luis venereæ gradu ſummo venditare videtur. X. de lapide Aſſio, qui circa urbem Cretæ, Aſſon, exciſus tumulis adhiberi ſolitus fuerit, de quo Plinius fabuletur, corpora defunctorum in eo condita intra XL dies abſumi, exceptis dentibus. Tandem ex Epiſt. juncta Orationibus Jo. Hutteni refert, hunc, quartum jam annum defoſſum, & refoſſum, non putrefactum, & totam adhuc faciem cognoſcibilem inventam eſſe: quin attactu ſanguine commaduiſſe. Quibus additur ratio: corpora ſummo hiemis frigore glaciata & profundius defoſſa longiſſime durare queunt.

SCHEDIASMA PHYSICUM, QUO NOVUM Conſilium Barometra phoſphoreſcentia ſive in vacuo ſuo ad agitationem noctu fulgurantia conficiendi primum in lucem editur, rationesque totius negotii vero ſimillimæ præmittuntur.

Witembergæ, apud Joan. Ludov. Meiſelium, 1715, 4.
Plag. 1.

Notum

NOtum eſt, etiam ex his Actis, celeberrimo *Bernoullio* deberi, quæ antea caſu obtinebantur, nunc data opera conſtruantur, barometra in tenebris lucentia, atque phoſphori mercuriales ab artificibus parentur. Autor hujus ſchediaſmatis novam proponit methodum idem efficiendi, ab aliis nondum uſurpatam hiſce verbis:· Quibus chymica ad manus ſupellex, repurgent Mercurium imprimis ab aere, auxilio Retortæ, ut vocant; reliqui eundem (ſi modo plumbo aut ſtanno non adulteratus) ſale ſaltem, vel per corium purefactum carbonibus imponant in vaſe, cui collum eſt & apertura, cavitati canalis barometrici reſpondens. In hac propemodum ad fugæ usque periculum incaleſcentem admoveant & infundant tubulo vitreo rite emundato capſulæque jam agglutinato & carbonibus ſimiliter vel aqua aut arena calidiſſima circumdato: quem ſic refertum, clauſo deinde barometri vaſculo piceque involuto, non ſtatim invertant iterum, ſed aliquamdiu poſt attollant, ut, ſi quid omnino aeris in infuſione admiſſum, ſumma petat & extremitatem canalis hermetice ſigillatam, quæ poſtea vacua fit, immunem derelinquat.

P. OVIDII NASONIS OPERA. PETRUS BURMANNUS ad fidem veterum exemplarium caſtigavit.

Amſtælodami, apud R. & G. Wetſtenios, 1714, 12.
Alph. 1½.

INgenium Ovidii quantumcunque luculentæ Nic. Heinſii debeat editioni, tantum tamen abeſt, ut nitori ſuo omni ex parte ſe reſtitutum hoc pacto fateatur, etiamnum ut exporrecta veluti manu hinc inde mendas commonſtret, quibus mirum in modum geſtit liberari. Neque vero doctiſſimus Vir id ſibi arrogabat, ut emendatum undique Poetam, qui tot tantisque vitiis ſcatebat, ſe dare crederet poſſe prima vice, ingenueque faſſus, ſe adhuc dum ſibi neutiquam ſatis feciſſe, curis ſecundis excutere diligentius omnia parabat. Ac factum id etiam eſſe ab eo, teſtabuntur lucubrationes, quas ſervat Cl. Burmannus, producendas cum majo-

majori illa Ovidii editione, quam ſuis auſpiciis abſolutiorem præſtantioremque pollicetur. Ejus veluti pignus obtulit iis, quibus ingenioſiſſimus Poeta in deliciis eſt, minorem hanc, in qua textum Heinſianum ita ſequitur, ut haud pauca tamen in eo mutet, autoritate meliorum codicum haud dubie adductus, utpote ſine qua haud ſolere ſe ingenio indulgere Vir clariſſimus alibi profitetur. Mutationes cujus generis ſint, vel ex his paucis, quæ ſubjicimus, locis licebit intelligere. Heinſius Heroid. ep. I v. 65 edendum curaverat:

- - - - Sparte quoque neſcia veri,
Quas habites terras, aut ubi lentus agas.

Sed Cl. Burmannus addit Hexametro diſtinctionem majorem & Pentametrum refingit:

Quas habitas terras, aut ubi lentus agis?

Ep. II v. 17 integrum diſtichon textus Heinſiani, quod ita ſe habet:

Sæpe Deos ſupplex, ut tu ſcelerate valeres,
Sum prece thuricremis devenerata focis.

mutat ſequentem in modum:

Sæpe Deos ſupplex pro te, ſcelerate, rogavi,
Cum prece thuricremis devenerata focis.

Ep. VI v. 40 ſcripſerat Heinſius:

Detegit ingenio vulnera facta tuo,

ubi vocem *tuo* in *ſuo* convertit Cl. Burmannus. Ibidem ille v. 85 diſtichon, quod pene nullo ſenſu in Heinſii textu ita legitur:

Hæc mihi narraras: at me movere merentem.
Illa minor culpa pœna futura mea eſt.

hoc pacto reſtituit:

Hæc mihi narraras: nec me movere: merentem
Ure; minor culpa pœna futura mea eſt.

Ceterum cum nuper Vir doctus ſpecimen conjecturarum in Ovidium Suppl. T. VI Sect. II p. 77. dederit inſerendum, contulimus illas cum textu Ovidii, ut eum Cl. Burmannus correxit; ſed deprehendimus, nullum eum ſollicitaſſe, quos Vir doctus in ſuſpicionem vocavit, locorum. An rationem illorum in majori, quam parat, editione ſit habiturus, neſcimus; id ta-

men ferente hac occasione monere liceat, non videri nobis mutandum quidquam esse in illis Ovidii Her. ep. XI v. 19:

Quid juvat admotam per avorum nomina cœlo
Inter cognatos posse referre Jovem?
Num minus infestum, funebria munera, ferrum
Fœminea teneo, non mea tela, manu?

ubi vir doctus in versu tertio legendum censet: *Cum minus infestum*, cetera. Atqui voces illæ: *num minus* post phrasin: *quid juvat* vel *prodest*, ut alibi, ita & hoc loco sensum optimum progignunt, idque facile largientur, qui verba paulo propius considerarint. Neque enim vox *minus* ad vocem infestum pertinet, ut cepisse eam Vir doctus, qui *nimis* substituit, videtur, sed ad verbum *teneo*, ut sensus sit: quid juvat ex ipsorum stirpe Numinum me posse genus deducere; num propterea minus tenere oportet infestum ferrum? cetera. Hoc pacto noster alibi Heroid. ep. XVIII v. 173:

Quid mihi, quod toto non separor æquore, prodest?
Num minus hoc nobis tam brevis obstat aqua?

& Propertius lib. IV eleg. XII v. 11:

Quid mihi conjugium Pauli, quid currus avorum
Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habuit Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque levatur onus.

Alia loca, ubi voces *num minus* occurrunt, collegit Heinsius ad Heroid. ep. XI v. 19 p. 93. Ac præterea si mutare quidquam oporteret ac voci *num* aliquam conjunctionem substituere: non tam *cum* quam *si* scribendum esset. Sic enim Ovidius aliis in locis illud *num minus* per *si* vel *si tamen* exprimit, ut Heroid. ep. 16 v. 211:

Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?

& libr. III Amor. eleg. VI v. 9 sq.

Quid properasse juvat, quid parca dedisse quieti
Tempora, quid nocti conseruisse diem;
Si tamen hic standum, si non datur artibus ullis
Ulterior nostro ripa premenda pedi?

Sed ad Cl. Burmannum redimus, cujus cura in emendando

Ovi-

Ovidio ut commendanda nobis est, ita & felicitatem in imitando eodem simul admiramur. Cognovimus illam non minus ex festivo illo *Somnio*, quam ex carmine, quo illustri viro Theodoro Velthuysen præsentem Ovidii editionem consecrat. Eam typis hic repetitam in eodem Bibliopolio, ubi olim Heinsiana editio prostabat, prostare ultimo loco monemus.

FRIDER. MYCONII HISTORIA REFORMATIONIS ab anno 1517 ad 1542; editore D. ERNESTO CYPRIANO, Consiliar. & Assess. Consist. Eccles. Friedenstein.

Gothæ, apud Andr. Schalle, 1715, 8.
Plag. 10.

Fridericus Myconius, vel Mecum, ut se ipse nuncupat, monachus ante Reformationem Franciscanus, tandem anno 1524 Superintendens Gothanus factus, multis in propagationem Evangelicæ doctrinæ meritis clarus fuit, ut Cap. XII, ubi viri hic atque illic eodem nomine celebriores recensentur, fusius traditur. Mortuo Georgio, Principe, cum ejus fratre Serenissimo per universam ditionem profectus prædicationem Evangelii inchoabat, cui negotio & Lipsia nostra multum debet, cum ipse, ope D. Crucigeri, Jo. Pfeffingeri & M. Balthasaris, Ministeria instituerit, exturbatis antea Sophistis Pontificiis, postquam in Collegio Majori ad S. Nicolaum de Baptismate, Transsubstantiatione, &c. altero die 5, altero 9 horas integras disputaverat. Plura de Autore referre non opus est, cum & alibi habeantur, & ejus vitam prolixius a Christ. Schlegelio exponendam, in Præfatione Summe Rev. Cyprianus polliceatur. Et hujus quidem cura librum, idiomate Germanico consignatum, qui manuscriptus Bibliothecas Germaniæ plures hactenus ingressus est, ex Autoris autographo, in Bibliotheca Gothana asservato, typis exscriptum, Serenissimi Principis Gothani indultu, videmus; qui in posterum monumenta plura, illustrationi Historiæ inservientia, ex eadem Bibliotheca se publici juris facturum promittit. Ipsa Reformationis Historia Capitibus XXIV absolvi-

tur, & statum ante Reformationem, Cap. I, occasionem Reformationis, Cap. II-IV, hujus initia, incrementa, & alia quædam eo tempore acta, & quodammodo cum reformationis negotio cohærentia, ut inquietum Regni Hungarici statum, expugnationem Romæ &c. Cap. V-XV, tandem Reformationis negotium in urbe Gothana, & alia quædam ad urbis æque ac arcis descriptionem pertinentia, Cap. XVI-XXIV comprehendit. Quod breve monumentum cum ab Ill. Seckendorfio aliisque excerptum & partim translatum esse constet, nihi addimus porro, quam ut ex Præfatione Supplementum secundum Historiæ Gothanæ hoc anno opera & studio Excellentiss. Cypriani proditurum, annotemus.

IN OBITU R. P. DANIELIS PAPEBROCHII ad Superiores Societatis Jesu per Provinciam Flandro-Belgicam Epistola CONRADI JANNINGI.

Mortuus miser esse non potest, qui bene religiose vixit, nec mortuis accenseri totus debet, qui post mortem fama sui scriptisque operibus superest; imo, qui tota vita sua honoravit Deum in Sanctis suis, interque Sanctos versatus est; ubi mortuus, nisi inter Sanctos a Deo repositus sit? Hæc consolatio nostra in obitu optimi senis magistrique nostri P. Danielis Papebrochii; hæc vestra quoque omnium sit, Reverendi Patres in Christo, qui non potestis non singuli, uti tota Provincia, partem habere aliquam in communi jactura. Natale solum habuit Antverpiam, in lucem editus anno M DC XXVIII, die XVI Kal. Apriles, festa luce S. Patritii Hibernorum Apostoli. Parentes fuere honestissimi juxta ac pientissimi cives, Laurentius Papebrochius & Maria Marissael; cujus felici partu prodiit Daniel noster, primogenitus; fratres, qui ad maturam ætatem pervixerunt, nactus tres, Antonium, Laurentium & Joachimum, duasque sorores, Mariam Corneliam & Franciscam Teresiam: qui deinde adulti, exemplo fratris natu maximi, nomen Societati nostræ dedere omnes; fratres quidem ipsam ingrediendo; sorores vero

vero sub ejusdem moderamine profitendo castimoniam, assumpto habitu, vitæ suæ instituto conveniente. Omnium unica nunc superest Maria Cornelia, virtutum fratris æmula; quam Deus ut diu servet, velim, in solatium egenorum.

Daniel, ut erat facili ingenio, studiis literariis admodum puer applicitus, illa, inter selectos Seminarii nostri Antverpiensis, quod Convictum appellamus, nostrorum disciplinæ commendatus, pene adhuc puer absolvit feliciter, anno ætatis suæ XV, vix maturus, ut longe a patria & parentum conspectu ad altiores scientias addiscendas tuto dimitteretur. Quamobrem alterum repetendæ Rhetoricæ annum, ne otio vitium contraheret, impendere jussus; illo transacto, Duacum concessit, ac biennio Philosophus evasit subtilis. Tum a R. P. Provinciali (quod antea ob immaturam ætatem negatum fuerat) in Societatem allectus, properavit anno MDCXLVI die XXIII Octobris ad tirocinium Tornaci: inde vero post annum unum translatus Mechliniam, alterum ibi complevit, seque Deo per vota Religiosa obstrinxit XXIV Octobris. Exinde literas humaniores, more Societatis, docuit, tum Mechliniæ, tum Brugis, publica approbatione ac fama eruditionis, cum pietate conjunctæ. Supersunt quæ tunc ingenii sui monumenta composuit varia, quorum nonnulla publice cum plausu auditorum in theatro repræsentata fuere. Ex magistro iterum factus discipulus, quadriennio operam dedit sacræ Theologiæ Lovanii, pari cum laude; atque ibi anno MDCLVIII sacris Ordinibus initiatus, Dominica de Passione, in diem VII Aprilis tunc incidente, primitias suas incruentam Hostiam Deo Patri ad aram immolavit. Decurso post menses paucos Theologiæ stadio, ad tertiam Probationem missus est, scientias divinas, quas didicerat quadriennio, per varias pietatis exercitationes anno uno ad salutem proximorum redacturus in praxin. Et tunc demum professor creatus, præceptiones Philosophicas prælegit Antverpiæ anno non integro; cum e medio cursu ad sanctiorem operam, Actis Sanctorum illustrandis navandam, evocatus est. P. Joannes Bollandus per illud tempus a summo Pontifice Alexandro VII, magno studiorum operumque ejus æstimatore, ex quo Coloniæ Nuntium agebat Apostolicum, invitatus fuerat Romam, ut lustratis Vatica-

na aliisque per Urbem & reliquam Italiam bibliothecis, copiosiorem Actis Sanctorum messem colligeret. Is autem senio jam gravis, eo pro se, probante Pontifice, Henschenium & Papebrochium ablegavit. Illi igitur anno MDC LX die XXII Julii Antverpia Coloniam a Bollando deducti, porro per Germaniam contenderunt in Italiam, ac Romam invecti sunt XXIII Decembris ejusdem anni. Peractis sedulo Romæ, Neapoli vicinisque in locis per spatium novem mensium, quæ agenda erant, bona summi Pontificis venia, acceptisque ab ipso præter benedictionem aliaque pietatis christianæ munuscula, commendatitiis pro reliquo itinere literis, discesserunt die XIII Octobris anno MDC LXI Florentiam, ubi P. Daniel in festivitate Sanctorum omnium, quorum omnium gloriæ, inter mortales amplificandæ, reliquam vitam impensurus erat, in illa, inquam, festivitate solennem quatuor votorum emisit professionem. Florentia deinde simul ambo profecti, lustratis Mediolano, Genua, Taurino, per Gallias Antverpiam reverterunt feliciter, anno MDCLXII propemodum elapso, die XXI Decembris; divitem pro Actis Sanctorum thesaurum, quem ubique per viam collegerant, comportantes. Hic cum P. Daniel animum, manum, calamum seque totum operi jam serio applicaturus erat, contigit, a Bollando ei primo loco committi illustranda, quæ multifariam nullo ordine chronologiæ scripta habebantur, Acta S. Patricii; cujus natali ipsum, jam diximus, natum fuisse: sicque sub ejus auspiciis tirocinium hagiographiæ suæ posuit, ut opus suis numeris perfectum ac veterano scriptore dignum elaboraverit. Qualia etiam sunt omnia, quæ totis LIV annis in lucem edidit plurima. Verum de his aliisque viri gestis, scriptis, virtutibus, plura commemorare non est hujus loci; erit alibi. Tantum hic indico, quod postremis vitæ annis, cum oculi caligantes visionem, tardique pedes incessum reddebant difficiliores, id unum dolebat potissimum, quod more suo Acta Sanctorum illustrare scribendo amplius non posset: in reliquis semper æquanimus. Solabatur autem tædium suum, quod viris labori assuetis afferre otium solet, quotidiana Sacrificii incruenti immolatione, oratione fere perpetua, piis ad Deum Sanctosque aspirationibus, desiderio gloriæ cœlestis, ac spe firma, futurum, ut brevi soluta corpore, quod corrumpe-

ba-

batur, anima ad contubernium Sanctorum suorum avolaret; his identidem verbis utens: Cupio dissolvi & esse cum Christo; *ac illis:* Quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Sciebat enim, quod nec ætas longæva, nec vita annos propemodum septuaginta in Religione religiose acta, nec scientia rerum sacrarum eximia, nec celebre inter mortales acquisitum nomen, nec labores amplificandæ Cælitum gloriæ constanter impensi, nec studium bene faciendi omnibus, nec quæsita perpetuo in actibus suis major gloria Dei, ceteræque virtutes, aliud desiderare præmium debeant, quam Deum ipsum ipsiusque visionem claram & possessionem securam in gloria sempiterna; quæ, inquiebat, adiri non potest, nisi per dissolutionem animæ a corpore. Cupio igitur, cupio dissolvi & esse cum Christo.*

Mira fiducia videri potest. Illo ipso die, quo hæc me præsente ingeminabat, in vigilia S. Joannis Baptistæ ante meridiem, quando bene mane adhuc more consueto ad aram fecerat; debuit correptus febri paulo post decumbere, eaque continuo invalescente, & animi deliquio superveniente, sub vesperam ejusdem diei, in corona Patrum Fratrumque nostrorum, sacrosancto Eucharistiæ viatico ad ultimum agonem subeundum, desideratamque dudum gloriam cœlestem securius ac citius consequendam, præmunitus fuit; posteroque die similiter sacro infirmorum Oleo inunctus. Post hæc, oculis plerumque clausis cubans, paucissima loquens & non nisi interrogatus respondens, animo quieto, absque corporis dolore, nisi qui ex angustia cordis & pectoris proveniebat, usque in hunc diem XXVIII sui semper compos, vitam protraxit. Quando sub ortum Solis (aderam enim, & majore noctis parte adfueram) apparuerunt signa vicinæ mortis, occœpique cum ministro valetudinarii genibus flexis opem divinam moribundo implorare, primum tacitis precibus, tum elata voce recitando quas tali temporis articulo mater Ecclesia præscribit: inter quas æger, præsentibus jam pluribus qui interea advocati fuerant, sub primam ab ortu Solis horam placide exspiravit, deducentibus (uti par est credere) Sanctis animam sui præconis & encomiastæ præcipui ad conspectum Altissimi, qui glorificantes se glorificat.

Plura de Viro dicenda erunt suo tempore & loco. Hic tantummodo mihi liceat paucis per modum epitaphii indicare, quid

in

in Actis Sanctorum, de quibus supra quam dici possit bene meritus est, præstiterit, & quousque opus perduxerit; postquam rogavero RR. VV. ut ei vota sua suorumque suffragia, ex institutione Societatis nostræ defuncto debita, conferre quantocius velint; meque simul in sanctissimis Sacrificiis suis habere commendatum. Dabam Antverpiæ die IV Kalend. Quintiles M CC XIV.

D. O. M.
MEMORIÆ ÆTERNÆ
R. P. DANIELIS PAPEBROCHII
PRESBYTERI, THEOLOGI ET HAGIOGRAPHI S. J.



QUOD ROSWEIDUS PRÆPARARAT,
QUOD BOLLANDUS INCHOARAT,
QUOD HENSCHENIUS FORMARAT,
PERFECIT PAPEBROCHIUS
SEMESTRE PRIMUM DE ACTIS SANCTORUM
ANNO A NATIVITATE DOMINI M DCC IX.
MORTUUS POST QUINQUENNIUM,
VIRTUTIBUS MERITISQUE PLENUS,
ANNO EJUSDEM M DCC XIV DIE IV KAL. QUINTIL.
ÆTATIS SUÆ LXXXVII.
REQUIESCAT AB OPERIBUS SUIS
IN SANCTA PACE.

NOVA LITERARIA

In Anglia Diarium, quod hactenus sub titulo *Memoires de Literature*, autore, ut constat, Gallo, de la Roche, semel primum, deinde bis per septimanam prodiit, Mense Septembri superioris Anni, ob emptorum paucitatem, cessavit. Contra Tiguri in Helvetia Jo. Jac. Scheuchzerus Med. Doct. & Math. Prof. *Nova Literaria Helvetica pro annis M DCC XIII & M DCC XIV collecta* in 8 nuperrime vulgavit, e quibus inter alia discimus, sub Dan. Clerici Doct. Med. & senatoris, qui brevi tractatum *de vermibus* prelo submittet, præsidio Genevæ singulis diebus Jovis Societatem Medicinæ congregari, in cujus Actis consignandis nunc occupatur Jo. Robertus Butini Med. D. Idem diligentissimus Scheuchzerus Lexicon Minerologicum editurus est, cujus specimen inseremus Supplementis. Lipsiæ hebdomatim prodituræ sunt proxime Novellæ Literariæ vernaculæ, quæ & inde ab anni hujus initio proximis nundinis vernalibus apud Theophilum Georgi prostabunt, & præter nonnulla, quæ in Novellis, *Nouvelles Litteraires*, Hagæ Com. singulis septimanis prodire cœptis, continentur, plurima alia, commercio cum Viris in re literaria summis eam ob rem jam pridem instituto, exhibebunt.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCC XV.

JOURNAL DES OBSERVATIONS PHYSIQUES, Mathematiques & Botaniques &c.

h. e.

DIARIUM OBSERVATIONUM PHYSICArum, Mathematicarum & Botanicarum, jussu Regis ad littora orientalia Americæ meridionalis & in India occidentali ab A. 1707 usque ad A. 1712 factarum a R. P. LUDOVICO FEUILLÉE, Religioso Minimo, Mathematico & Botanico Regio atque Academiæ Regiæ Scientiarum.

Tomus I.

Parisiis, apud Petrum Giffart, 1714. 4.
Alph. 2 plag. 20 Tab. æn. 16.

JUssu Regis Christianissimi & consilio *Cassini* iter suscepit Cl. Autor, cum ut observationes astronomicas passim celebraret, tum ut cum cura observaret, quæ ad naturæ cognitionem & historiam naturalem perficiendam ullo modo spectant. In astronomicis nimirum observandum sibi proposuit, 1 declinationem stellarum meridionalium, quæ Europæis inconspicuæ, 2 eclipses Solis ac Lunæ, 3 immersiones & emersiones Satellitum Jovis ad eliciendas longitudinum differentias, comparatione observationum domesticarum cum Parisiensibus instituenda, 4 conjunctiones Planetarum cum fixis & occultationes eorundem atque fixarum a Luna factas ad determinandum locorum longitudines, methodo *Cassini*, 5 altitudines meridianas fixarum & Solis ad eruendas elevationes poli in diversis locis, 6 maculas solares & tempus, quo diameter Solis per meridianum transit. In Physicis observare decrevit

1 variationem magnetis, & inclinationem ejus in mari & terra, 2 fluxum & refluxum maris, 3 differentias gravitatis ſpecificæ aquarum marinarum, fluviatilium & fontanarum, 4 altitudinem Mercurii in barometro, 5 longitudinis penduli variationem pro diverſa ab æquinoctiali diſtantia, 6 depreſſionem horizontis marini ad detegendam refractionem in diverſis climatibus, 7 ventos, qui regnant, eorum vires atque variationes, terræmotus omniaque phænomena parum adhuc cognita. Hiſtoriæ naturalis gratia delineavit 1 plantas curioſas & arbores earumque uſum ac proprietates in Europa parum cognitas deſcripſit: 2 animantia nativis coloribus depinxit: 3 portuum ichnographiam atque proſpectus urbium & littorum minus cognitorum in uſum nautarum perfecit: 4 in morbos denique ordinarios, apud diverſos Indiæ populos, ſymptomata item & remedia eorundem inquiſivit. Maximam vero hiſtoriæ naturalis partem in aliud tempus differt, quo pax Europæ reſtituetur, propter ſumtus haud exiguos in tabulas æneas faciendos. Inſtrumentis uſus eſt Quadrante ſeſquipedali cum dioptris teleſcopicis, horologio oſcillatorio & pendulo exacto, teleſcopio 13 pedum, duabus pyxidibus magneticis, areometro, duobus microſcopiis ad minutias in plantis & animantibus detegendas, objecta quippe in ratione 800 ad 1 amplificantibus. Areometrum conſtabat ex duabus ſphæris vitreis *A* & *B* & tubulo *C*, duabus unciis Mercurii immiſſis, hermetice ſigillato & ponduſculis *D* in figuram annuli plani efformatis unius pluriumque granorum onerandum, donec globus major totus ſubmergeretur tubulo cum ponduſculis ſupra aquas eminente. Tomus primus, de quo in præſenti nobis dicendum, continet obſervationes in itinere per mare factas. Nos omiſſis iis, quæ de itinere ſuo per ſingulos dies prolixiſſime narrat, ipſas obſervationes in ordinem redactas exhibemus, ut earum copia fiat etiam illis, qui vel operi ipſi coemendo ſumtus impendere nolunt, vel obſervationes utiles ex diſcurſibus prolixibus ad eorum ſcopum facientibus excerpendi otio deſtituuntur. En igitur primo obſervationes quasdam aſtronomicas. A. 1708 d. 22 Jan. Malthæ immerſionem primi ſatellitis in umbram Jovis obſervavit h. 1 7′ 52″ tempore vero & d. 14 Febr. h. 11′ 35″. Stellam polarem ſub elevatione octo gradu-

TAB. IV. Fig. I.


Fig.7.
a
f
d
c
e
p
x

Fig.2.


D


A
Fig.1.


A
Fig.4.
C
D
M
P

graduum in mari non amplius observare potuit. A. 1708 d. 20 Aug. in oppido *Buenos-Aires* ad littus meridionale fluvii *Plata* in America meridionali sito ope telescopii 15 pedum observavit occultationem stellæ in pede australi Virginis apud *Bayerum* litera λ notatæ a Luna factam. Contigit ea tempore vero h. 7 vespertina $5' 40''$, & duravit $55' 41''$, stella ab eadem liberata h. 8 $1' 21''$. D. 30 Jan. A. 1709 h. 0 $3' 23''$ juxta Meridianum urbis, quæ a Conceptione B. Virginis fert nomen, in regno *Chili* sitæ Satelles primus in umbram ♃ ingressus. Eodem die hor. $3\frac{1}{2}$ pomer. observata est macula A in Sole, atmosphæra notabili circumdata, cujus distantiam a limbo superiori die sequente reperit $15''$. Centrum ejus in meridie præcedebat limbum orientalem Solis $1' 2''$, diameter Solis per meridianum transibat $2' 17''$: fuit autem tunc temporis vi observationis $32' 42''$. D. 3 Febr. Antares seu Cor Scorpionis occultatum est a Luna h. 4 $49' 27''$ e regione *Aristarchi*. Stella non prorsus disparuit, sed limbo Lunæ illuminato quasi adhæsit. Eodem die in ipso meridie maculæ solaris A centrum distabat a limbo superiore Solis $13' 30''$ & limbus Solis præcedebat maculam $45''$. Præterea diebus antecedentibus apparuerant duæ maculæ aliæ quarta diametri parte a limbo Solis distantes; sed earum una jam die 2 Febr. in nebulam degeneraverat, altera multum decreverat, neutra d. 3 per telescopium 14 amplius distare conspici poterat. D. 7 Febr. h. 1 $55' 35''$ satelles primus in umbram Jovis immersus; d. 9 Febr. h. 11 $0' 51''$ tertius; & d. 10 Febr. h. 11 $10' 4''$ secundus; d. 15 Febr. h. 10 $17' 59''$ primus; d. 17 Febr. h. 0 $34' 3''$ tertius & d. 18 Febr. h. 1 $45' 8''$ secundus in eandem ingressi. D. 13 Febr. altitudo horizontis marini observata unius scrupuli primi, oculo octo pedum intervallo super mare elato. In constellatione, quæ *Cruseri* fert nomen deprehensa est declinatio australis stellæ in pede $61° 28' 50''$, stellæ Summæ $55° 29' 23''$, ejus, quæ est in brachio orientali, $58° 3' 17''$. Declinatio nubeculæ vicinæ reperta est $74° 0' 43''$. Observationes hactenus recensitæ omnes in urbe *Conceptionis* habitæ: pauciores in urbe *Valparaiso* collectæ. Hic nimirum declinatio nubeculæ majoris $70° 22' 10''$; Caropi vero, $52° 30' 4''$, reperta, d. 10 Mart. satelles primus in umbram Jovis immersus h. 10 $34' 13''$ & d. 11 Mart. h. $19' 44''$ Solis digitus unus fuit eclipsatus: finis eclipseos contigit h. 6 $27' 35''$. Io-

TAB. IV. Fig. 2.

$35''$. *Limæ* iteratæ sunt observationes declinationum stellarum in constellatione *Cruseri:* fuit autem declinatio pedis $61^\circ 27' 53''$, stellæ supremæ $55^\circ 28' 54''$, brachii orientalis $58^\circ 3' 26''$. D. 4 Julii per telescopium 18 pedum stella primæ magnitudinis in pede Centauri ex duabus composita apparuit, quarum una tertiæ, altera quartæ magnitudinis comparuit, distantia earum diametro stellæ æquali. D. 18 Octobr. h. 4 pom. $2'$ observata est macula in Sole, cujus centrum præcessit limbum superiorem $23''$ distans ab eodem 14 & d. 4 Nov. rediens. Declinatio australis stellæ *Acarnar*, quæ est primæ magnitudinis in Eridano, reperta $58^\circ 46' 39''$. D. 19 Oct. refractiones 20 vel 25 secundis minores deprehensæ, quam in ephemeridibus Parisinis (*La Connoissance des temps* dictis) annotantur, a gradu 22 usque ad 25 altitudinis. D. 15 Dec. differentia ascensionum rectarum in tempore, quo Saturnus præcessit stellam tertiæ magnitudinis in brachio Castoris, apud *Bayerum* litera δ notatam, fuit $57''$ differentia declinationum in tempore, quo Saturnus fuit meridionalior stella, $52''$. Observationibus hactenus recensitis jungimus latitudines & longitudines locorum ex pluribus subinde observationibus determinatas, brevitatis gratia sequenti tabula comprehensas.

Nomina urbium	Longitudo	Latitudo
Maltha	$33^\circ 40' 0''$	$35^\circ. 34'. 33''$.
Sinus Palmæ in Sardinia	28. 21. 45. ex æstimatione nautarum.	38. 59. 24.
Mahon portus in Minorca		39. 53. 45
Carthago Europæ		37. 36. 7
Almerie		36. 51. 18
Arx de la Roquille		36. 50. 29
Buenos-Aires		34. 34. 38
Monte-video		34. 51. 45
Promontorium S. Johannis	$318^\circ. 9'. 0''$ æstimatione nautarum	54. 45. 20

Nomina

Nomina urbium	Longitudo	Latitudo
Urbs Conceptionis in regno Chili	75°. 32'. 30"	36°. 42'. 43"
Valparaiso ibidem	74. 39. 15	33. 0. 50
Lima	79. 9. 30	12. 0. 57

Autor se primum esse ait, qui regnorum *Chily* & *Perou* situm per accuratas observationes determinavit. Similiter observationes de gravitate specifica aquæ marinæ in diversis locis ope areometri supra descripti institutas tabula sequente comprehendimus: ubi notandum, plerasque longitudines ex æstimatione tantummodo nautarum ibidem expressas haberi & alicubi loco longitudinis adscriptum esse nomen loci, quia autor per proprias observationes eandem non determinat.

Latitudo borealis	Longitudo	æquilibrium aquæ
35°. 54'. 33"	33°. 40'. 0"	2 Unc. 3 dr. 58 gr.
39. 53. 45	Mahon	2. 3. 57½
34. 51. 0	portus	2. 3. 54½
9. 57. 0	352. 55. 0	2. 3. 52
8. 12. 0	353. 38. 0	2. 3. 50½
6. 40. 0	353. 47. 0	2. 3. 49½
6. 36. 0	354. 57. 0	2. 3. 47½
5. 48. 0	354. 52. 0	2. 3. 49
5. 50. 0	354. 31. 0	2. 3. 49
5. 42. 0	357. 59. 0	2. 3. 49
1. 20. 0	353. 30. 0	2. 3. 49
2. 26. 0	353. 3. 0	2. 3. 50
8. 4. 0	352. 39. 0	2. 3. 51
14. 52. 0	352. 16. 0	2. 3. 51
17. 22. 0	352. 46. 0	2. 3. 51½
19. 47. 0	352. 55. 0	2. 3. 52
21. 10. 0	349. 21. 0	2. 3. 52
24. 53. 30	341. 15. 30	2. 3. 52½
27. 5. 0	335. 52. 0	2. 3. 52

Latitudo borealis	Longitudo	Æquilibrium aquæ
32°. 51′. 0″	328°. 31′. 0″	2 Unc. 3 dr. 47 gr.
34. 3. 0	328. 19. 0	2. 3. $47\frac{1}{2}$
38. 7. 0	325. 14. 0	2. 3. 51
41. 37. 0	323. 0. 0	2. 3. 52
47. 44. 0	317. 33. 0	2. 3. 51
54. 45. 20	318. 9. 0	2. 3. 52
56. 47. 0	317. 51. 0	2. 3. 53
59. 50. 48	309. 30. 0	2. 3. 53
49. 51. 20	299. 54. 0	2. 3. $52\frac{1}{2}$
37. 32. 0	303. 43. 0	2. 3. 53

Malthæ fuit æquilibrium aquæ fontanæ 2 Unc. 3 dr. 17 gr. aquæ autem in ciſterna 2 Unc. 3 dr. $57\frac{1}{2}$ gr. Aquam marinam, cujus æquilibrium ibi deprehendebatur, 2 Unc. 3 dr. 58 gr. Autor filtravit per ſabulum idemque a prima filtratione pondus permanſit; in ſecunda acceſſit incrementum dimidii grani, in tertia unius cum dimidio. Manſit autem aqua limpida & ſaporis fuit minime ſalſi: tincta tamen colore ſabuli. *Almeriæ* aquæ fontanæ pondus obſervavit 2 Unc. 3 dr. 20 gr. unde eam non ſatis puram judicat, quia aquarum bonarum pondus nunquam repererit majus 2 Unc. 3 dr. 17 gr. Sub elevatione poli 6° 36′ & longitudine 354° 37′ pondus aquæ pluviæ fuit 2 Unc. 3 dr. 17 gr. Sub elevatione poli 5° 50′, longitudine 345° 31′ pondus aquæ ex nube admodum humili delapſæ 2 Unc. 3 dr. $18\frac{1}{2}$ gr. pondus aquæ in fluvio Plata 2 Unc. 3 dr, 18 gr. ſed in fluvio *Rio-Chuelo* 2 Unc. 3 dr. 17 gr. &, cum ventus marinam admiſceret, 2 Unc. 3 dr. 24 gr. In urbe *Conceptionis* æquilibrium aquæ fluviatilis 2 Unc 3 dr. 17 gr. & fontis vivi 2 Unc. 3 dr. $17\frac{1}{2}$ gr. In oppido *Valparaiſo* pondus aquarum optimum, nempe 2 Unc. 3 dr. 17 gr. Declinationem magneticam ſequentibus in locis obſervavit Cl. Autor.

Latitudo

Latitudo	Longitudo	Declinatio Magnetis	Dies Anni
	Calliari in Sardinia	10°. 19'. 0'' in ort.	d. 16. Jan. 1708
	Maltha	10. 25. 0	d. 22. Jan.
	Mahon portus	10. 26. 0	d. 17 Mart.
5°. 48'	354°. 52'	0. 7. 0	d. 20 Jun.
5. 24	357. 3	0. 0. 0	d. 26 Jun.
0. 0	354. 0	0. 37. 0 in occas.	d. 1 Jul.
2. 26	353. 3	1. 5. 0	d. 2 Jul.
8. 4	352. 39	1. 17. 0	d. 5 Jul.
13. 3	351. 46	3. 32. 0	d. 8 Jul.
20. 21	350. 27	8. 11. 0	d. 12 Jul.
21. 10	349. 21	8. 4. 0	d. 14 Jul.
21. 53	348. 8	7. 46. 0	d. 15 Jul.
22. 8	347. 25	9. 8. 0	d. 16 Jul.
22. $20\frac{1}{2}$	346. $58\frac{3}{4}$	9. 28. 0	d. 17 Jul.
22. $44\frac{1}{2}$	346. $6\frac{1}{2}$	9. 0. 0	d. 18 Jul.
27. 5	335. 52	12. 17. 0	d. 23 Jul.
28. 55	331. 21	12. 0. 0	d. 25 Jul.
31. 0	329. 7	16. 24. 0	d. 27 Jul.
34. 18	327. 49	18. 17. 0	d. 31 Jul.
41 11	322. 46	19. 19. 0	d. 8 Dec.
42. 16	322. 15	17. 57. 0	d. 12 Dec.
43. 24	321. 49	19. 57. 0	d. 13 Dec.
46. 24	319. 44	19. 16. 0	d. 15 Dec.
53. 0	315. 29	23. 5. 0	d. 19 Dec.
55. $45\frac{1}{3}$	318. 9	23. 3. 31	d. 20 Dec.
51. 26	299. 29	15. 0. 0	d. 11 Jan. 1709
49. $51\frac{1}{3}$	299. 54	13. 30. 0	d. 12 Jan.
41. 4	303. 20	11. 33. 0	d. 18 Jan.
	Valparaiso	9. 30. 0	d. 11 Mart.
	Lima	6. 15. 0	d. 15 Sept.

Inter omnes methodos inveniendi declinationem magnetis eam optimam judicat, quæ in amplitudine Solis ortiva fundatur, quam-

quamvis nulli summam accurationem concedat. Phænomena singularia hæc recenset. Malthæ maxima Mercurii altitudo flante austro & cœlo sereno 27 dig. 10 lin. minima flante borea & tempestate pluviosa 27 dig. 10 lin. A. 1708 d. 7 Mart. h. 2 pom. Coronæ solares observatæ. Centrum circuli A erat in Zenith, radius 18 circiter, distantia a Sole ¾ diametri ipsius, cum ordinarie, per centrum Solis transeat. Major eundem intersecans erat Soli concentricus: colores erant debiles, sed iridi similes. Chorda CD subtendebat 100°. Circulus major jam disparuerat, cum minor adhuc per dimidium horæ quadrantem conspicuus esset. D. 30 Martii h. 9 vesp. apparuit phænomenon insolitum, constans ex tribus circulis Lunæ concentricis & æquali intervallo a se invicem constantibus, coloribus iridis, sed minus vivacibus tinctis. Circulus quartus multo amplior & coloris candidi Lunam ambibat. D. 13 Maji h. 9 vesp. ignem volantem observavit, qui subito accensus Venerem æmulabatur. Intervallo unius ac dimidii minuti eodem in loco perstitit & expansus deinde omnem horizontem lumine implebat ita ut navem in eo distinguere licuisset. D. 7 Jun. vidit aquam gubernaculo allisam flammeum tramitem post se trahere, qui fluvio igneo simillimus apparebat. Cumque mare esset tranquillum, infinitæ stellulæ sine ullo ordine dispersæ, ac cœlestibus numero plures in mari comparebant. Sub tropicis frequentes sunt pluviæ ex nube a vento subito advecta præcipitatæ & mox iterum cessantes, ita ut interdum 3 per horam delabantur. D. 22 Jun. claritas insignis per omnem maris superficiem diffusa, quæ & continuo crevit. Horizon factus inde clarior, ita ut stellæ primæ magnitudinis in altitudine 4 & 5 graduum prorsus non, in altitudine 8 & 10 confuse tantum viderentur. D. 17 Jul. noctu subito apparuit stella ♃ & ♀ major intervallo duorum minutorum & ultra in eadem magnitudine eodemque splendore persistens ac postea disparens lumen insigne, ut supra, undiquaque sparsit. D. 22 Aug. Soli orienti adhærere vidit columnam lineis parallelis ac diametri solaris intervallo distantibus comprehensam, quæ duravit usque dum Sol sextum altitudinisgradum attigit. In eodem cum Sole verticali perstitit nec splendore ab eo differens,

TAB. IV. Fig. 3

rens,

rens, ita ut Sol in longum productus crederetur, tandem in conum degeneravit ac inde prorsus disparuit. Altitudinem aquæ in æstu marino maximum per annum in urbe *Buenos-Aires* deprehendit Cl. Autor 4 ped. 7 dig. D. 21 Sept. A. 1708 in Provincia *Puelches* hor. 10 mat. cœlum nubibus adeo obvelatum, ut candela accensa ad literas dignoscendas opus fuerit. Mox pluviæ instar arena decidit. Erat autem ante cœlum sudum. D. 9 Jul. 1709 in terræ motu horologii motus cessavit. D. 17 Dec. hor. 8 30 iris lunaris *Limæ* visa. Colores distingui poterant, utut debiles. Spectant præterea ad historiam naturalem, quæ Cl. Autor de pisce *Requin* dicto commemorat. Cor unicum tantum ventriculum habet: piscis autem homines devorat & ex eo alii pisces minores nutrimentum sugunt. Minimus eorum, quos capere datum est nautis, fuit 100 librarum. Piscis alius, quem *Marsovia* dicunt, quique 30 ac plures libras pendere solet, sanguinem habuit calidum contra naturam piscium aquaticorum. D. 6 Jul. sub elevatione poli 8° 4', & longitudine 352° 19 pisces volantes magno numero evolárunt; sed postquam alæ madore privatæ, denuo sese in aquam præcipites dedere, ut novas vires acquirerent. Ultra passus 100 volatum non extendunt, nec ultra 4 vel 5 pedes in altum ascendunt. Memorat quoque Autor vermem 76 digitos ac 4 lineas longum quatuorque lineas crassum ex ventre Indi expulsum per medicamenta contra Colicam propinata. A capite usque ad caudam numeravit annulos cartilagineos 117. Limæ frequens est quoddam morborum genus hactenus incurabile ac prorsus lethale, quod vocatur *pasma*. Consistit in nervorum contractione, quibus motus omnium partium corporis destruitur, ita ut ne nutrimentum quidem ullum assumere possit æger, cum nulla vi fauces diducere liceat. Incidunt in hunc morbum, qui ex lecto surgentes frigori sese exponunt. Describitur ab Autore monstrum biceps, de quo disceptatum est, utrum lavacro sacro adspergi debeat utrumque caput sigillatim, an tantum unum. Prius placuit, quia duæ voluntates oppositæ in iisdem observatæ. Descriptiones urbium, quorundam animantium, baptismi maris in transitu per lineam, aliaque istiusmodi prætermittimus.

HERM. ALEXANDRI RÖELL COMMENTArius in Principium Epistolæ ad Ephesios.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. van de Water, & Amstelædami, apud Jac. Borstium, 1715, 4.

Alph. 6. plag. 2.

PAulus Apostolus in principio Epistolæ ad Ephesios præcipua Christianæ doctrinæ capita proponens, Celeb. Autori occasionem suppeditavit, pleniori commentario ea ab initio primi capitis usque ad comma XIV illustrare, ut suis non tantum auditoribus prodesset, sed publico etiam monumento ostenderet, se orthodoxum esse. Male quippe exceptam esse & hodienum a multis hostiliter impugnari suam sententiam de generatione Filii Dei, quæ tamen eo unice tendat, ut doctrinam de vera Christi Deitate a Socinianorum, Arianorum, aliorumque S. S. Trinitatis hostium cavillationibus liberet, valideque confirmet. Pium adeo hunc conatum, etsi irritum forte, laudandum, non vituperandum esse. Ad cognoscendam sententiæ innocentiam memorat, disceptatum olim fuisse *Trelcatium* inter & *Arminium*, an secunda persona sit Deus per communionem ejusdem naturæ? Quæ Trelcatii: an per communicationem? quæ Arminii sententia fuerit, eandem plane esse suam, tantopere vexatam, sententiam, quæ veræ Deitatis Christi contra Arminium vindicis Trelcatii fuerit. Miratur igitur, id, quod in Trelcatio orthodoxum fuerit, in se heterodoxum, imo hæreticum esse. Hæc aliaque ad Academiæ Ultrajectinæ Curatores præfatus, lectores monet, se in citandis Scripturæ locis aliquando parciorem esse potuisse. Sed occurrere voluisse eorum calumniæ, qui, se eam minus reverenter habere, criminentur. Nec diffitetur, se justi commentarii modum paullulum excessisse. Excusationem autem sumit ab argumenti dignitate, & multitudine rerum, quibus investigandis & explicandis paullo diutius fuerit immoratus, in sequentibus brevior futurus. Nos more nostro nonnulla specimina daturi sumus.

p. 49. Religionem Christianam in N. T. ubique vocibus e cultu Mosaico atque typico petitis, describi monet. Paullum se
52. *ἐκτρώματι* comparare 1 Cor. XV, 8, vel ob subitaneam ad Christiani-

anissimum conversionem, & ad Apostolatum vocationem, ad quem non fuerit justo tempore cum reliquis Apostolis præparatus; vel ob prioris status deformitatem, in quo non magis Christiano aut Apostolo similis fuerit, quam est abortus homini, vel denique ob defectum omnis lucis, antequam a Spiritu S. illuminaretur, uti abortus omni sensu & ratione caret. Investigat, quo sensu, salva Filii & Spiritus S. Deitate, Pater singulariter p. 59.
Joh. XVII, 3 & alibi vocetur *Deus*, *unus Deus*, imo & solus verus Deus. Hujus rei rationem petendam esse censet ex personarum divinarum pluralitate & certa inter eas, ratione operum, 60.
œconomia, ob quam singulis singularia tribui possint nomina, quæ tamen omnibus quod ad essentiam sint communia. Posse enim primam personam, quatenus *οἰκονομικῶς* exerceat commune Deitatis jus singulariter vocari *Deum, unum Deum*, *solum verum Deum*, salva reliquarum personarum divinitate. Eadem 61.
etiam ratione Filio & Spiritui S. ea tanquam propria tribui, quæ Patri sint communia. Præmissa historiæ vitæque Paulinæ enarratione, examinat, qua tatione & Paulus certissimus esse potuerit, se revera esse Apostolum Jesu Christi per voluntatem Dei, & quibus signis & argumentis nobis etiam ejus rei veritas plenissime persuaderi queat? Hac occasione divinitatem scriptorum Pauli egregie demonstrat. Παλιγγενεσίαν Matth. XIX, 28, 48
exponit de innovatione seu nova generatione post φθορὰν *corruptionem*. Hoc sensu Stoicos ea voce usos esse. Talem autem mundi innovationem accidisse post Christi glorificationem, quando non tantum reformatio facta in doctrina & moribus, inter Judæos & gentes, sed & nova plane mundi facies & σχῆμα introductum, 2 Cor. V, 17. Factum illud per destructionem & conflagrationem templi, & urbis Hierosolymitanæ, totiusque Reip. Judaicæ, & cultus Mosaici per rejectionem Judæorum, vocationem gentium, & doctrinæ Christianæ prædicationem per universum orbem. Certe Christum per παλιγγενεσίαν rerum illam innovationem intellexisse, inde evidens esse, quod Lucas eam explicet per βασιλείαν Luc. XXII, 30. Regnum Christi autem illum significare Ecclesiæ statum, in quo Christus jam collocatus in throno suo & sedens ad dextram majestatis in cœlo, so-

lus regnet per verbum Evangelii ſub N. Teſt. At vero cum Servator diſcipulis præmium, gloriamque & dignitatem ſummam *ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ* promittat, rectius noſtra opinione ſentiunt, qui eam per *τὴν τῶν πάντων ἀποκατάστασιν* Petrinam Act. III 11, h. e. de nova facie rerum omnium in mundi conſummatione exponunt, cujus regenerationis pars eſt reſtitutio mortuorum per reſurrectionem ac diſtributio præmiorum Apoſtolis promiſſa. Sed tempus poſt Chriſti adſcenſionem in cœlos nequaquam fuit retributionis, ſed laboris, non gloriæ, ſed afflictionum, per quas Chriſti diſcipulis in gloriam intrandum erat. Eodem ſenſu Græcæ Eccleſiæ Doctores hanc vocem uſurparunt, ac *Baſilius* ſigillatim, de *Creat. Orat. I. p. 6*, ubi *συντέλειαν τοῦ κόσμου mundi conſummationem*, ejusque *παλιγγενεσίαν* & *regenerationem*, tanquam voces *ἰσοδυναμοῦντας* & ſe mutuo explicantes, conjunxit. Vaticinium Jacobi morituri de Benjamine editum Geneſ. XLIX,
p. 216. 27 prolixe exponit, docetque, Paulum Apoſtolum commode
227. adumbrari per lupum ſpolia diſtribuentem veſpera, & ob conve-
236. nientiam cum Benjamine non incommode Benjamin vocari poſ-
237. ſe, atque per Benjaminem parvum Pſalm. LXVIII, 28, intelligi de-
260. bere. De voce *ἅγιος* obſervat, eam apud LXX interdum poni pro טהור *καθαρὸς* mundus, purus a ſordibus, ſæpiſſime pro קדש ſanctus, Deo conſecratus & impollutus a vitiis, in oppoſitione ad טמא impurus, profanus, vitiis contaminatus, non-
261. nunquam pro נזר *inſigne*, Levit. XXI, 12. Sanctitatem autem tribui ante omnia Deo, dein Angelis, qui in veritate perſtiterunt, & hominibus pietati deditis vel Deo ſingulariter conſecratis, aliisque rebus propter ſimilitudinem cum Deo, & *σχέσιν* ad illum.
277. Sic hominem ſanctum eſſe propter ſanctitatis divinæ imitatio-
304. nem, qua omnia agit ad gloriam Dei, 1 Petr. I, 15, 16. Evoluta vocis *πιστὸς* varia ſignificatione, rationem reddit, cur Apoſtolus
310. ſanctos etiam vocet *πιστοὺς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, quoniam nimirum Deus ſanctificat electos, & in populum peculii ſibi ſegregat per veram in Chriſtum fidem, nullaque vera ſanctitas in peccatore reperiri poteſt ſine tali fide. Non poſſe enim peccatorem Deum ſupra omnia amare, æſtimare & glorificare, niſi credat veritati Evangelii de reconciliatione & redemtione per mortem

Chri-

Christi. Fidem describit per consensum in formulam fœderis gratiæ, quod ad omnes ejus partes tam conditiones, quam promissiones. Hanc fidem ab Apostolo 2 Corinth. IX, 13 vocari *ὑποταγὴν ὁμολογίας εἰς τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ, obedientiam adstipulationis in Evangelium Christi.* Græcos enim conventionem & pactum, quod inter duos pluresve fit, certis conditionibus *ὁμολογίαν* vocare. Prophetas olim unctos fuisse dubitat. Certe si oleo delibutus fuerit Elisæus; Reg. XIX 16, id plane extraordinarium fuisse. Sed eo ipso nihil dignitati Christi decedere, neque munus ejus Propheticum negari. Præterquam enim, quod aliunde, quam ex nomine Christi, abunde probari possit, ipsum Prophetam fuisse: nihilominus ex eo etiam adstrui posse. Non tantum enim Sacerdotum fuisse offerre sacrificia, sed & docere Malach. II, 7. Vocem כהן eum proprie notare putat, qui ad Regem, aut eum, qui summus est, accessum habet, & intimioris apud eum admissionis est. Ita filios Davidis dictos fuisse 2 Sam. VIII, 18 כהנים, h. e. ut explicatur 1 Chron. XVIII, 17, הראשנים ליד המלך *primi juxta Regem.* Manifestum enim, non fuisse sacerdotes. Eodem sensu intelligi posse, quod legatur de כהן און Genes. XLI, 45 & כהן מדין Exod. III, 1, ut scilicet designari putet eos, qui proximi fuerint a Regibus, Provinciarum præfectos & Satrapas. Simili ratione כהני יהוה *sacerdotes Jehovæ* fuisse, ut ipsa Scriptura explicet Exod. XIX, 22, הנגשים אל יהוה *appropinquantes ad Jehovam,* ad offerenda nempe sacrificia. Plurimæ hujus generis observationes occurrunt, ex ipsa pereruditi operis lectione notandæ. Nobis enim hic subsistendum est. Vnicum addimus de Melchisedeco, quem non merum hominem, sed secundam personam S. S. Trinitatis fuisse, sub specie humana Abrahamo apparentem, contendit.

p. 313. 364. 366. 525.

THE PENITENTIAL DISCIPLINE OF THE Primitive Church, &c.

POENITENTIÆ DISCIPLINA IN PRIMItiva Ecclesia prioribus quatuor post Christum Seculis solemnis: una cum decremento ejus inde a Seculo quinto usque ad ho-

ad hodiernum ejus ſtatum, absque partium ſtudio repræſentata ab Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.
Londini, apud Jo. Taylor & H. Clements, 1714, 8.
Plag. 21.

QUamvis Morinus prolixe & erudite jam hanc materiam peculiari opere pertractaverit, tamen Autor noſter non dubitavit, ea, quæ ipſe ex fontibus hauſit, publice exponere, non interea intermittens ad illum æque ac alios, quorum diligentia ipſi uſui fuit, provocare. Diſtinxit Opus ſuum in quatuor Capita. *Primo* agit de fundamento, quo hæc diſciplina Eccleſiæ nititur, illudque triplex eſſe, per tres Sectiones declarat. Sectione I illam fundatam eſſe obſervat ratione communi; quod nimirum Eccleſia tanquam ſocietas poteſtatem habere debeat, quæ ad illam ſuſtentandam & conſervandam neceſſaria ſit. Jam vero, addit, nec ſocietatem ſine regimine, nec regimen ſine poteſtate obedientes excitandi, & obſtinatos puniendi ſtare poſſe. Cum autem regnum Chriſti non ſit de hoc mundo, atque adeo non externa ejuscemodi poteſtate gaudere poſſit, qua Magiſtratus Civilis leges ſuas tueatur, æquum eſſe, ut loco ejus aliquid habeat, quo membra ſua vel in obedientia ſervare, vel alias communione ſua excludere poſſit. In quo autem illud conſiſtat, ex originalibus ejus monumentis intelligi debere. Itaque Eccleſiam aliquam poteſtatem habuiſſe membrorum ſuorum offenſas judicandi, Autor Sectione II ex Matth. XVIII, 15-17, Joh. XX, 21, 22, 23 probat, Hammondi de locis illis ſententiam laudans, Clerici autem interpretationem rejiciens. Cum autem dubium aliquod ſuboriri poſſit de terminis, quibus poteſtas illa deſcripta eſt, ſenſum illorum determinandum exiſtimat ex praxi non ſolum illorum temporum, quibus eadem poteſtas illa conceſſa eſt, ſed & illorum, quæ proxime illa inſecuta ſunt. Hinc Sectione III pœnitentiæ diſciplinam & in Judaica & Chriſtiana Eccleſia obtinuiſſe, docet, & de Apoſtolis ex praxi illorum probare annititur, quod ad exemplum diſciplinæ Judaicæ poteſtatem ligandi & ſolvendi eodem modo, quo duo Sacramenta ad exemplum Baptiſmi & Poſtcœnii Judaici, a Chriſto acceperint & uſurpaverint. Quæque Seldenus de diſcri-

scrimine inter Judaicam & Christianam disciplinam observavit; hoc saltem probare putat, quod Christiani modo quodam diverso, & alia autoritate illa usi sint. Apostolorum vero praxin successores illorum secutos esse, ex Clemente Romano, Herma, Ignatio, Justino Martyre, Irenæo, Canonibus Apostolicis, (quos circa finem Seculi secundi, vel sub initium Seculi tertii collectos conjicit) Origene, Tertulliano ostendit, ad aliorum simul testimonia provocans, quæ postea allaturus sit. Capite *Secundo* de modo disserit, quo Ecclesia prioribus quatuor seculis hanc disciplinam exercuerit, illudque in duas partes dividit. Parte I tribus Sectionibus agit de Confessione, Segregatione, & Absolutione, posteaquam in accessu ad hanc Tractationem observaverat, quod excommunicatio non nisi desperato casu in usu fuerit, & excommunicati ad sanam mentem redeuntes per tres illas disciplinæ partes Ecclesiæ restituti sint. *Confessionem* & publicam & privatam fuisse ostendit, eaque occasione de Pœnitentiarii origine, & officio, eodemque a Nectario abrogato disquirit. *Segregationis* duas constituit periodos, alteram, quæ præcedit hæresin Montani & Novati, alteram quæ illam sequitur. Ante hæresin illorum disciplinam longe leniorem fuisse, quam post illam docet. Antea pauciores menses vel hebdomades peccatores ab Ecclesia segregatos fuisse, quam postea annos. Stationes quoque pœnitentiæ antea non ita multas, quam postea comparere. De hisce vero Stationibus earumque origine, & præcipuo antiquissimoque gradu, prostratione nimirum, porro Noster non contemnenda profert. De *Absolutione* observat, quod cum peccata delinquentis, tempore disciplinæ effluxo, deprecatione Ministri Dei, per totum pœnitentiæ cursum instituta, expiata plane judicata sint, ipse peccator, ultimo loco manuum impositione ab Episcopo facta, pacem Ecclesiæ obtinuerit, & omnium privilegiorum communioni restitutus sit. Illamque absolutionem prioribus quatuor Seculis ante tempus illud non concessam esse existimat, nisi in casu Clinicorum; ad quorum pœnitentiam etiam Jacobum Ep. V, 14, 15, 16 respicere putat, licet non neget, quod simul verba ejus ad miraculosam morborum curam referenda sint. Denique solemnem pœnitentiam & absolutionem

nem ſemel tantum alicui conceſſam eſſe, probat. Parte II duabus Sectionibus & crimina, quæ ejusmodi diſciplinam meruerint, ut adulterium, idololatriam & homicidium recenſet, & Epiſcopum ejus fuiſſe antiſtitem & arbitrum declarat, Seldenum ſimul refutans, Principes excommunicare aliquos poſſe, imo Aurelianum Auguſtum, Imperatorem Gentilem, ſententiam excommunicationis contra Paulum Samoſatenum tuliſſe, ſtatuentem. Animadvertit nimirum, Imperatorem tantum mandaſſe, ut ædificia, quæ Paulus ægre relinquebat, occuparentur ab illis, quibus Epiſcopi Romani & Italiæ illa adjudicarent. Capite *Tertio* quatuor Sectionibus enarrat, quomodo Eccleſiæ Occidentales primitivum exemplum reliquerint. Nam Sectione I docet, quod, cum pudor multos deterruerit publicæ diſciplinæ ſe ſubmittere, & eo tandem Pontifex Seculo V de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcriptam profeſſionem publice recitandam abrogaverit, & confeſſionem privatam ſacerdotibus factam ſufficientem eſſe exiſtimaverit. Hoc tamen de ſecretis tantum peccatis intelligendum eſſe; de illis vero, quæ publico ſcandalo fuerint, eundem ſtatuiſſe, quod reus illorum non niſi per publicam pœnitentiam ad communionem admitti debeat. Sicuti etiam publicæ diſciplinæ veſtigia poſt Leonem per diverſas Eccleſiæ ætates Noſter oſtendit. Theodorum, addit, Archi-Epiſcopum Cantuarienſem Seculo VII viventem a Marino incuſari, quod primus morem ſuſtulerit publice de criminibus occultis pœnitendi: eundem vindicari a Petito, qui probare annitatur, quod privata pœnitentia in ipſis Eccleſiæ incunabilis locum habuerit; ſed teſtimonia, quæ hic eam in rem produxerit, neutiquam illud probare. Petiti concluſionem veram eſſe, præmiſſas autem falſas. Morinum bene ſatis dicere potuiſſe, quod Theodorus in Latina Eccleſia primus hanc diſciplinam in ordinem redegerit, ſcribendo Pœnitentiale, & methodum illo utendi & Clero & Laicis præſcribendo. Illo tempore publicam diſciplinam licet non penitus amiſſam, tamen fere extinctam fuiſſe, cum poſt illud vix quicquam niſi de privata confeſſione & abſolutione audiatur. Epiſcopos diverſis ætatibus allaboraſſe, priſcam diſciplinam revocare, ad minimum ulteriorem in illa inno-

innovationem prohibere, ut ex variis Conciliorum Canonibus pateat. Carolum M. quoque hoc institutum juvasse, & tempore Ludovici in Concilio Sexto Parisiensi decretum esse, ut Codicilli Pœnitentiales abolerentur: tum etiam lege mandatum esse, ut occulta peccata committentes occulte facerent pœnitentiam, publice vero delinquentes publice etiam punirentur. Sed zelum hujus Imperatoris cum ipso & progenie ipsius cito expirasse, & in barbariem & confusionem temporum incidisse. Per totam periodum a Leone ad nostram ætatem privatam disciplinæ administrationem publicæ prævaluisse, & hanc jam vix aliud reliquisse quam inane sine effectu nomen. Hinc inde quidem in paucis exemplis illam comparere, sed perexiguo usu. Concilia sæpius de illa, tanquam de re magis in votis quam in praxi consistente loqui. Sectione II exponit, quomodo pœna publica Canonica pecunia vel alio pretio redemta sit. Hujus vero fundamentum antiquius esse putat, quam prioris immutationis; licet praxis, quæ illo nitatur, videatur recentior. Concilium Nicænum, & paulo ante Ancyranum, Episcopis potestatem dedisse arbitrariam in disciplina pœnitentiæ exercenda; sed hos temporis successu illam ad casus & circumstantias extendisse, quas neutiquam Concilia ista intenderint. Quamvis vero Noster cum Petito statuat, quod Theodorus Archi-Episcopus Cantuariensis hujus innovationis autor minime fuerit, tamen cum ratione ejus, qua serius illam invaluisse putat, non consentit. Nam ex Pœnitentiali Theodori (huic enim illud, quocunque licet modo corruptum, vindicat) conjicit, quod cum in illo nova praxis ad regulam & methodum redacta sit, antea etiam illa in usu fuerit. Observat præterea in Actis Synodi Landaviensis primæ, habitæ circiter A. D. 560, Synodi item Landaviensis tertiæ, aliquid occurrere eidem praxi tam simile, ut tum temporis radices illa in Ecclesiis Britannicis egisse videatur. Ceterum tempore Synodi Cloveshoviensis A. D. 747 habitæ illam reliquas pœnitentiæ partes supplantasse suspicatur. Seculo decimo autem Leges Ecclesiasticas Regis Edgari mentionem facere ædificationis Ecclesiarum, adjectionis prædiorum &c. tanquam ad solutionem peccatorum conducentium, imo circa idem tem-

pus peregrinationes in terram ſanctam, & militiam contra infideles loco antiquæ pœnitentiæ Canonicæ invaluiſſe, memorat. Cumque illi, qui expeditiones illas ſpoponderint, ſpecialem confeſſionem peccatorum fecerint, & tamen tempus abſolutionis poſt pœnitentiam præſtitam expectare forſitan non potuerint, probabile eſſe dicit, quod hoc originem dederit abſolutioni immediatæ poſt confeſſionem. Sectione III agit de ſeparatione duarum Jurisdictionum a ſe invicem, quæ antiquitus in eadem poteſtate fuerint, nempe (1) illius, quæ reſpexerit conſcientiam peccatoris, & remiſſionem peccatorum ejus, (2) illius, quæ ad externam tantum diſciplinam pertinuerit, & ad privilegium communionis Eccleſiaſticæ. Et IV denique de mutatione formæ in abſolvendo, quæ a deprecatoria & optativa in peremtoriam & indicativam tranſiit. Capite *quarto* conſilia ſuppeditat ſuæ potiſſimum Eccleſiæ, qua ratione antiqua diſciplina in praxin revocari poſſit. (1) Putat, leges, quæ ad diſciplinam pertinent, hodiernas nova quadam ſanctione inculcandas eſſe. (2) Stigma inurendum eſſe praxi illorum, qui in aliarum publici cultus partium ſocietatem veniant ſine uſu ſacramenti. (3) Illis qui utantur ſacra ſynaxi, proprium quendam locum, ab illis, qui non communicent, diſtinctum, aſſignari, eumque in finem Eccleſiis reſtitui debere uſum antiquarum ſtationum, quibus notorii peccatores a piis ſeparentur; imo occultos etiam peccatores, ſi Miniſtro Eccleſiæ cogniti ſint, cum fidelibus non conjungendos eſſe. Qua occaſione etiam Autor optat, ut adulti, qui baptizandi ſint, & confirmationis candidati certam quandam ſtationem eodem modo habeant, quo olim candidati baptiſmi, & ſuggerit, quod ſi nunc etiam certa tempora obſerventur, extra quæ baptiſmum adminiſtrare non liceat, numerus infantum Sacramento eo majorem venerationem & dignitatem conciliaturus ſit. (4) Clavem jurisdictionis cum clave ordinis iterum conjungendam, & utramque eidem manui tradendam eſſe. (5) Mediatorium Miniſtri Eccleſiæ officium apta quadam methodo plebi inculcandum eſſe, quæ omnino illum eo charactere & poteſtate agnoſcere debeat. (6) Chorepiſcopum vel Suffraganeum conſtitui debere in loco celebriori,

ad

ad quem pertineat, quodcunque olim Pœnitentiario in districtu ipsius commissum fuerit, atque adeo administratio disciplinæ in omnibus partibus provinciæ assignatæ ipsi concedatur; hac tamen conditione, ut subjectus sit Episcopo Diœceseos suæ, qui ejus ope longe meliorem & pleniorem de plebis suæ statu, quam nunc quidem, notitiam capere possit. (7) Hæc omnia, & quæcunque alias hunc in finem instituta fuerint, sigillatim in Pœnitentiali consignanda, proprio titulo explananda, & publicæ Liturgiæ addenda esse. Ultimo sequitur *Appendix*, quo nonnulla antiquitatis monumenta de disciplina pœnitentiæ, quæ Autor in ipso Tractatu sæpe allegaverat, Anglice versa exhibentur.

CAROLI SIGONII DE ANTIQUO JURE Populi Romani Libri XI, duo de Civium Romanorum, tres de Italiæ, totidem de Provinciarum antiquo Jure, reliqui de Romanæ Jurisprudentiæ Judiciis; Accessit præter observationes Latini Latinii, Animadversiones Joannis Georgii Grævii, nova Dissertatio Prooemialis Thomasiana de Usu vario studii Antiquitatum, inprimis in studio Jurisprudentiæ Romanæ.

Lipsiæ & Halæ, apud Adamum Sellium, 1715, 8.
Alph. 5 plag. 10.

QUanto majoris utilitatis pariter ac necessitatis in omni Eruditionis genere esse solet Antiquitatum scientia; tanto excellentiori gradu de Republica Literaria merentur ii, quorum opera aliquid egregii in diffusissima arte præstitum fuit. Quorum in numero Carolus Sigonius, quem recentissima editione nunc denuo recusum vides, jure suo meritoque habetur; cujus laudes præter alios Viros laudatos Vir Illustris quoque Thomasius in Dissertatione hujus libri prooemiali pro dignitate exponit, simulque utilissimum Antiquitatis studium omnibus veræ Eruditioni operam dantibus strenue inculcat.
Sic in Jurisprudentia & primo quidem Ecclesiastica non alio modo calliditatibus multorum Ecclesiæ Doctorum, quibus indocto populo persuadere conati sunt, Jus circa Sacra sibi jure pro- §. II.

 prio

prio deberi, quia Levitici in Veteri, Apoſtoli vero in Novo Teſtamento, in quorum locum ipſi ſucceſſiſſent, eodem gaviſi ſint, obviam iri poſſe exiſtimat, quam ut ex Antiquitatibus Eccleſiaſticis demonſtretur: quod ſacerdotes Veteris Taſtamenti cum templo extincti, toto cœlo a miniſtris Novi Fœderis differant, Apoſtoli vero de novo ſtatu erigendo nunquam cogitaverint, nec Sacerdotio ſed Synagogæ Judaicæ ſucceſſerit Presbyterium Chriſtianum, idque ipſum ex Laicis conſtiterit, qui per manuum impoſitionem, ritu Judæis in omnibus fere tam ſecularibus quam Eccleſiaſticis promotionibus adhiberi ſolito, & ab Apoſtolis, dona miraculoſa ipſis peculiaria per hoc medium exercentibus, libera voluntate retento, inaugurati, nullum imperium & conſequenter nullam ejus inter ſe ſubordinationem, ſed nudum miniſterium habuerint, ideo ipſi a ſocietate fidelium ſponte commiſſum, quia Magiſtratus Ethnicus nullam Eccleſiæ curam ſuſcipiebat: denique primi Chriſtiani, cum monitum Apoſtoli ſecuti coram Judicibus Ethnicis litigare erubeſcerent, ſi ipſi inter ſe convenire non poſſent, aut aliorum fidelium aut Presbyterorum arbitrio ſe ſubmiſerint, minime vero ullam eorum jurisdi-
§. 15. ctionem agnoverint. Porro in ſtudio Juris Publici Romano-Germanici de uſu Antiquitatum dubium nullum eſſe autumat. Neque enim facile ullam controverſiam majoris momenti inter caput & membra Imperii vel inter hæc invicem ſponte ſubnatam componi, nec eorum jurium, quæ adhuc hodie ab iis exercentur, vim & poteſtatem plene intelligi, nec originem & cauſam irregularitatis in ſtatu noſtræ Reipublicæ occurrentis ſolide oſtendi, nec, quibus mediis pax & tranquillitas, quæ adhuc ſupereſt, conſervanda & Imperium a gravioribus morbis præſervandum ſit, doceri poſſe, niſi antiquitates Germanicæ diligentius evolvantur, & quomodo ſtatus ille antiquus pedetentim in
16. hodiernum degeneraverit, accuratius obſervetur. Pariter Jurisprudentiam Privatam haut minorem Antiquitatum culturam expoſcere, licet enim jura peregrina ſimul in ſubſidium recepta, eorumque centones recentioribus conſtitutionibus Provincialibus paſſim admixti fuerint, Jus tamen vetus Germanicum in plurimis ſimul confirmatum fuiſſe, id quod non aliunde quam ex Antiqui-

tiquitatibus Germanicis explicari debeat. Ad Jus Romanum vero ejusque crebras abrogationes aut ſaltem mutationes rite intelligendas, non utilem modo, ſed neceſſariam prorſus eſſe Antiquitatum Romanarum cognitionem; ut nimirum cognita juſta ſerie legum de eadem materia latarum verus ſcopus & ſenſus earum, quæ ultimo loco juris autoritatem obtinuerunt, pateat. §. 17.
Non autem ſub nomine antiquitatum venire hoc loco, quicquid de Populi Romani rebus forte œconomicis aut etiam militaribus memoriæ proditum eſt, potius huc ſpectare notitiam Autorum, quorum Leges diſcendæ & explicandæ eſſent; eo pertinere hiſtoriam Reipublicæ & Imperii Romani, variarumque mutationum ſtatum publicum & privatum diverſimode alterantium. Ipſam etiam Jus conſtituendi rationem notam eſſe debere, ne confundantur varia Legum genera & nomina. Laborandum porro eſſe de antiquo proceſſu & pedanei Judicis a Prætore differentia, aliisque Romanorum Judiciorum civilium & criminalium formulis & ordine, tanquam fundamentis plurimarum diſtinctionum & ſanctionum, quæ fine illis nec neceſſariæ forent, nec intelligi poſſent. Imo etiam modum tractandi negotia ad jus perſonarum, dominium & obligationes pertinentia extra judicium inter privatos receptum negligi non debere, cum is quoque in multis juris articulis v. g. de teſtamentis, ſponſalibus &c. præſupponatur. Denique tempora & ſucceſſiones Magiſtratuum & Jurium præcipuorum noviter conditorum, extenſorum, correctorum, abrogatorum, mutationes tacitas ex ipſa alteratione ſtatus profluentes & alia his ſimilia ſedulo annotari debere. 18. 19.
Non tamen ab illo demum tempore incepiſſe ſufficere, quo Codex & Pandectæ lucem aſpexere; verum ad longe antiquiora & ipſa Urbis Romæ primordia, jusque antiquum ſub Regibus & Conſulibus uſitatum reſpiciendum. Requiri igitur notitiam ſtatus privati familiarum veterum, rituum nuptialium & jurium circa adoptionem, emancipationes & alias patribus familias non ſaltem in ſervos ſed etiam in uxores & liberos competentium. Deſiderari notitiam ſtatus publici populi univerſi & comitiorum; porro notitiam diſcordiarum patricios inter & plebejos & ſtudii illorum confun- 20.

dendi plebem ac jus incertum reddendi, ut inventis ineptis formulis de illius fortunis disponere ac dissidia inter illam regnantia augere possent. Requiri notitiam magistratuum veterum & potestatis eorum, item notitiam processus veteris etiam tempore Justiniani & longe ante eum abrogati, nec non Chronologiam legum & edictorum, aliquando etiam ex ingenio supplendam, ut jura male cohærentia connecti possint, opus denique esse notitia legum præcipuarum ad jus privatum pertinentium & circumstantiarum, ad genuinum conceptum de iis formandum necessaria.

§. 25. Perperam contra facere eos, qui antiqui Juris Romani usum ad Jus publicum Romano-Germanicum extendant; neque enim amplius Imperatorum potestatem ab antiqua lege Regia populi Romani repetendam, postquam barbara & semibarbara tempora intercesserunt. Nam quod tempore Friderici Sapientis Saxoniæ Electoris ab ejus Jureconsultis factum legitur, qui eum in Diplomate Universitati Wittenbergensi dato Præfectum Prætorio appellaverant, vix imitaturos esse hodiernos Principum ministros.

26. Unde vero hæc omnia discenda? Non certe ex Corpore Juris Justinianei. Leges enim Pandectarum & Codicis, licet non exiguum hic usum præstare possint, fundamenti tamen loco esse nequeunt. Major adhuc usus est fragmentorum ex Legibus Regiis & XII Tabb. nimia tamen sæpe confidentia collectorum, nec non Titulorum ex corpore Ulpiani & Institutionum Caji; sed hæc ipsa breviora sunt, nec jus antea abrogatum satis edocent. Ab evolutione vero Dionysii Halicarnassei, Gellii, Alexandri ab Alexandro aliorumque initium facere velle, res est magni laboris, exiguæ utilitatis.

27. Majori itaque cum fructu ex recentioribus ii adiri possunt, qui hac de materia collegerunt multa. Quos inter referri meretur Carolus Sigonius, Mutinæ quondam Professor Græcæ Linguæ, qui, cum Ciceronem vere in succum & sanguinem vertisset, ut etiam ipsi Libros de Consolatione supponere, iisque cum expositione fragmentorum editis diu erudito Orbi imponere potuerit, fraude ea ab Antonio Riccobono, Justo Lipsio & Joanne Guilelmo tandem detecta, animi mœrore

re confectus anno 1585 ætatis LX obiit. Is ergo idem Sigonius primum anno 1560 Venetiis edidit Libros duos de *Antiquo Jure Civium Romanorum*, nec non Libros tres *de Antiquo Jure Italiæ*. Porro A. 1567 Libros duos *de Antiquo Jure Provinciarum*, deinde Libros tres *de Romanæ Jurisprudentiæ Judiciis* Bononiæ A. 1574 absolvit, cumque prioribus Libris & tractatu *de Lege Curiata Magistratuum & Imperatorum & Jure eorum*, operi de Jure Provinciarum nomine Libri tertii adjecto, in unum corpus collegit, idque undecim Libris constans Bononiæ A. 1514 in Folio edidit. Secuta est alia editio ejusdem formæ A. 1576. sub titulo Librorum XI de antiquo Jure Populi Romani, Lutetiæ Parisiorum apud Jacobum du Puy venundata. Cum illa conveniunt duæ editiones in Germania in Folio impressæ, prior Francofurti A. 1593, posterior Hanoviæ A. 1609 (non A. 1690, uti habet Instructorium forense Lynkerianum Lib. II memb. I sect. I P. I c. 11 §. 12.) Cumque nullum fere horum exemplar superesset, inserendos suo Thesauro Antiquitatum Romanarum censuit doctissimus Joannes Georgius Grævius; quanquam in eo non tanta cura a Viro summo adhibita fuerit, quantam præstitisset alius, aliis occupationibus minus obrutus, sic enim v. g. ex collatione & inspectione oculari constat, Librum *de Lege Curiata Magistratuum*, qui integer reperitur in dicto Thesauro, esse illum ipsum, sed ab Autore revisum & subinde mutatum, quem allegatus Thesaurus velut diversum opus sub nomine Libri tertii de antiquo Jure Provinciarum exhibet, adeo ut si tempestive observatum fuisset, parci potuisset sumtibus & tædio lectoris. Ceterum hæc Batavorum editio a memorata Gallica, Francofurtensi & Hanoviensi, quantum ad libros de Jure Italiæ, aliquot locis, quæ in his desunt, discrepat; in libris de Jure Civium Romanorum concordat quidem, sed addita tamen sunt in fine addenda & mutanda, quæ laudatus Grævius aucta putat in editione Parisiensi de anno 1572. In quo tamen falli videtur Vir summus, ab Illustri Thomasio octo rationibus convictus, non illam sed Bononiensem de anno 1574 recentiorem adeoque accuratiorem esse editionem ab ipso Sigonio revisam & emendatam, quam postea

Marginal notes (right margin, in order): §. 28. — 29. — 30. — 29. — 31.

ea Parisienses anno 1576 nec non Germani in editionibus suis essent secuti; observationes vero, priori editioni Parisiensi de A. 1572 insertas, ipsum Sigonium in posteriori illa sc. Bononien-
§. 32. si de A. 1574 data opera omisisse, cum in nonnullis sententiam mutasset, alia loco alieno essent inserta, plura quoque su-
34. perfluas geminationes gignerent. Ipsum Autorem quod attinet, interdum aliquid humani passum esse negari non potest, id quod in opere tam impedito ac difficultatibus pleno mirandum forte non erit; sed & pauciora ista quidem sunt & leviora, quam ut detrahere debeant existimationi laboris egregii.
35. Præsens igitur nova Editio juxta exemplar Francofurtense adornata & in duos Tomos divisa est, quorum prior continet Libros II de antiquo Jure Civium Romanorum, & III de antiquo jure Italiæ; posterior vero exhibet Libros III de antiquo Jure Provinciarum, & totidem de Romanæ Jurisprudentiæ Judiciis. Subjecta quoque sunt in calce Tomo I ea, quæ Belgæ pro accessionibus, quamvis falso, habuerunt, (ne quis forte alias Batavorum autoritate motus huic Editioni aliquid deesse putaret) quod tamen factum est tantum usq; ad L. I. cap. 20, in quo ob crebras ejus mutationes textui statim ea, quæ in Francofurtensi editione omissa erant, sed minore typo & brevioribus literis inserta leguntur. De observationibus Latini Latinii ultimo notamus, quod illæ nimirum, quarum usus hodie manifeste cessat, quibus nimirum mendæ, in recentioribus editionibus dudum sublatæ, corriguntur, in hac editione studio fuerint omissæ.

A TREATISE OF THE COLICK.

i. e.

TRACTATUS DE COLICA; AUTORE JOHANNE BURCELL, M. D.

Londini, apud Wilhelmum Lewis, 1714, 8.

Pl. 14.

CUm plures dentur causæ doloris Colici, quam quæ ab Autoribus Medicis hactenus fuerunt observatæ, & allegatæ, operæ pretium esse duxit Autor Clarissimus, perfectum ejus submini

ministrare Systema, & quæ ad symptomatum enucleationem, prognosin & curam pro causarum diversitate instituendam spectant, subnectere. Colicam describit per dolorem violentum abdominis, cujus quidem subjectum communia hujus integumenta, item omentum, prostatas, vasa deferentia vel medullam spinalem esse negat. Pro nervorum quidem affectu Willisius eam habuit, ejusque sedem mesenterium potissimum esse, pronunciavit; contra quam tamen opinionem tribus modis insurgit Noster, fundamenta scilicet Willisii refutando, colicæ subjectum raro vel nunquam mesenterium esse probando, & notionem colicæ nerveæ vel convulsivæ destruendo. Fundamenta Willisii quod attinet, supponit hic, recrementa quædam per nervos à cerebro in plexus mesenterii deponi; Noster vero regerit, talia recrementa nil nisi spiritus animales esse, cum præter hos nil quicquam nervi contineant, cum autem hi motum suum per subtilissimos nervorum tubulos continuent, nullam adesse causam, quæ illos in motu impediant intra hos plexus; si mediante obstructione hoc fieri dicatur, cessationem potius sensus quam dolorem eam sequi putat, sin alio quam per obstructionem modo, nullam suppetere rationem, cur in mesenterii & non in aliis plexibus hoc phænomenon contingat; posito autem, intra hos plexus spirituum motum esse sufflaminatum, nondum tamen probatum esse dicit, fermentationem aut tumorem, vel post hunc tantos dolores exinde oriri posse. Si excipiat Willisius, humores sale fixo præditos cum spiritibus ibidem concurrere, idem tamen manere dubium, putat Noster, cur in plexu cardiaco seu pnevmonico talis non fiat concursus. Posito autem, in mesenterio eundem solum adverti, fermentationem exinde & post eam convulsionem excitari adstruit Willisius; Noster vero, a nulla convulsione dolores, quales colici sunt, perpetrari posse, credit. Mesenterium vero subjectum colicæ esse non posse, ex eo probat, quod hoc exulceratum & gangrænosum repertum fuerit in corporibus, post fata sectis, cum tamen ægri de nullo dolore colico fuerint conquesti; quod in hydrope mesenterium plerumque corruptum sit, inter cujus tamen symptomata colica neutiquam refertur; & quod tumores, scirrhi, apostemata, ulcera, & concretiones calculosæ ejus &

 vasorum

vasorum mesaraicorum sæpenumero atrophiam inducant, liberum chyli ad sanguinem transitum impediendo, absque ullo doloris colici indicio. Quod denique notionem colicæ nerveæ attinet, talem nullo modo admittit Noster; præter ea enim, quæ jamdum sunt commemorata, duo sunt, quibus suam confirmat sententiam, 1) quod in epilepsia tantum absit, ut ægri de vehementioribus doloribus conquerantur, ut potius abolitum habeant sensum tactus; 2) quod, quando causa colicæ a partibus fibrosis ad genus nervosum transfertur, ut in paresi, omnis tristis sensatio cesset, quanquam tum temporis nervi plus afficiantur quam antea. Firmiter potius credit, omnem sensationem vel dolorem oriri ab irritatione nervorum in parte quapiam facta, quæ spirituum undulationem determinet versus cerebrum; nullum vero impulsum, pressuram, aut motum spirituum a cerebro ad partes dolorem quempiam concitare posse. Pergit igitur veram colicæ determinare sedem, quam peritonæum, vel umbilicum, vel capsulas atrabilarias inflammatas aut ulcerosas, vel uterum esse dicit, quando scilicet hic irritatur, corroditur, inflammatur, exulceratur, cancrosus vel scirrhosus evadit, aut excoriatur, vel quando ovaria aut tubæ Fallopianæ tumorem præternaturalem contrahunt, aut fœtus in alterutra harum hæret, aut quando calculi in uteri cavitate generantur. Nec pancreas omni vacat culpa, quando inflammatur, exulceratur, aut tumores scirrhosos vel concretiones calculosas concipit. Sic lien sedes colicæ evadit, quando inflammatur, obstruitur, exulceratur, scirrhosus vel tumidus fit, quando ligamenta ejus relaxantur, vel rumpuntur, aut tartareæ concretiones intra ejus substantiam nascuntur. In hepate vitium hæret, dum hoc inflammatur, obstruitur, exulceratur, scirrhosus vel tumidus est, diaphragmati adnascitur, calculosas concretiones in sua substantia vel poro biliario aut folliculo fellis generat; item dum vesica biliaris rumpitur, aut quoad sphincterem relaxatur. Frequentissime tamen intestina pro colicæ subjecto sunt habenda, & quidem quando excrementa duriora, flatus acres, acidas cruditates, humores vel similes vel pituitosos, vitreos, frigidos colligunt; quando inflammantur, exulcerantur, scirrhosa, callosa

losa vel cancrosa evadunt; quando eorum glandulæ obstruuntur, & intumescunt; quando nimiam bilis copiam admittunt; quando vulnerantur, sanguinem extravasatum cumulant, urinam imbibunt, aut ab hac, rupta vesica, premuntur; quando venenum acre corrosivum hauserunt, ab hernia, tumore, scirrho, aut callositate partium vicinarum comprimuntur, a vermibus roduntur, calculos generant; aut res peregrinas, ut caseum, nucleos, &c. continent. De cetero quoniam ventriculus varios dolores, ab iisdem causis, a quibus intestinorum pathemata, oriundos perpetitur, omnes, cardialgiam si excipias, pro colicis habere fas est. Explicatis sic veris colicæ subjectis & caussis, mechanicam rationem suppeditare annititur Clariss. Autor omnium symptomatum malum hoc concomitantium. Quemadmodum igitur omnes dolores, ita etiam colici ex ejus hypothesi consistunt in tristi sensatione per violentum refluxum seu undulationem spirituum a parte affecta ad cerebrum productum; quatenus scilicet hi certam impressionem faciunt in sensorio communi circa principium illorum nervorum, qui ad hanc vel illam partem spectant; unde anima cognoscit, causam latere in illo viscere, in quo nervi isti terminantur. Quoniam autem variæ sunt dolorum species seu gradus, aliæ semper atque aliæ inde exsurgunt ideæ, quas brevitatis studio nunc mittimus. In Cura colicæ tres potissimum Indicationes attendendas commendat, ut scilicet dolor præsens mitigetur, viscera roborentur, & causæ removeantur. Dolor mitigatur sanguinis missione, vasa deplente, & sic inflammationem vel sistente, vel præcavente, item anodynis & narcoticis, ut & clysmatibus tam scybala emollientibus, quam vitiosos humores educentibus. Viscera roborantur per spirituosa & balsamica, clysmatibus aliisque remediis admiscenda, qualia sunt diascordium, terebinthina, & mixturæ cordiales. Causæ singulæ appropriata exigunt remedia. Sanguinis missio imprimis locum invenit in inflammatione cujusdam visceris, febre symptomatica & affluxu humorum ad partem. Si calor excedat, & dolor urgeat cum vomitu, narcotica clysteribus sunt jungenda. Secundo vel tertio die laxans est propinandum mane, postquam vesperi antecedente narcoticum aliquod fuerat exhibi-

tum; quodsi enim hæc cum illis maritentur, metuendum est, ne purgantis vis castretur; post hujus tamen operationem noctu narcoticum iterum est offerendum. Vomitoria non conducunt, nisi magnus in diæta fuerit commissus error. Fomentationes cum oleo & decoctis metum equidem injiciunt, ne humores moveant, ac æstum & inflammationem augeant; adhiberi tamen possunt, si dolor intolerabilis in superficie hæreat, & cum violenta corporis tensione, phlogosi, aut ad inflammationem dispositione conjunctus sit. Earum vices sustinent pannus subtilis lineus in colica habituali, in specie si causa fuerit frigus aut intestinorum morbus. Emplastra & cucurbitulæ cum magna flamma umbilico impositæ penitus rejiciuntur. Aquæ minerales, in specie Sommersetenses, maxime laudantur. Mittimus cautelas, quas in singulis colicæ causis eradicandis inculcat; non possumus tamen non Autoris mentem circa lienis usum hic aperire. Triplicem scilicet ei assignat usum, 1) ut justam sanguini concedat consistentiam, ut scilicet hic præcaveatur a dissolutione, & destructione, quam constans divisio & interrupta fermentatio inducit, ut in febribus continuis & hecticis quotidie usu venit; 2) ut disponat sanguinem ad bilem generandam; 3) ut sit receptaculum pro sanguine in quibusvis vehementioribus motionibus & contractionibus colligendo, ne vasa hinc rumpantur. Sanguinem in liene debitam consistentiam recuperare, probat 1) quod hic in isto viscere semper magis concretus quam in alio reperiatur; 2) quod nigricantioris sit coloris, qui a diminuto motu procedit, 3) quod singularis lienis structura id ipsum sufficienter declaret. Eo ipso enim dum sanguis ex ramificationibus exiguis arteriæ splenicæ in cellulas & cavitates ampliores lienis deponitur, necessario ille in se ipsum subsidit, & de motu suo remittit. Quibus addit, quod recrementum aliquod fixum acidum ex glandulis albicantibus cellularum splenicarum continuo secretum sanguinem coagulat. Quem saporem acidum exinde probatum dat, quod, si sanguis ex liene fuerit expressus, vesiculæ hæ glandulosæ illum abunde linguæ communicent, & si lac recens cum liquore ex glandulis expresso misceatur, coaguletur hoc; item quod liquor aliquis saponarius, inje-

injectus in cellulas lienis, sanguine privatas, rupturus citius compagem lienis, quam per venas rediturus sit; cum tamen aqua libere eum transmeet, non alia ex ratione, quam quod acidum illud fixum, sulphureo-salinis particulis saponis mistum, sal aliquod vitriolicum producat, quod fibras contrahat & cellulas lienis claudat. Sic si lien cani exscindatur, magis hic agilis, activus, rapax redditur, fœmellas suas acrius prosequitur, & frequentius urinam mittit; ex quibus phænomenis liberior fermentatio sanguinis evincitur, quæ aliquatenus sufflaminatur, liene existente integro, & ex hac causa vigor & vita animalis conservatur. Lienem disponere & præparare sanguinem ad suppeditandam bilem in hepate per modum præcipitationis, hoc modo evincitur, quod salia in massa sanguinea per hujus naturalem fermentationem jamdum dissoluta sint; quod lien receptaculum sit sat capax, in quo salia subsidere possunt; quod segreget acidum fixum ex glandulis suis; quod sanguis colorem nigricantem, croceum & sal acre ad hepar devehendum contrahat. Lienem tandem receptaculum commodum præbere pro recipiendo sanguine in quovis motu violento, exinde probari posset, quod post exercitia corporis quævis vehementiora dolorem tensivum in regione lienis percipimus, quem tamen usum ultimum in medio relinquit, variis utpote dubiis expositum.

C. WOLFII MEDITATIO DE SIMILITUdine figurarum præsertim curvilinearum & constructione Lunularum Cyclico-parabolicarum similium datamque inter se rationem habentium.

DEsiderata hactenus in Geometria fuerunt principia similitudinis: unde factum est, ut non modo ex principio alieno ac sæpe per ambages similium Symptomata demonstrata fuerint, verum etiam talia sine probatione assumta, quæ utique probatione aliqua indigere videbantur. Ita *Euclides* assumit, figuras rectilineas similes habere angulos singu-

los ſingulis æquales atque etiam latera circum æquales angulos proportionalia; ſimiles conos & cylindros habere axes baſium diametris proportionales, ubi *Clavius* recte addit, ſi Scaleni fuerint, axes ſub eodem angulo ad diametros baſium inclinari: Illuſtris Marchio *Hoſpitalius* ſupponit, figuris curvilineis ſimilibus inſcribi poſſe figuras rectilineas ſimiles. Enimvero non ſine ratione quæritur, cur illa criteria figurarum tam rectilinearum, quam curvilinearum, atque conorum & cylindrorum ſimilium conſtituantur? Ad hanc autem quæſtionem reſponderi nequit niſi ex generalibus de ſimilitudine principiis.

Cum ante quadriennium fere Illuſtris *Leibnitius* ſuam ſimilium definitionem mecum communicaret, *quod* nempe *ſimilia ſint, quæ diſcerni nequeunt niſi per compræſentiam;* ſubito mihi exoptata affulſit lux in hoc argumento Geometrico. Hinc enim ſtatim inferebam, ſimilitudinem eſſe identitatem eorum, per quæ res a ſe invicem diſcerni debent. Ut igitur conſtet, quænam ſint ſimilia, ad duo reſpiciendum eſſe intelligebam: nimirum 1 conſiderandum eſſe, quænam ſint ea, unde res a ſe invicem diſcerni queant; 2 inquirendum eſſe, quid ad hoc requiratur, ut eadem dici poſſint. Ne autem in recenſione proprietatum characteriſticarum ſimilium quicquam omittatur, ad ea potiſſimum reſpiciendum eſſe obſervavi, quibus datis reliqua determinantur. Quodſi enim data fuerint ſimilia & ex iis eodem modo duo vel plura determinentur; nullum eſt dubium, quin ea tota ſimilia ſint, adeoque etiam cetera, quæ ex datis determinantur, eadem eſſe debeant. Hæc principia explicavi iisdemque uſus ſum in Elementis meis Matheſeos univerſæ, & inde non modo definitiones *Euclideas* planorum ac ſolidorum ſimilium demonſtravi, verum etiam novas easque faciliores exhibui demonſtrationes eorum, quæ de iis oſtendi ſolent in Geometria elementari. Quoniam vero intelligo deſiderari a nonnullis applicationem eorundem principiorum ad figuras curvilineas; pauca de eadem in præſenti proponere viſum eſt, unde cetera haud difficulter intelliguntur. Notum eſt, datis quotcunque ſemiordinatis & abſciſſis, dari quotcunque puncta in linea

cur-

curva, consequenter omnia una determinari, quæ ullo modo inde pendent. Si igitur figuræ similes hoc modo determinari debent, necesse est ut data, ex quibus determinantur, per se distingui nequeant, hoc est, ut in casu præsenti (vi eorum, quæ in Elementis meis Matheseos ostendi) abscissæ eodem modo determinatæ ad suas semiordinatas eandem rationem habeant. Enimvero ut intelligatur, quomodo abscissæ eodem modo determinentur, exemplo aliquo res declaranda. Proponantur e. gr. duæ parabolæ AMN & *amn*. Assumatur abscissa AP utcunque: TAB. IV. Fig. 4. & 5. quodsi fiat, ut parameter Parabolæ MAN ad parametrum alterius *man* ita AP ad *ap*, abscissæ AP & *ap* eodem modo determinatæ sunt dicunturque similes, quia in parabola non alia datur linea constans præter parametrum, cumque abscissa distincte non cognoscatur nisi per rationem ad parametrum, abscissæ AP & *ap* ob eandem ad parametros suas rationem discerni nequeunt. Jam cum tota similia sint, quæ ex similibus datis eodem modo determinantur, neque arcus AM & *am* per se discernibiles sunt adeoque in figuris similibus eandem ad abscissas AP & *ap*, ad semiordinatas PM & *pm*, ad constantes unde abscissæ AP & *ap* determinatæ sunt, & ita porro, rationem habere debent. Quodsi cui hæc non satis evidenter inferri videantur, quia vim principiorum nostrorum animo nondum comprehendit; ex supposita analogia AP : PM = *ap*: *pm* idem facile evincemus. Quoniam enim AP : PM = *ap* : *pm*; erit etiam alternando AP : *ap* = PM : *pm*. Sit jam AP = x, PM = y, ratio constans AP : $ap = a : b$, reperietur $ap = bx : a$ & $pm = by : a$. Quare cum elementum arcus AM sit $\sqrt{(dx^2+dy^2)}$; erit elementum arcus $am = \sqrt{([b^2dx^2+b^2dy^2] : a^2)}$, consequenter AM : $am = \int\sqrt{(dx^2+dy^2)} : \int\sqrt{([b^2dx^2+b^2dy^2] : a^2)} = \int\sqrt{(dx^2+dy^2)} : \frac{b}{a}\int\sqrt{(dx^2+dy^2)} = 1 : \frac{b}{a} = a : b$ = AP : *ap* = PM : *pm*. *q. e. d.* Immo eadem ratione ostenditur, quod *Euclides* de figuris rectilineis similibus demonstravit, quod nempe sint in ratione duplicata homologorum laterum, idem universaliter de omnibus figuris similibus enunciari debere. Sint enim omnia ut ante: quoniam elementum areæ AMP

$= ydx$

$= ydx$; erit elementum areæ $amp = b^2 ydx : a^2$, consequenter AMP: $amp = \int ydx : \frac{b^2}{a^2} \int ydx = a^2 = b^2 = AP^2 : ap^2 = PM^2 : pm^2 = AM^2 : am^2$. Et generalius multo affirmare licet, omnes figuras similes ac earum partes quascunque similes esse in ratione duplicata homologarum linearum. Patet autem ex antecedentibus, lineas homologas esse, quæ suppositis figuris similibus eodem modo determinantur, veluti si AP & *ap* bisecentur, ex punctis C & *c* perpendiculares CD & *cd* ipsis AC & *ac* subduplæ erigantur, tandemque puncta D & N itemque *d* & *n* rectis DN & *dn* connectantur. Erunt nimirum lineæ DN & *dn* reliquis AP & *ap*, PM & *pm* &c. homologæ.

Optime etiam figuræ similes discernuntur a reliquis per elementa, quibus ad genesin earum opus est. In similibus enim figuris elementa similia esse debent. Unde cum circulus & parabola unica recta data describi possint, omnis vero recta sit alteri rectæ similis adeoque per se sine alia tertia assumta, ad quam utriusque ratio exigitur, una ab altera non discernibilis; vi superiorum omnes circuli omnesque parabolæ similes sunt. Itaque non mirum, quod etiam circuli eorumque segmenta similia, itemque parabolarum segmenta similia, hoc est, quorum abscissæ sunt parametris aut semiordinatis proportionales, habeant rationem duplicatam, illi quidem diametrorum atque chordarum arcuum similium, hæc vero parametrorum, abscissarumque & semiordinatarum similium. Nimirum omnes figuræ ejusdem speciei inter se similes sunt, quando elementa, ex quibus generantur, dissimilia esse nequeunt. Hinc intelligitur, e. gr. omnes cycloides esse inter se similes, quia circuli genitores & rectæ, super quibus incedunt, dissimiles esse nequeunt, rectæ autem, utpote peripheriis circulorum genitorum æquales, ad diametros eorundem eandem rationem habent. Contra cum ellipses & hyperbolæ datis duobus axibus vel diametris conjugatis describi possint, uti ex Conicis notissimum est, binæ vero rectæ a binis aliis per rationem discerni possint; ellipses atque hyperbolæ similes tum demum gignuntur, quando axes conjugati vel diametri conjugatæ utrobique in eadem sunt ratione. Ex nostris

adeo

adeo principiis veluti ſponte ſua magno numero fluunt, quæ alias operoſe oſtendi debent. Plurimum autem refert, ut conſtet, quænam figuræ ſint ſimiles, quænam diſſimiles, quia in ſimilibus omnes lineæ ſive rectæ, ſive curvæ, modo eodem modo determinentur, inter ſe homologæ ſunt: quod utique non minus uſui eſſe poteſt, quam triangulorum ſimilitudo. Exemplum in præſenti ſufficiat ſequens.

Sit Lunula quæcunque DAEFD arcu parabolico DAE & circulari DFE, cujus centrum P, in axe parabolæ AX terminata: oportet conſtruere lunulam aliam cyclico-parabolicam *daefd*, quæ ſit priori ſimilis & ad eam datam habeat rationem $= a : b$. Ex antecedentibus conſtat, lunulas eſſe in ratione duplicata parametrorum. Cum enim tam DAECD & *daecd* quam DFECD & *dfecd* in ratione duplicata parametrorum exiſtant, erit DAECD: DFECD = *daecd: dfecd*, adeoque dividendo & alternando DAEFD: *daefd* = DAECD: *daecd*, conſequenter lunulæ DAECD & *daecd* in ratione duplicata parametrorum exiſtunt. Habent ergo parametri rationem ſubduplicatam lunularum, nempe ut a ad $\sqrt{}$ ab. Quodſi ergo ad a, mediam proportionalem inter a & b atque parametrum parabolæ DAE, quarta proportionalis quæratur; habebitur parameter parabolæ *dae*, qua data conſtrui poteſt. Jam ut quoque arcus circuli *dfe* eodem modo determinetur, quo arcus DFE determinatus fuit; non ſufficit centrum *p* in axe *ax* aſſumi, quemadmodum centrum P in axe AX exiſtit, ſed radius quoque *fp* ipſi FP & *af* ipſi AF ſimilis eſſe debet: id quod per antecedentia obtinetur, ſi *fp* & *af* ad parametrum ſuam eam habuerit rationem, quam habent FP & AF ad parametrum ſibi reſpondentem, hoc eſt, *fp* ſit quartus proportionalis ad parametros parabolarum & radium FP, & *af* quarta proportionalis ad eaſdem parametros atque AF. Eodem modo conſtrui poſſunt lunulæ quotcunque aliæ ſimiles. Circumſpectione tamen opus eſt, ut ſingula eodem modo determinentur. E. gr. Omnes parabolæ ſunt inter ſe ſimiles & abſciſſæ AF atque *af* itidem ſimiles ſunt, ſi parametris proportionales. Ellipſes ſimiles ſunt, quorum axes conjugati ſunt proportionales. Quodſi tamen circa axes FX & *fx*

TAB. IV: Fig. 6 & 7.

Ee elli-

ellipses similes describas, lunulæ DAEFD & *daefd* non erunt similes, nisi parabolarum parametri axium ellipticarum habuerint rationem: alias enim per rationem parametrorum ad axes lunulæ etiam non compræsentes distinguentur.

His principiis in Geometriam admissis, magna ex parte tandem satisfiet illis, qui conqueruntur, in Geometria tantum demonstrari, quod res ita sint, non vero rationes reddi, cur ita sint. Præterea longe plurima admodum universaliter demonstrari poterunt. E. gr. in Elementis meis Sphæricorum jamdum ostendi, multa quæ de angulis & figuris rectilineis demonstrantur ab *Euclide*, ad angulos & figuras curvilineas applicari posse, si latera fuerint similia, quoniam lineæ rectæ non considerantur ut rectæ, sed ut similes. Talia sunt theoremata de angulis contiguis, & verticalibus, de parallelismo linearum, de similitudine & congruentia triangulorum & ita porro.

ALCIPHRONIS RHETORIS EPISTOLAE, quarum major pars nunc primum editur; recensuit, emendavit, versione & notis illustravit STEPHANUS BERGLERUS.

Lipsiæ, apud Thomam Fritsch, 1715, 8.
Alph. 1 & 6 plag.

VEnustissimis antiquæ Græciæ scriptoribus accensendum esse Alciphronem nemo facile negabit, cui vel semel Gratiis litare datum est, adeo enim in dictione Attica, quam ubique sectatur, argutus, & in fingendis ad genium rerum personis felix est, ut non possit non lectori, quod delectet, suggerere; quod ipsum dissimulare nec Barthius in Adversariis potuit, quanquam forte rigidior videri potest, quando Atticistam nimium vocat, qui insuavior aliquando ob nimium studium bene rem exprimendi, unde odiosior delicatis auribus fiat. Illud vero, quod pluribus ex vetustis aliis, etiam Aliciphroni accidit, quod raro nimis ejus ab aliis facta fuerit mentio, unde nec de ætate ejus satis, neque de vitæ genere certo constat; nec firmo nituntur argumento, qui ex eo ad Macedonica eum tempora referunt, quod frequenter

ter talium occurrat memoria, quæ cum illis conveniunt, cum per fictionem talia fieri possint; neque plene cum hoc conveni-re videntur, quæ de Alciphrone Athenæus & Suidas tradunt, quæ-que collegit celeberrimus Fabricius. Aristophane & Menandro videtur esse posterior, & eorum decerpsisse flores; Luciano pri-orem facit Berglerus, ut qui ex ejus fontibus sua prata irrigave-rit. Sed si ignota maneat ætas ejus, dignæ sunt epistolæ, quæ legantur ab illis sedula industria, quos delectat lepor Atticus, & quibus rectius intelligere, quæ passim occurrunt apud alios, de rebus amoris, piscatoriis, parasiticis & rusticis, curæ est. Unde nec fraudandus sua laude est Aldus Manutius senior, qui sicut alia præstantissima antiquitatis monumenta suis typis, ad opti-ma plerumque manu descriptorum librorum exempla, summa diligentia adhibita expressit, hunc quoque, cum diversorum Græcorum epistolis, primum in lucem edidit anno 1499 Græce tantum, cujus editionem imitati sunt Genevenses, qui, adjunctis novis aliorum epistolis, Latinam omnium interpretationem addi-derunt 1606 in fol. atque in fronte eam magnam partem clarissi-mo ICto Jacobo Cujacio addixerunt, quamvis illa Viri eruditio-ne in pluribus sit inferior. Aldinam editionem curaverat do-ctissimus Græcæ nationis homo Marcus Musurus, quod in fine ab eodem subjuncta probat epistola, in qua fatetur plura esse re-liqua, quorum medelam tentare nec ausus sit, nec præstare potuerit, immo quæ ita desperata sint, ut a nemine, nisi meli-oribus codicibus instructo, eorum salus sperari debeat. Egregio itaque Alciphronis amantium commodo doctissimus Ber-glerus, qui omnes Græcæ linguæ delitias exhausit, manum ad-movit operi, stimulo quasi doctissimorum Virorum incitatus, qui non solum epistolarum, ante typis descriptarum, manu ex-aratos libros suppeditarunt, sed & tot novarum, ut quadraginta epistolarum numerum septuaginta duabus novis auxerit, qua-rum octo priores Cl. Kusterus ex Bigotii apographo dedit, & celeberrimus Perizonius, quem nuper d. 6 Aprilis fata eripuisse boni dolebunt, plures ex Ryckii Bibliotheca acceptas permi-sit, quæ ex Vaticanæ Codicibus descriptæ; quibus accessit Illu-stris Gentilotti benevolentia, qua decem ineditas ex augusta Im-

peratoris Bibliotheca describi, & reliquas cum codicibus contendi curavit, & liberaliter subministravit, unde jure hujus indulgentiæ potissima deberi, in dedicatione ad eum doctissimus Berglerus profitetur. Latina versio LXXII ineditarum epistolarum nova ipsius Bergleri est, quam minori molestia se adornasse, quam reliquarum priorem illam ineptam invertisse, monet. Ex quibus adeo luculenter patere potest, quo nomine hæc editio prioribus præstet, quod tamen ut clarius eluceat, pauca exhibebimus Lectori, decerpta ex ejus annotationibus, quibus egregie obscura illustravit, & corrupta restituit, ubi iterum laudat sæpius aliorum doctissimorum Virorum, Perizonii, Schotti, de la Croze & aliorum in præstita opera, humanitatem. Epistolæ primæ Libri primi initium est χρηστὴν ἡμῖν ἡ θάλασσα τὸ τήμερον εἶναι τὴν γαλήνην ἐστόρεσεν, quod prior Interpres: opportune nobis hodierno die mare tranquillitatem stravit; nova editio: commoda nobis mare tranquillitate hodierno die stratum est. Sensum verborum esse obscurum, in notis confitetur doctissimus Berglerus, naturæ enim ordine inverso dicitur, quod mare tranquillitatem sternat; nihil tamen mutari vult Bergleri modestia, & putat interpretatione tolli difficultatem posse, si στορέσαι idem quod τανύσαι vel πετάσαι valeat, quod Græcorum confirmatur testimoniis: sed quoniam neque sic ipsi rei naturæ videtur consuli, levi mutatione τοῦ ἐστόρεσεν in ἱστόρησεν, posse loco succurri crederemus, nisi Eustathii obstaret autoritas, qui hæc verba repetiisse videtur; at vero & hic falli, jam corrupto libro, potuit. Certe sic res clara foret, & sequentia in epistola optime congruerent. Nam sic Latine sonarent verba: utilem nobis esse maris tranquillitatem, hodie nobis conspicere licuit, quem vocis ἱστορεῖσθαι usum Suidas docet. Epistola II ejusdem libri legimus: καὶ πρώην δὲ ἐκ μουνυχίας ἐπέμψαμεν αὐτῷ κομίζοντα τὸ ὀψώνιον Ἕρμωνα τουτονὶ τὸν μειρακίσκον, σπόγγους ἡμῖν ἐπέλαττε, καὶ τὰ ἐκ τῆς θαλάσσης ἔρια, ἃ φύεται ἐπιεικῶς ἐν εὐρυνόμης εἰς λῆμνον. Postrema verba crucem figunt, & Lemnio a malo infecta Berglerus pronunciat. Eurynomen admitti posse credit, a qua denominata maris pars esse queat, tanquam a marina nympha, cui cum lana marina res sit, & sub-

intel-

intelligi οἶκον; sed minus ferendum illud εἰς λῆμνον, unde idem plane omisit in Latino, & Eurynomes stagnum appellavit; legendam vero conjicit verborum partem: ἔρια ἐφίεται ἐπιεικῶς διερευνομένοις τὴν λίμνην. Emendationi ansam dedit Basilii locus, in libello de legendis profanis autoribus, in quo quædam ita convenire monet cum quibusdam in hac epistola, ut alter autorum alterum ob oculos habuisse videatur: vel si de lana illa fungorum litoralium sermo sit, legendum autumat esse: ἃ φύεται ἐν ἠιόνι, vel ἠιόσι τῆς λίμνης. Sed εἰς λῆμνον probavit prior Interpres & in Lemnum Latine scripsit, eo forte sensu, quod Lemnum respiciat locus piscationis, ut idem sit, quod versus Lemnum. At si quid mutare necesse esset, levior mutatio foret, si εἰς λιμὸν scriptum fuisse putaretur, atque heri durities accusari crederetur, quod servis labore oppressis loco cibi imperaret spongias & marinas lanas, quæ augendæ magis quam sedandæ fami apta sunt, nec plane alienum est, spongias devorandas mandari posse, cum & Plinius quosdam illis vesci, memoraverit, de lana vero marina res manifesta sit. Doctissimi Bergleri emendatio uti ingeniosa & erudita est, ita longius aliquando a verborum similitudine abit. Epistola IV locus varie tentatus est: scribit virpiscator ad uxorem urbanæ vitæ amantem, ut in Aldina legitur εἰ τὴν πόλιν ἀσπάζῃ χαῖρε καὶ ἄπιθι εἰς τὸν ἄνδρα. εἰ τὰ ἐκ θαλάττης ἀγαπᾷς, ἐπάνιθι τὸ λῷον ἑλομένη. Barthius in Adversariis: εἰ τὴν πόλιν ἀσπάζῃ χαῖρε καὶ ἄπιθι εἰ τὸν ἄνδρα, ἴθι. εἰ καὶ ἐκ θαλάττης ἀγαπᾷς, ἐπάνιθι, velut quidam gradus [illegible]nt redeundi; nimis forte argute. Cl. Perizonius in Epistola ad Berglerum εἰ τὴν πόλιν ἀσπάζῃ, χαῖρε καὶ ἄπιθι. Εἰ δὲ τὸν ἄνδρα, εἶτα τὰ ἐκ τῆς θαλάττης, ἀγαπᾷς, ἐπάνιθι. Sed nihil horum opus erat, cum solis distinctionum signis recte collocatis, locus sanari a Berglero potuerit, hoc ordine: εἰ τὴν πόλιν ἀσπάζῃ χαῖρε καὶ ἄπιθι. εἰς τὸν ἄνδρα εἰ τὰ ἐκ θαλάττης ἀγαπᾷς ἐπάνιθι. Et Latine: si urbem amas, vale & abi; ad virum, si te marina delectant, redi. Quando a versione, Cujaciana dicta, discedat Berglerus, non monuit; specimen adducemus ex Epistola XXVIII, ὦ δύνασαι με ἀρτίως ἧκεν ὡς ἑαυτὴν ἡ τοῦ γείτονος μετέπεμ-

πεμψε γυνή. καὶ δεῖτα ἥκειν (ἤειν legi jubet) ἀράμενη τὰ πρὸς τὴν τέχνην. σὺ δὲ ἐξαπιναίως ἀναςὰς ἐπειρῶ τὴν δέρην, ἀνακλάσας κύσαι. Quæ ita convertit prior Interpres: parturiens me nuper,ut ad ſe venirem uxor vicini accerſivit, atque,ut quæ ad artem pertinent, afferrem. Tu vero confeſtim exſurgens conabare fracto collo partum elicere. Plane præter rem, adeo rectius nova verſio: parturiens modo uxor vicini me, ad ſe venirem, accerſi juſſit, atque jam ibam aſſumptis,quæ ad artem eam requiruntur. Tu vero confeſtim exſurgens conabare cervicem meam ad te reflectens oſculari. Et ſic cohærent inſequentia. Verum non eſt noſtrum ultra pergere, ſatis ex hac Alciphronis nova editione Lectori licebit cognoſcere,quid in edendis Ariſtophane, cum ſuis notis, & nova plerarumque comœdiarum verſione; & Herodoto emendando & annotationibus illuſtrando, quæ omnia jam perfecta ſunt, præſtare Berglerus valeat. Errata, quorum aliquot irrepſerunt, non diligentiſſimi Editoris incuriæ, ſed typographorum feſtinationi tribuenda ſunt, plurimam partem in ſubjecto indice correcta; chartæ, & typi nitore nulli exterorum concedit Fritſchii noſtri ſedulitas.

AN ACCOUNT OF SOUTH-WEST BARBARY &c.

h. e.

NOTITIA DE BARBARIA AUSTRALI VEL Occidentali, complectens quicquid memoratu digni deprehenditur in Regnis Feſſenſi & Maroccenſi, ſcripto conſignata ab homine ſervitutem ibi diuturnam experto, & ex autographo cum literis binis hodierni Regis Maroccenſis luci donata ab SIMONE OCKLEY, Profeſſ. linguæ Arab. Cantabrig.

Londini, apud J. Bowyer & H. Clements, 1713, 8.

Plag. 8.

CL. Ocklejus, qui introductione ſua ad addiſcendas linguas Orientales nobis jamdudum innotuit, præſentem libellum, cum forte fortuna in manus ejus incideret, edendum putavit in lucem, quam ut aſpiceret, dignus eſſe nobis utique videtur. In Præ-

Præfatione, quam præmisit doctissimus Vir, fatetur, autorem se ignorare prorsus, nec minoris eum tamen æstimandum eam ob causam existimat. Neque enim alias narrationes cæco eum studio sequi, sed res visas ab se auditasque memoriæ prodere. Confirmasse suffragio suo omnia testem oculatum *Xerezium*, Judæum proselytum, *Sophiæ* natum, sed studio celeberr. Allixii ad partes Christianorum sequendas adductum, cui partem libelli, præsertim ubi dubia maxime videretur complecti, Cl. Ocklejus prælegit. Crudelitatem, qua barbari homines in Christiana mancipia utuntur, nimis eum exaggerare videri, sed quæ hic commemorantur, non multum abire ab iis, quæ *Elliotus*, *Pittsius*, & quidam *Ockelejus* tradidere. Qua occasione observat, minus cum veritate convenire opinioni, qua existimant plures, populi Israelitici in servitutem Assyriacam abducti eandem fuisse sortem, quam servi hodie nostri experiuntur. Longe aliter rem habere ex hodierna consuetudine populorum, in iis vel proximis partibus crudelissimo Christianos jugo prementium, posse luculenter perspici. Aliquando tamen de Judæis, quam de Christianis, mitius actum esse, manifestum inde fieri, quod illi servitutem, cui assueverunt, libertati oblatæ præponere non dubitarunt, id quod Christianorum servorum inter barbaros nemo hodie facile fecerit. Commendat hinc studium mores populorum, qui in Mahomedis castra concesserunt, diligentius pervestigandi, quos ab longissimis inde temporum intervallis aut parum aut nihil mutatos clarissimam multis Scripturæ sacræ locis affundere lucem recte existimat. Addit tamen, illos ipsos populos monitis atque institutis nonnihil ab se invicem discedere: eos qui Africæ partes incolunt, horridiores crudelioresque deprehendi, cultiores esse, qui in Asia fixerunt sedes. Atque de his quidem postremis pluribus se olim acturum Cl. Ocklejus pollicetur. Libellum ipsum capita novem absolvunt: I agit de ipsa regione, quam Barbariam Australem vocant, II de indole ac vivendi ratione incolarum, III de vestitu utriusque sexus, quo utuntur, IV de regimine politico & legibus civilibus, V de religione, cultu divino, sacerdotibus, jejuniis &c. VI de ritibus nuptiarum, VII de Genealogia præclarisque rebus gestis Regis, qui ad-

huc rerum summam tenet inter Barbaros versus Austrum incolentes, *Mulei Ismaelis*. Quæ hoc tradit capite Autor anonymus, minus vera atque ab rerum non satis gnaris, ut fieri solet, accepta sibi videri, nos docet Cl. Ocklejus. VIII de regimine politico, cultu divino, festis Judæorum ibi degentium agit, IX de summa miseria servorum Christianorum. Additæ his sunt literæ binæ Regis Maroccensis *Mulei Ismaelis* cum responso, quarum priores Arabica etiam lingua expressæ hic leguntur, non ingratæ utique harum rerum cupidis lectoribus futuræ. Festivum inter alia est, ubi Rex ille in literis ad militiæ præfectum *Kirkium*, *scito*, inquit, *tres equos currui jungendos a Domino tuo per meos, apud eum commorantes, missos mihi esse. Sed currus quatuor equis trahendus est, proinde alium nobis simili forma, habitu & magnitudine procures, necessum est, ut ille quatuor trahi possit. Omnia, quæ in te sita sunt, facito, ut voluntati nostræ obsequaris.* Haud mediocre vero ornamentum conciliat libello nova descriptio in ære facta Regnorum Fessani & Maroccensis, quam consulere Lectores cum fructu poterunt.

BERNARDI A MALLINCKROT DE ARCHI-Cancellariis S. Rom. Imperii ac Cancellariis Imperialis aulæ, quibus accesserunt Summi Pontifices & S. R. E. Cardinales Germanici aliaque. Editio Tertia, cum Præfatione BURCARDI GOTTHELFI STRUVII de Fatis & Scriptis Mallinckrotianis.

Jenæ, apud Jo. Felicem, Bielckium, 1715, 4.
Alph. 1 pl. 21.

NOn ignotum est in Republica literaria nomen Bernardi a Mallinckrot, Monasteriensis quondam Ecclesiæ Decani, quum scriptis suis magnam sibi eruditionis laudem acquisiverit. Inprimis Tractatus ejusdem de Archi-Cancellariis Imperii satis notus est, & ab illis, qui Germaniæ historiam amant, non parum æstumatur. Prodiit ille prima vice Monasterii 1640, 4, sed quum difficilior copia ejusdem esset, operæ pretium duxit Cl. Struvius, ut illum iterum ederet, cui etiam Præfationem de Fatis & Scriptis Mallinckrotianis addidit. Hausit plurima ex Joannis ab

ab Alpen Vita & rebus gestis Christophori Bernhardi Episcopi Monasteriensis; quare nos pauca annotabimus; de ipso autem libro nihil erit dicendum, quum ille jam pridem in eruditorum versetur manibus. Erat Mallinckrotius rarissimæ Vir doctrinæ, librorum helluo, & memoriæ tam vastæ atque felicis, ut libros integros, si periissent, e suo cerebro restituere posse crederetur: Episcopalis dignitas ei non semel oblata fuit, quumque jam ornandus putaretur, illum infelicem spes fefellit. Nam a Ferdinando II Imp. cum consensu Summi Pontificis, Razeburgensis Episcopatus fuerat collatus; sed profligato mox ad Lipsiam Tillio, & Gustavo Adolpho Suecorum Rege omnem Germaniam aquilonarem suis armis occupante, spe defrandatus fuit. Ad Mindensem quoque Episcopatum vocato, Franciscus Guilielmus Episcopus Osnabrugensis prælatus est. Mortuo inde anno 1650 Ferdinando, Archi-Episcopo Coloniensi & Episcopo Monasteriensi, Bernhardus noster mitram Episcopalem ambivit; sed quum Capitulares plurimi ab ingenio ejus abhorrerent & Manliana imperia timerent, eventus voto non respondit; sed Canonici in æde cujusdam ex illorum numero convenientes in personam Christophori Bernhardi a Galen conspirarunt: quo aperto, quum Mallinckrotius consentire nollet, atque contra Canonem esse diceret, filium homicidæ in Episcopum creari, quandoquidem pater ejus Bernhardus a Galen Morienum in duello occidisset, ideoque in captivitate mortuus esset, & apud Pontificem Summum & Imperatorem & in ipsa urbe nihil prætermisit quo Canonicorum facta irrita declararentur: sed iterum nihil effectum: novus potius Episcopus suam administrationem initurus Monasterium comitia indixit Statuum provincialium, quæ ad nutum Electi a conventu suo exclusere Mallinckrotium ceu tranquillitatis publicæ turbatorem. Citatus etiam fuit a Fabio Chisio, Papali Nuntio, ut coram quibusdam magni nominis Viris convitia, quibus Episcopum affecisset, evinceret: sed hoc intra præfixum tempus non comparente, silentium perpetuum ipsi fuit impositum, & quum adhuc Episcopo debitam venerationem non exhiberet, eundem Episcopali autoritate a choro, a capitulo, ab offi-

officio & beneficio suspendit. Etiamsi vero Episcopus tentaret res componere cum Mallinckrotio: omnia tamen rejecit & cuncta tentavit, adeo ut a Cæsare Episcopus jam confirmatus atque investitus munere indignus declararetur. Sed his omnibus frustra peractis ad captandam auram popularem totus se composuit: Monasteriensem quoque civitatem contra Episcopum incitavit & varias alias turbas dedit. Quare Episcopus eundem anathemate percussit, quod ex suggestu fuit recitatum & valvis Ecclesiarum affixum. Quo non obstante ædes quidem sacras frequentavit; sed eo illas ingresso, fugere Capitulares, cessare cantus, omitti horariæ psallentium preces, abrumpi sacrificia, extingui candelæ, quæque alias sacris interdicto fieri solent, graviter expediri cœpere. Interim Mallinckrotius a Josepho Sanfeliciano, qui Coloniæ Agrippinæ Nuntium agebat Papalem, absolutionem impetraverat ab Episcopi anathemate, & civitas inter se divisa, pars Principi, pleraque pars Decano favit, opificum vox in officinis fuit: *Vivat Decanus, cui vitam, salutem, triumphum, fausta omnia.* Tandem Princeps per Prætorianos Decanum in suis ædibus detineri voluit, ex qua captivitate ope populi fuit liberatus. Interea anno 1655 exterarum Academiarum sententia beneficiis & Decanali munere ipso jure & facto privatus declaratus fuit, & post aliquas adhuc turbas anno 1657 Principis jussu in arcem Ottensteiniam est deductus, in qua captivitate per septennium detentus sub Nonas Martii A. 1664 obiit. Quantæ Vir fuerit eruditionis, industriæ atque lectionis, docent ipsius scripta eruditis maxime æstimata. Testatur de eo etiam Bibliotheca ipsius instructissima, quæ Monasterii adhuc servatur. Primum ejus scriptum fuit de *ortu & progressu artis Typographicæ*, Coloniæ Agrippinæ 1639, 4 editum. Alterum de *Archi-Cancellariis.* Tertium *de Usu & natura literarum*, in quo sub literis B. a M. D. M. & C. M. nomen suum indicavit, quæ notant Bernhardum a Mallinckrot Decanum Monasteriensem Coadjutorem Mindensem. Quartum paullo ante ipsius captivitatem evulgatum scriptum est: *Paralipomenon de Historicis Græcis Centuriæ quinque plus minus, quibus præmittitur Discursus de summo bono Hominis in hujus vitæ miseria,* Coloniæ Agrip-

Agrippinæ 1656, 4, quod cum aliis ſupplementis Voſſianis recudi fecit Cl. Fabricius Hamburgii 1709, 8. Scripſit etiam in præfatione operis de Archi-Cancellariis, ſe *de Statibus & Circulis Romani Imperii* aliquid eſſe commentatum; ſed hic fœtus lucem non vidit.

PRIMITIÆ SILESIACÆ,
i. e.
FRANCISCI FABRI VULGO KOECKRITZ SABOTHUS ſive Sileſia, acceſſit Programma JOH. FECHNERI ejusdem argumenti: ex Codice manuſcripto cum impreſſis diligenter collato publico uſui reſtituit Q. A. T. A. V. A.

Lipſiæ, apud J. Groſſii hæredes, 1715, 8.

Plag. 4.

EMinent inter complures alias Nationes hiſtoriæ patriæ ſtudio Sileſii, quod tot egregia Curæi, Schickfuſii, Henelii, Czeſlkonis, Hankii, Dewerdeckii & aliorum cum applauſu in lucem edita opera teſtantur. Reſtant tamen non pauca paſſim in publicis privatisque laudatæ gentis Bibliothecis aſſervata anecdota, quorum typis exſcribendorum ſpem cauſa non una prohibere videtur. Hinc laudabilem olim Godofredus Rhonius in illis recenſendis & partim excerpendis operam collocavit; ne ſcilicet plane intercidant diligentiſſimorum hominum labores in ſoli natalis decus & emolumentum ſuſcepti. Continuat etiam hodienum utile inſtitutum Cl. Rungius Scholæ Magdalenææ apud Vratislavienſes Collega, qui tribus huc uſque Speciminibus aliqua non ſpernenda de ineditis Hiſtoriæ Sileſiacæ monumentis expoſuit. Refertur autem inter hæc cimelia nunquam typis exſcripta præſens quoque Franc. Fabri Opuſculum poeticum, cui Autor (qui Secretarius Vratislavienſis, & præter hoc vaſtis etiam Annalibus, identidem anecdotis de patria ſua optime meritus fuit) ultra novem integros annos impendiſſe fertur. Secuti Rhonium alii Eruditi, qui publice aſſerere non dubitarunt, nunquam hunc libellum prelo ſubjectum fuiſſe,

frustra aliud docente exercitatissimo, si quisquam, in rebus Silesiacis Hankio: donec post fata Viri in ejus Bibliotheca ipsum exemplar impressum inveniretur, & sic de veritate assertionis hujus omnibus constaret. Causa rei fuit, tum exigua libelli moles & insignis raritas, tum quod *Reusneri Itinerario Orbis*, Basileæ M D XCII edito, in fine sub ἀποσπασματίῳ titulo additum fuerit: qui liber cum sæpius recusus habeatur, nec in ullo exemplari hic Sabothus noster comparaverit, haud mirum, neminem ad calcem notatæ editionis raram hanc avem quæsivisse. Celebris tamen semper ejus fama inter Historicos Silesiacos exstitit, & spes sæpenumero illius recudendi facta, præsertim cum multiplicata & mutilata apographa passim circumferrentur. Irrita nihilominus usque huc fuit curiosorum exspectatio, quare ignotus Autor, cui sub literis initialibus supra indigitatis latere placuit, quique se Silesia ortum negat, nunc demum illud ex codice, manu insignis Vratislaviensium JCti exarato, excerptum publico usui restituit. Editionem primam, quam diligenter collatam affirmat, in omnibus secutus est, nisi quod breves passim animadversiones, quas prior MSCti possessor hinc inde addiderat, ad oram paginarum adjectæ sint; eas vero leviores esse & ejusmodi, quæ extemporanea forte meditatio inter legendum suggessit, cuilibet facile ex oculari inspectione patet, quid quod nec ipse Editor illud inficiari voluisse videtur. In præfatione plures hujus generis libelli, e. g. *Pancratii Vulturini Panegyricus* ob ætatem (quippe anno MDV Patavii recitatus) & accuratam oppidorum Silesiacorum descriptionem æstimandus, *Joh. Molleri D. Lignicensium historia genealogica* rarissima, aliaque per vices edenda, promittuntur. Ipsi Kockritziano carmini præmittitur breve *Jo. Fechneri*, Rectoris quondam Vratislaviensis pluribus poematibus elegantissimis publicatis clari, *Programma*, quo cives ad actum solennem de Sabotho habendum jambo senario, quo excellebat, invitavit. Quantum ad *Fabri* laborem, fingit ille Silesiam Nympham, rumoribus de ingente Sabotho increbrescentibus perturbatam, flumina convocasse, horumque comitatu stipatam adiisse senem mœrore confectum. Hic lautis epulis mox suavi colloquio gratam hospitam excepit, & tristitiæ

ſtitiæ cauſas expoſiturus, Nomina inde ab initio diverſa, Cultores nec non reliqua laudatæ Regionis fata ſtricte recenſet, obſervationes haud raro atque digreſſiones interponens ſatis jucundas. Tandem rumor irruentium hoſtium inter ſecure concumbentes illos ſpargitur; ſic fluvii metu dilapſi quisque ad undas ſuas ſe recepit, Sabothus in cavernam montis receſſit, ac miſera Sileſia ſola hoſtium ludibriis expoſita manſit. Certum eſt Autorem officio ſuo bene defunctum eſſe; quanquam Lectorem hiſtoriarum ejus temporis & loci peritiſſimum requirere videatur, quem ubi nactus eſt, non ſine fructu & voluptate detinet. Nec diffitendum, quædam hic illic inveniri, alibi haud facile obvia; ſequiorum enim annorum ſcriptoribus non liberum ſemper fuit, quæ ſciverunt, literis mandare. Interpolavit tamen Editor, privatis procul dubio rationibus motus, duo carminis loca, in quibus licentius Faber & Sabothi genius de Rom. Eccleſiæ Præſule, aliisque jocati fuerant. Denique illud obſervandum, notulas ſubjectas jam annos pene multos præ ſe ferre, quod ex voto de Arminio Lohenſteiniano abſolvendo & ex promiſſo p. 46 B. Hankii opere de Sileſiorum nominibus colligendum. In fine repetit Editor ſponſionem de prolixo Eruditi cujusdam Sileſii in hoc poema commentario, dubia hiſtorica & geographica diligenter explanaturo.

GEORGII FRID. RICHTERI, IN ACAD. LIPS. Fac. Philoſ. Aſſeſſ. ad Virum Rev. M. I. F. A. de Sole, quod caloris vulgo tributi cauſa non ſit, brevis Commentatio.

Lipſiæ, impenſis A. M. Schedii, 1715, 4.

Plag. 4.

NOn id agit Cl. Autor, ut caloris ab Sole quidquam proficiſci omnino neget, ſed ut oſtendat, calorem illum eſſe velut uniformem, varietatis autem variorum anni temporum, quod ad æſtus & frigora pertinet, in Sole cauſam vulgo quidem, ſed perperam quæri. Cui ſententiæ novitatem objectu-

ris id maxime respondet, non posse dubium esse diligenter animum advertentibus, quin difficultatum plurimarum errorumque maxima diuturnitate productorum, in pronuntiatis plerumque communissimis, & quæ propterea etiam in perceptissimis habeantur, latere fons & origo soleat; præterea vix quidem credibile videri, quorum tam diversæ sint de natura Solis sententiæ, horum omnino nullos vim illam calefaciendi in dubium vocare, ac sibi hoc modo apertissime patrocinari: interim se, qui aliorum in ejusmodi rebus autoritati parum deferendo sapientissimorum quorumque autoritatem sequatur, etiam hic minus fuisse de tali autoritate solicitum. Hæc in procemio tractat. Ipsa vero Commentatio quatuor constat capitibus. Quorum in uno, facta breviter eorum mentione, quibus placet, Solem tempore brumali vel minus calidam sui partem nobis obvertere, vel stellis parum fervidis junctum, vel crassioribus obductum maculis esse; rationes deinceps eas diligenter & recenset & excutit, quibus plerique adhuc Philosophi ostendere voluerunt, obliquitatem Solis, exiguamque diebus hiemalibus penes nos moram, frigorum esse caussas certissimas. Monstrat igitur, radios directiores, nec quod iidem obliquis paullo breviores sint, nec quod in se ipsi magis quam illi reflectantur, nec quod in minus terræ spatium incidant quam eorum totidem, nec tandem quod brevius & expeditius per aeris atmosphæram emetiendum iter habeant, idcirco magnos illos efficere æstatis æstus: præsentiam autem paullo diuturniorem Solis nihilo id magis præstare. In altero capite id urget: si varia Solis obliquitas & mora, varii causa caloris sit, statis eum auctibus ac diminutionibus crescere debere & decrescere, perinde ut Sol paulatim & per certos gradus culmini accedat nostro & inde rursus recedat: regiones autem, ut polis viciniores vel æquatori sint, ita easdem magis magisque deprehendi vel frigoribus subjectas vel æstibus debere: quæ cum ita se non habeant, frustra, ibi quidem in ventos & aerem non semper serenum, hic vero potissimum in montes haut æqualiter distributos, causam interrupti tenoris transferri. Sequitur tertium caput, in quo, tum ex perenni frigore, altissimos ipsius torridæ Zonæ montes occupan-

pante (neque id, ut oſtendit, propter aerem ſubtiliorem aut agitatiorem, nec propter radiorum reflexorum vel inopiam vel ab incidentibus diſtantiam, nec propter ſemina frigoris illuc abacta, nec propter alias hujusmodi cauſas) tum ex calore, in intimis terræ partibus conſtanter obvio, probare Noſter inſtituit, cauſam æſtuum æſtivorum ſubter potius quam ſupra quærendam eſſe. Ibidem, cur in locis ſubterraneneis non nimium profundis, hieme rigor, calor æſtate, minus quam ſub dio vehemens ſit, declarat, ſententiasque aliorum coarguit. Reſtat caput ultimum, in quo rationes expendit & experientias, quibus adducti non Philoſophi modo ſed quilibet etiam de vulgo hucusque putarint, Soli eſſe cauſam uni omnem caloris frigorisque annui attribuendam; atque illos umbra potius rationum quam ponderibus oppreſſos pronunciat.

Jam adhuc pauca quædam ſpeciminis loco ex ipſa excerpemus tractatione. Capite igitur tertio cauſam propoſiturus Cl. Autor, cur in cavernis ſubterraneis hieme æſtateque idem propemodum percipiatur calor, id ex eo fieri judicat, quod cavernæ iſtæ, ſi bene clauſæ fuerint, ſemper maneant vaporibus calidis repletæ: hieme quidem, cum minores ſint initimarum terræ partium verſus nos exhalationes, minus talium vaporum cavernis accedere, ſed minus item decedere: æſtate vero plus accedere, ſed plus etiam decedere: interim calorem ſupra terram, illum in cavernis, æſtivo tempore non difficulter ſuperare, quando halitus telluris in liberum aerem enixi moveri expeditius, etiam Sole non accedente, atque ita majorem creare æſtum queant, quam cæcis illis carceribus clauſi. Hæc noſter uberius diſputat, capite quo diximus, n. VIII, & VIIII. Ultimo vero capite, n. III, ſententiæ ſuæ objicientibus, ſolem æſtivum ab umbra æſtiva multo diſtare magis quam hibernum ab hiberna, ita reſpondet: eandem vim radiorum æſtivum aerem, ex aliis cauſis calidiorem & ad calorem recipiendum magis idoneum, plus calefacere poſſe, quam ineptiorem hibernum; eujusq; rei exemplum conclavia præbere, in brumalem porrectaSolem & bene calefacta, in quibus plus item quam in libero & frigido aere ſol ab umbra interſit.

Cete-

Ceterum antequam Autorem noſtrum relinquamus, non alienum videtur, ejus etiam pauciſſimis hoc loco diſſertationem commemorare Geometricam, qua A. 1712 conſcripta, tum angulum quemcumque in tres pluresve partes ſecare, tum duas pluresve inter datas quaſcumque rectas invenire medias geometrice proportionales, maxime intelligibili docuit methodo, per *ſectiones* nempe (ut eas ipſe vocat) *in infinitum alternatas.* Scilicet ſi angulus vel linea quæcumque primum biſecetur, poſt, verbi cauſa, pars dextra rurſus biſecetur, tum ex ortis hoc modo novis partibus iterum ſiniſtra, porro ex aliis novis dextra, deinde ex aliis ſiniſtra, & ſic in infinitum, iſta tandem ratione determinari punctum triſectionis, facile demonſtrat Autor. Jam cum duas inter quaſcumque rectas invenire medias arithmetice proportionales, nil aliud ſit, quam exceſſum majoris triſecare, hoc eſt, infinitas medias alternatim quærere; patet, quomodo etiam duæ geometrice proportionales inveniri queant, nempe ita, ut inter datas primum quæratur media, tum inter inventam & (verbi cauſa) minorem ex datis alia, tum eam inter & proxime majorem rurſus alia, tum inter hanc & proxime minorem, tum novam inter & proxime majorem, & ſic in infinitum: tandem enim hoc modo ex duabus mediis determinari minorem neceſſe eſt. Similiter angulus quicunque vel linea, in 5, 7, ac plures diſſecari partes poteſt, ſi abſcindatur primum pars quarta, ſexta, & ita porro, ac deinde ſectio illa inæqualis, alternatis partibus (ita ut pars major minorque modo a dextra ſit modo a ſiniſtra) in infinitum alternetur. Atque ea iterum transferre ad inveniendas quaſcunque medias Autor docet, nec compendia ſectionum in infinitum alternandarum tradere obliviſcitur.

QUas promiſimus ſuperiori Menſe, prodire nunc hebdomatim cœpere apud Theophilum Georgium Novellæ litterariæ vernaculæ, ſub titulo: *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen*, in 8, in quas, ne in Actis noſtris librorum recenſionibus ſpatium eripiatur, rejiciendam putavimus partem aliquam novorum literariorum, quæ quotidie ad nos perſcribuntur; id quod ignorare Lectores noſtros nolumus.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno MDCC XV.

LUDOVICI FERDINANDI MARSILII Dissertatio de generatione fungorum ad Illustrissimum & Reverendissimum Præsulem JOHANNEM MARIAM LANCISIUM, Clementis XI Pontif. Opt. Max. Archiatrum & Cubicularium Intimum, cui accedit ejusdem responsio, una cum Dissertatione de Plinianæ Villæ ruderibus atque Ostiensis litoris incremento.

Romæ, ex officina Francisci Gonzagæ, 1714, fol. Plag. 12 & tab. æn. pl. 32.

Uti rara admodum est Illustrium & Splendidissimorum Duumvirorum horum, in bene merendi studio se tanta sui gloria æmulantium, magnificentia, qua nuper admodum insignes illos suos librorum, reliquorumque literarum studia promoventium, thesauros immenso pretio redemptos tam liberaliter publico donarunt; ita eo majori admiratione & præconio suo jure censetur digna esse: sed hoc, quod illis etiam præstare datur, qui cœco studio fortunam præ Minerva coluerunt, solum non est, quo sibi literarum alumnos obstrictos tenent; verum tot ingenii sui præclara publico offerentes munera, omnibus cognita, dubios nos faciunt, ex quo primam mereantur gratiam. Quis in literarum historia non plane peregrinus ignorat excellentissimi Lancisii merita? Et quis negaverit in illustrium Scriptorum nostri seculi primo ordine collocari doctissimum Comitem Ludovicum Ferdinandum Marsilium debere? certe id nobiscum omnes sentient, quibus philosophiæ studium est in pretio. Postquam enim ducibus Malpighio & Triompheto, magna nomina! hujus tirocinia posuisset, tantam ipse navavit naturæ contemplationi operam,

ram, ut quidquid in ea esset absconditum, feliciter retegeret, atque hinc nata illa erudita Dissertatio de phosphoro minerali, quam vernaculo sibi sermone jam anno 1698 edidit, & ejus inscriptione Societatem nostram honoravit; inde magni illius & splendidi operis, historiæ Danubii, prodromum illustri Societati Regiæ Anglicanæ, Londini impressum, anno 1700 obtulit, cui perficiendo adhuc strenue insudat, quodque ut feliciter propediem absolvat, cum horum amantibus serio optamus. Nunc exhibemus Lectori non minus opus splendidum, & quod magis in admirationem rapere potest, inter arma natum, de fungorum origine: cum namque in Pannonia finium constituendorum inter Christianorum & Turcorum imperia cura ab Augustissimo Imperatore Leopoldo ipsi demandata esset, equestris exercitus tunc duci, sedula industria hoc egit, ut eorum generationis methodum, experimentis variis factis, exploraret & probaret, quam deinde diligentiam continuavit, cum Brisaco præfectus esset. Enimvero cum tot fungorum esse genera deprehenderet, delineari omnes jussit, atque ad Triomphetum insignem Bononiæ Botanicum misit, qui ad artis regulas in ordinem digereret, quod idem ille, additis pluribus Italiæ indigenis fungis, præstitit, atque hi editioni parati ab illustrissimo nostro Comite, sub titulo collectionis fungorum vegetantium in regnis Croatiæ & Hungariæ, in publico instituto Scientiarum Bononiæ asservantur, quorum, post varios fortunæ casus nunc in alma Bononia, patria sua, quieti datus & egregie musis litans, partem tanquam otii literarii fructus exhibet. Ita autem versatur in argumenti tractatione, ut primo diversorum, cum veterum, tum recentiorum scriptorum sententias, circa fungorum generationem recenseat, hasque discutiat, atque sic, quod sibi, observationibus innixo, cum vero congruere videtur, exponat. In antiquis sunt Theophrastus & Plinius, (ad Poetarum enim figmenta non attendimus,) quorum ille fungos radice penitus carere & e radicibus arborum & pluviis copiose labentibus ad mare rubrum erumpere tradidit; hic vero ex arborum pituita, & limo succo terræ madefacto eorum originem trahit: sed quoniam hi vel omnino falsa supponant, vel obscuris

ris nullam lucem afferant, eos ex recentioribus reprehensione utique dignos censet, qui eosdem secuti sunt. Ad tres vero classes pertinent, qui hac nostra ætate solertiores rei naturam in hac parte perlustrarunt, quarum prima est eorum, qui seminibus suis, æque ac reliqua vegetabilium, deberi fungos asserunt, in quibus Mentzelius, Bocconus, Dodoy & Sherardus eminent, quibus & Porta & Clusius accedunt. Ex secunda, qui fungos ex integrorum frustulis vento dispersis oriri affirmant, Sharrocus sunt, Raius, & Malpighius, qui tamen in re obscura fluctuat. Tertia classis hanc tenet pro vera sententiam, proprium fungorum principium non nisi ex certa corporum putrilagine repetendum esse, ad quos accedunt Chymici, nisi quod dicendi ratione & explicandi methodo differant. Fungos ex semine generari nulla videtur ratione probabili asseri, cum in nulla tot specierum, summa adhibita in inquirendo sagacitate, hactenus potuerit detegi, & quod in fungillo caliciformi Mentzelii semini est prope simile, non vera seminis natura gaudet, & ipsi illi sunt tam exigui pretii, ut minime cum reliquis ad artificis naturæ regulas factis, comparandi: unde nec vero est consentaneum, naturam hos seminibus fœtasse, reliquos vero effœtos reliquisse, vel semine tam exili instruxisse, ut nullo posset studio manifestum fieri; ergo pro imperfectis flosculis habentur potius hæc granula semen mentientia, quam pro vero semine. In quo vero an Illustrissimus Philosophus omnes consentientes habiturus sit, non licet divinare; certe nec imperfecti adeo sunt hi caliciformes parvi fungi, nec exilitas naturæ defectum prodit, sed magis artificis potentiam, & pro seminibus accepta grana cum flore nihil commune videntur habere, cum sint compacta nimis & duriuscula, intra pulpa quasi repleta, & more seminum vegetantium aquæ immersa turgent, quod experimento facto a nobis observatum est. Neque tentamen docti Viri Amadei, qui seminasse illa traditur, omne tollit dubium, cum vel solum semini congruum vel inserendi methodum ignorasse potuerit. Sed neque obstare sibi omni ex parte putat excellentissimus Philosophus, si detur in una fungorum specie dari semina, si modo frustra quærantur in reliquis, quod huc usque factum est, & idem Cl.

Amadeus obſervavit in pluribus fungorum reperiri inſectorum vel ſtercora, vel ovula, quæ ab imperitis pro ſemine reputari queant, ſicut pluribus accidiſſe autumat: at notandum, pro certo poni, quod fieri non abſurdum eſt. In obſcuro vero relicto ſemine, alii rei aliter conſulere allaborant, & per decerpta fruſtula propagari fungos docent: verum & hoc minus eſt probabile, quia putredini tam apta corpora, ut ſunt fungi, non poſſent integra conſervari, ut toties agitata per aera, & mutantia locum, ſimili ſpeciei producendæ, ſic ut arboribus inſiti ramuli, apta permaneant; & experientiæ ſententiam adverſari additur, quoniam fruſta ab integris abrupta, & terræ inſita, novos fungos non produxerint. Verum iterum adhibenda cautio eſt, atque tenendum, ſtructuram corporum viventium delineatam eſſe in minimis, ut in arborum gemmulis, reliquorum ſeminibus, & animatorum ovulis. Satio fruſtulorum requirit neceſſariorum cognitionem, imo videntur obſervata a Raio rem confirmare, quod tamen Illuſtri Autori minus viſum eſt. Unde propriam demum affert ſententiam, quæ huc redit, fungos ſuam debere originem certæ quorundam corporum putrilagini, quæ calore agitata in fungoſa concreſcat corpora, vegetabilibus ex aliqua parte ſimilia, quod variis experimentis factis & obſervationibus frequentioribus probatum ivit; cumque vel ex terra, vel ligno, vel arborum foliis, vel ſaxo, vel etiam ex ipſis fungis & terræ tuberibus, naſcantur fungi, vulgares autem maxime ſint, quos terra producit, & ligna vel putrefacta, vel morbo affecta, qui vel molles vel duri ſunt; hæc omnium p. 36 generationis conſtituitur methodus, quod locus fungorum natalitius ſit, ubi pinguedo occurrat, quæ conſtat quadam oleoſitate ſali nitroſo mixta, quæque per fermentationem a temperato calido ac humido factam, inter fibras lignorum radicibus ſeſe inſinuat, quæ fibræ a craſſa hujus fermenti natura ſucceſſu temporis infirmatæ paucorum annorum ſpatio arbores adigunt ad corruptionem & interitum: ſi vero fermentatio iſta ſub terra fiat, oritur ſitus, prima fungorum ſtamina, inde globuli, qui ſi e terra erumpunt, fungorum formam induunt; quod omne obſervationibus perquiſitum & figuris æri eleganter inciſis demonſtratum eſt. In qua

Autoris

Autoris explicatione specialissimus tamen generationis modus desideratur, & illa fungorum certam speciem ubique conservantium constantia, quæ vix ex materiæ putrilaginosæ, ut ipse loqui amat, fermentatione mente potest elici. Igitur quæ sit sententia accuratissimi Philosophi & Medici, muneris dignitate alios multum præcellentis, Joannis Mariæ Lancisii, nunc etiam nobis dispiciendum erit. Propius ille naturæ arcana omnia intuens, hanc format fungorum generandorum methodum: fungorum principium ponit perpetuum, partem corporis vegetabilis duobus vitiis obnoxiam, solutæ nempe continuitati, & quoquo modo degeneri facto nativo succo, qui per suos tubulos a radice in truncum, atque illinc in ramos & folia impulsus libere discurrere sueverat, propter saucios vero canales, in ejusdem vulneris ulcerisque labris sinubusque restagnare cogitur, atque ibidem concipere, præter naturalem, aliam indolem, qualem liquida in animalium plagis passim solent contrahere, accedente inde pluviarum, aut saltem corpusculorum aqueo-salino-sulphureorum copia, ambientis aeris occursu & mixtione, jam degener succus nova ac plus minusve morbida fermentatione coagulatur, quæ paulatim utriculorum canaliumque fibras, cum non amplius in directum urgere valeat, emollit primum, deinde explicat, rumpit atque exsolvit; postremo eo usque transversum ducit ac trahit, quo pertingere potest vis non impedita per superincumbentem atmosphæram, tum interni aeris in trachealibus fistulis citra vulnus compressi, tum partium volatilium a subterraneis specubus per radicum oscilla sursum cum aere ascendentium. Ex quibus ipsius fere acutissimi Lancisii verbis facile colligitur, cur fungi a plantarum, ex quibus oriuntur, natura & forma, cum interna tum externa, discedant, & a se invicem tam diversi sint. Nam quando obliqua illa fibrarum exsolutio ac productio ex arboris plaga fieri incipit, certe illum servare nequit ordinem positionis, colligationis & contextus, quem in recta atque incolumi vegetatione tenuisset; idcirco morbosa planta, sic fungos appellat, necessario arbore ipsa ab initio aliquanto mollior diversaque figura donata prodit; quin imo juxta variam naturam succorum, qui per easdem fistulas ex affecto vegetabili du-

p. 8.
p. 10.

 cuntur,

cuntur, varius quoque adnaſcitur fungus; ſcilicet modo durus, modo mollis; nunc albus aut niger; nunc flaccus aut viridis; modo ſapidus, odorus, & ſalubris; modo male olens, inſalubris & veneficus. Cur autem fungi e radicibus teneriores, e ramis vero duriores, atque ex trunco mediocris ſint duritiei; cur e plantis emortuis molles fungi naſcantur; unde colorum diverſitas oriatur; cur in plerisque fungis umbellæ fornix ſtriis ſulcatus, ſuperior vero ſuperficies levis cernatur; ea omnia ſtrictius & ingenioſe explicantur, egregie illuſtrantur & confirmantur ab animati corporis fungoſis excreſcentiis, quas condylomata & mariſcas vocant, ex modicis circa podicem diſciſſionibus, quibus ſubacidum fermentum leniter adhæreſcit, efficitque, ut ejusdem cutis fibræ ac vaſa diſſolvantur, attenuentur, atque oblique producta formam acquirant, fungis quam ſimillimam. Sed hactenus dicta præcipue attinent ad fungos ex plantis viventibus natos; pari vero acumine de fungis ex emortuis plantarum membris ortis, quorum fibras pluvia vel quovis humore molleſcere aſſeritur, & propterea coactos in iisdem ſuccos paulatim fluidos evadere, fermentari, atque a ſinubus, in quibus marcuerant, erumpere una cum laxatis tubulis vaſisque, quæ mox, quaſi emancipata in novam formam figuramque complicari ſolent, ac pro ratione impellentis liquidi, ductilitatis, & inclinationis fibrarum, atque obicis, qui ab aere ambiente proficiſcitur, varias morboſarum plantarum ſpecies effingunt. Ex quibus cognoſcitur, fungorum originem ad ſola corpora vegetabilia referri, quorum ſuccum altricem ferentes tubuli, certa ratione e partibus conſtructi & diſpoſiti, variisque magnitudinibus patuli ſunt, atque adeo variæ molis & figuræ corpuſcula per terræ meatus mota & eo allata tranſmittunt, quæ iterum pro ratione ſuorum cuſpidum, angulorum & planorum comprimuntur, coagulantur, in fiſtulas formantur, complicantur, & contexuntur, atque in fungos abeunt, pro diverſitate tubulorum in plantis & corporum in illos admiſſorum differentia diverſos. Docte igitur monet excellentiſſimus Lanciſius, lapidem fungarium dictum non pro vero lapide habendum eſſe, ſed ex lapillis, radicibus, ſuccis, ſeminibus terraque lapideſcente concretum coagulum,

ex

ex quo, affusa aqua, tepido in loco reposito, excrescant fungi, methodo in aliis hactenus exposita; ex qua perspicacissimum egregii Lancisii elucet judicium, ita ut non possimus non maxima impatientia expectare illas in summi Pontificis Bibliotheca asservatas fungorum imagines, quas ut sui ingenii lumine, sicut aliquam spem in nobis excitavit, collustret, atq; ita amplius literariæ rei deditos fovere, cum illo corrusco sidere, suo Marsilio, pergat, ex animo vovemus. De Plinianæ villæ ruderibus dissertationis peculiarem recensum dabimus, ne Lectori nunc simus tædio.

PLANTÆ PER GALLIAM, HISPANIAM ET Italiam observatæ & Iconibus æneis exhibitæ a R. P. JACOBO BARRELIERO. Opus posthumum, editum cura & studio ANTONII DE JUSSIEU.

Parisiis, apud Stephanum Ganeau, 1714, fol.
Alph. 2 Tab. æn. pl. 168.

INter illos Autores, qui propriæ non adeo inhiant famæ, quam quidem ad bonum publicum promovendum nati videntur & educati, merito laudandus est Clariss. Antonius de Jussieu, Illustris Tournefortii in Horto Regio Parisiensi Successor meritissimus. Hic enim Rev. Patris Jacobi Barrelieri Plantarum per Galliam, Hispaniam & Italiam observatarum Icones, ante quadraginta & quod excurrit annos æri accurate incisas, Parisiis in Bibliotheca Patrum Dominicanorum Cœnobii S. Honorati tam diu latentes, ab ærugine non tantum vindicavit, sed & haud absque tædioso labore, additis Synonymis & Observationibus, in Rei Herbariæ amatorum usum publici juris fecit.

Præmittitur autem Operi huic Rev. P. Jacobi Barrelieri Vita, ex qua sequentia delibabimus. Natus scilicet est Parisiis 1606 ex nobili genere. Adolescens primo linguis Latina & Græca excelluit. Dehinc Philosophiæ studiis imbutus, Medicinæ se ultro addixit, in qua Licentiatus gradum adeptus Doctoralem lauream renuit & regularem vitam seculari prætulit. Hinc se Dominicanorum addixit ordini 1635. Et quamvis Theologiæ tunc inprimis incumberet, horas tamen subcisivas Herbarum

rum ſcientiæ, qua ſemper flagraverat, impendit. Ob ſummum ingenii acumen & ſolertiam anno 1646 Rev. P. Thomas Turco, ordinis F. F. Prædicatorum Præpoſitus, Barrelierum noſtrum Aſſiſtentis Gallici munere ornavit; cum quo poſtea Occitaniam, Aquitaniam & varias Galliæ Provincias, exinde & Hiſpaniam peragrans, ampliſſimam Botanicarum Obſervationum congeſſit ſupellectilem, qua in re a variis Botanophilis adjutus eſt. Valentiæ & Caſtellæ deſerta emenſus, ignotas vel male deſcriptas Plantas propria manu delineavit. Ex Hiſpaniis Italiam adiit, viginti tres annos Romæ potiſſimum commoratus, ubi præter Theologicos magni momenti labores, ſtudio quoque Plantarum incubuit, rariſſimas ex Appenninis & Æquicolarum Montibus nec non Portus Oſtienſis vicinia aliisque Italiæ locis, variaque inſecta marina & conchilia congeſſit & depinxit. Tot laboribus ad Hiſtoriam Generalem Plantarum adornandam ſuſceptis, ſcopus erat Opus evulgare ſub titulo *Hortus Mundi* vel *Orbis Botanicus*. Hunc in finem exactiſſime delineatas a ſe Plantas in æs incidi curabat; floris & fructus anatome & proportionibus in figuris ad Fabii Columnæ normam diligenter obſervatis. Ac dum Operi tanto ipſe inſudabat, ſimul eruditorum ex variis regionibus Botanophilorum, quibuscum per literas conſuetudinem alebat, conſiliis inventisque utebatur. Sed anno 1672 Lutetiam redux, in Cœnobio Dominicanorum S. Honorati, dum opus inchoatum perficere nitebatur, aſthmate ex itinere contracto anno ſubſequente oppreſſus eſt. Deſcriptiones itinerum cum Obſervationibus Phyſicis, ad Plantas, Fungos, Conchilia & Inſecta Marina ſpectantibus, & Topographia Botanica Univerſali, paucis exceptis ſchedis de Plantis, cum ipſo perierunt Autore, quemadmodum & Epiſtolæ doctorum Virorum ad Barrelierum datæ. Barrelieri ejusque Iconum mentionem fecerunt Rob. Moriſſonus in Hort. Reg. Blæſenſi; Paul. Boccone, qui in Muſeo ſuo plurimas figuras Barreliero, omiſſo licet ſæpius nomine, debet; & Plumerius, qui Americanam plantam novi generis Barrelieri nomine nuncupavit.

In Præfatione Clariſſimus Juſſieu cauſas notat, quæ ipſum ad

ad editionem hujus Operis impulerunt, nimirum delineatarum ſtirpium raritas & ne Botanophili has plantas pro novis haberent publicarentque. Dein laboris ſui reddit rationem, dum Barrelierianum Opus ad Tournefortii normam reſtituit. Inſtitutionum Rei Herbariæ ordinem ſecutus & methodum, congeneres plantas congeneribus adjunxit, ſpecies ad genera, genera ad claſſes ſuas revocavit; delineatis duntaxat a Barreliero, necdum deſcriptis ſynonyma, deſcriptionesque addidit & jam datas deſcriptiones, ſola locorum ex utroque Bauhino & Rajo indicatione, exhibuit; ac tandem quas ab Autoribus mutuatus eſt Barre lierus recenſuit, quidque Boccone in Muſeo ſuo ſibi arrogaverit, quod tamen Barreliero debetur, indicavit.

Tandem utilitatem Operis prædicat, quæ duplex eſt: 1. Plantarum Hiſpanicarum & Italicarum a Tournefortio in Inſt. R. H. ſaltem deſignatarum ex Barreliero, reperiri Icones, florum, fructuum & ſeminum effigiebus, ſeorſim ad naturalem dimenſionem Fabii Columnæ more expreſſis. 2. Quod Raji & Tournefortii Operibus illuſtrandis, quippe quibus Figuræ ſpecierum deſunt, inſervire poſſit. Adeo ut in hoc Autorum triade accuratisſima Hiſtoriæ generalis adſint primordia.

Quod ad Opus ipſum attinet, in eo recenſentur 1703 Plantæ rariores partim novæ & ab ipſo primum Barreliero detectæ & delineatæ, partim vero ab aliis jam Autoribus, ut C. Bauhino, J. Bauhino, Columna, Cluſio, Camerario, Lobelio, Horto Eyſtetenſi, Dalechampio, Imperato, Thalio, Pona, Cornuto, Hernandez & Piſone jam memoratæ, ex quibus & Icones deſumtæ, quarum nonnullas Equiti Romano Corvino acceptas fert, quamvis minus accuratas.

Has Clariſſimus Juſſieu in ordinem redegit, ſynonyma & curtas deſcriptiones cum ſuis obſervationibus addidit & indices neceſſarios ſubjunxit. Icones ſequuntur Stirpium ipſæ, quarum plerumque quatuor in uno folio, ſingulæ propriis lineis quadratis incluſæ, raro plures.

In calce annectitur Inſectorum quorundam marinorum mollium, cruſtaceorum & teſtaceorum cum figuris ſpecimen, ut diligentia Barrelieri, etiam circa hoc ſtudium appareat.

DE CENTRO TURBINATIONIS INVENTA nova, Autore JOH. BERNOULLI.

DE motu Pendulorum simplicium & compositorum horumque centro oscillationis inveniendo omnium optime scripsit Nob. Hugenius, Vir in hac materia apprime versatus. Principium vero, quod axiomatis loco assumsit, de descensu & ascensu communis centri gravitatis ad æqualem altitudinem nonnullis visum est nimis temerarium & sine demonstratione non admittendum.

Nos Theoriam nostram de hoc argumento certiori fundamento innixam in Actis Lipsiensibus communicavimus (vide mens. Junii 1714) ex qua centrum oscillationis pendulorum compositorum tam in fluidis quam extra fluida agitatorum evidentem & indubiam determinandi rationem deduximus. Prælaudatus Hugenius in Operis sui pereximii de *Horologio Oscillatorio* Parte quinta breviter describit constructionem horologii cujusdam e circulari pendulorum motu desumtam, quæ scilicet nititur contemplatione pendulorum simplicium motu conico laterum, quorum gyrationes isochronas esse deprehendit, cum conicæ superficies a pendulis descriptæ æquales habent altitudines: meminit quarundam utilitatum hujus horologii, monetque qua in parte præcellat alteri illi in antecedentibus descripto, quod nempe vulgari pendulo inter duas cycloides oscillante instructum est; atq; ea occasione innuit Nob. Autor, *se constituisse quidem edere descriptionem horum quæ ad motum circularem & vim centrifugam attinent, sed cum de eo argumento plura dicenda habuerit, quam quæ eo tempore exequi vacasset, interim autem ut nova nec inutili* (ceu ipse vocat) *speculatione fruerentur harum rerum studiosi, machinæ hujus fabricam expositurum & quædam tantum Theoremata traditurum ad vim centrifugam pertinentia; demonstratione ipsorum in aliud tempus dilata.*

Vidimus postea Theorematum eorum demonstrationes in Opusculis posthumis Hugenianis anno 1703 editis: quod attinet ad demonstrandi soliditatem, vim, & perspicuitatem, omnia sapiunt solitam Autoris exactitudinem, ita ut nihil desiderari possit, nisi forte quod nimis scrupulosus sit in demonstrandis etiam

rebus

rebus more veterum quæ planæ facilesque videbuntur iis quibus recentiores nostræ methodi familiares sunt: quod ideo dico, ne quis cui Hugenii indoles perspecta non est, aut ejus scripta examinare non vacat, præpostera alicujus Censoris sententia deceptus erroris insimulet Virum summum, qui sollicitus adeo fuit in errore evitando etiam in minutissimis.

Censuræ ejusmodi intempestivæ exemplum in Diario Parisino 23 Maji anno 1701 ubi P - - - homo ad carpendum, uti videtur, natus, horum 13. Theorematum Hugenianorum demonstrationes daturus improbat, quod Hugenius *Duplicem oscillationem minimam lateralem alicujus penduli eodem tempore absolvi statuerit, quo absolvitur circuitus minimus ejusdem penduli motu conico lati.* In dubium quoque vocat Theorema sextum, quod restringendum esse asserit certis duabus conditionibus. Aliud autem hac sua crisi effecit nihil P - - - quam quod apud harum rerum intelligentes suam in iisdem imperitiam prodiderit conjunctam cum perpetuo cavillandi pruritu; ut vel hoc nomine parum commotus fuerim, quando eum vidi non mea tantum scripta subinde sugillantem, sed ne magnis quidem viris parcentem: quam ob rem nulla responsione eum dignum censui hactenus, neque posthac censebo.

Verum enim vero nec P - - -, a cujus cavillis solide vindicarunt Hugenium Clarissimi Editores opusculorum posthumorum in præfatione eorundem, nec quisquam alius eorum omnium, quorum bene multi sunt, qui Theoremata ista tredecim demonstrationibus suis qualibuscunque munire voluerunt, hactenus sibi in animum induxit, materiam eam amplificare, atque imprimis supplere ac quodammodo restituere ea quæ incomparabilis Hugenius videtur præter dicta illa Theoremata in mente habuisse, cum innuit sibi de eo argumento plura dicenda fuisse, quam quæ tum temporis exequi licuisset.

Nemo enim facile crediderit, modo attendat ad rerum connexionem, Hugenium, qui cum ageret de oscillationibus lateralibus tam operosus fuit in reducendis pendulis compositis ad pendula simplicia seu in determinandis centris oscillationis pendulorum compositorum variarumque figurarum planarum &

 solidarum,

ſolidarum, eundem quoque, cum ſcriberet Theoremata de pendulorum ſimplicium motu conico, non cogitaſſe pariter de compoſitis in gyrum actis, deque modo in illis, nec non in variis figuris gyrationum tempora periodica aliaque eo pertinentia determinandi & inveniendi: in hac enim mobilium gyrantium, vel ut ego aptius voco, turbinantium non minus quam in illa oſcillantium ſpeculatione occurrunt profecto ſcitu digniſſima & longe jucundiſſima; ut mirer neminem fuiſſe & quidem inter ipſos illos Demonſtratores Theorematum per ſe ſatis facilium, qui ulterius progredi auſus, materiam ab Hugenio tantum inceptam promovere aliquousque ſuſtinuiſſet. Quorſum enim faſtidioſa illa repetitio, rei & a nobis primum, poſtea ab aliis dudum præſtitæ, niſi ut non tam de publico bene mereantur, quam ut oſtentent aliquam dexteritatem, qualis tamen ad hoc quicquid eſt operis haud magna requiritur.

Sperabam equidem, cum primum opuſcula poſthuma in manus meas incidiſſent, me inter ea reperturum plenariam hujus argumenti pertractationem; ſed præter nudam theorematum demonſtrationem cum tribus quatuore aliis propoſitionibus eo ſpectantibus aliud nihil videre fuit.

Unde firmiter credo, quæ de Turbinationibus pendulorum compoſitorum & figurarum meditatus eſt Hugenius & haud dubie ſcripto conſignavit (prout conjicere licet ex iis quæ initio partis quintæ Horologii oſcillatorii haud obſcure indicavit) cum plurimis aliis ſchedis, ut fieri ſolet, poſt fata Autoris intercidiſſe.

Non igitur inconſultum fore judicavi, ſi, quod jam ab initio hujus ſeculi de centro Turbinationis commentus fui, tandem cum publico communicarem, atq; ita reſtituerem deperdita Hugeniana, vel (ſiquidem non auſim pro certo aſſeverare me in eaſdem prorſus cum ipſo ſpeculationes incidiſſe) ſaltem jacturam illam repararem ſimilibus, ut conjecto, cogitatis, atque inventione Regulæ univerſalis pro pendulorum compoſitorum & figurarum turbinantium reductione ad pendula ſimplicia motu conico lata & cum illis iſochrona. Neceſſe eſt autem ut præmittam quaſdam definitiones Hugenianis ſimiles, uti videre eſt in Horologio

logio oscillatorio pag. 92, vel potius ut cum paucis aliis Hugenianas illas ad rem nostram mutatis mutandis accommodem; sit itaque

Definitio I. Pendulum turbinans dicatur figura quælibet gravitate prædita, sive linea fuerit, sive superficies, sive solidum, ita suspensa ex puncto aliquo, ut circa illud vel potius circa rectam verticalem, quæ per punctum suspensionis ducta intelligitur, motum æquabilem horizonti parallelum vi impetus impressi continuare possit.

Defin. II. Turbinari igitur est moveri in gyrum ita ut singula figuræ turbinantis puncta describant circulos horizonti parallelos.

Defin. III. Punctum suspensionis dicatur Vertex turbinationis.

Defin. IV. Recta vero verticalis per verticem turbinationis ducta vocetur Axis turbinationis.

Defin. V. Per Pendulum simplex & per compositum in turbinationibus intelligitur idem quod apud Hugenium in Oscillationibus, vid ejus defin. 3 & 4.

Defin. VI. Pendula turbinantia Isochrona vocentur, quorum tempora periodica sunt æqualia h. e. quæ turbinationes suas æqualibus temporibus absolvunt,

Defin. VII. Planum turbinationis dicatur Planum verticale, in quo est Axis turbinationis & quod per centrum gravitatis penduli compositi vel figuræ turbinantis duci intelligitur.

Defin. VIII. Linea Centri est quæ ex Vertice per centrum gravitatis transire concipitur.

Defin. IX. Centrum turbinationis penduli compositi vel Figuræ turbinantis cujuslibet appelletur punctum in axe turbinationis tantum a Vertice turbinationis distans, quanta est altitudo superficiei conicæ descriptæ a pendulo simplici quod figuræ turbinananti Isochronum sit.

Defin. X. Angulus turbinationis vocetur, quem facit Linea centri cum Axe turbinationis.

Defin. XI. Figura plana, vel Linea in plano sita, in planum turbinari dicatur, cum Axis turbinationis in eodem cum Figura Lineave est plano.

Defin. XII. Eadem vero in latus turbinari dicantur, cum planum turbinationis cum figuræ lineæve plano angulum constituit.

Hypothesis I.

Si Pondera quotlibet invariatam distantiam tam inter se quam a vertice turbinationis servantia turbinari incipiant justo quodam impetu toti systemati impresso, angulum turbinationis manere eundem semper, & velocitatem singulorum corporum fore æquabilem (remota scilicet aeris resistentia) & suis ab axe turbinationis distantiis proportionalem.

Hujus rei ratio unicuique manifesta evadet, si consideret rectas a vertice turbinationis ad singula corpora turbinantia ductas tanquam totidem vectis compositi brachia, quæ inter se connexa sunt in ipso vertice turbinationis, unumquodque vero in extremitate sua annexum habeat corpus, quod duabus potentiis brachium urget una verticali quæ dependet ab ipso ejus pondere, altera horizontali, quam acquirit inter turbinandum a conatu recedendi ab axe turbinationis, & quæ vocatur vis centrifuga. Quod si itaque momenta omnia virium deorsum trahentium æquentur momentis omnibus virium extrorsum nitentium, patet quandam tunc esse speciem æquilibrii in toto systemate corporum simul turbinantium, ita ut quem tunc facit angulum Linea centri cum Axe turbinationis, hunc postea servet continuo, maneatque velocitas uniformis in singulis systematis punctis, nisi ea vel ab aere vel ab aliis impedimentis externis, a quibus autem abstrahimus, turbetur; quo ipso non amplius circuli horizontales a punctis istis describerentur, sed aliæ curvæ irregulares & non in planis existentes, sicuti periculum facienti satis constabit.

Quo major autem est velocitas systematis seu penduli turbinantis sive sit simplex sive compositum, liquet tanto etiam majorem requiri angulum turbinationis; cum enim vires horizontales centrifugæ hoc modo augeantur, necesse est, ad conservandum æquilibrium, ut simul etiam crescant momenta ponderum seu virium verticalium, id quod fieri nequit nisi ab Axe turbinationis magis recedant magisque adeo angulus ille amplietur.

Hypo-

TAB.V ad A.1715.
M.Jun. pag. 247.













Hypothesis II.

Si pendulum e pluribus ponderibus compositum turbinetur, ita ut singula ejus puncta describant circulos horizontales, esse aliquod Pendulum simplex, quod motu conico gyrando circuitus minimos faciet eodem tempore cum composito.

Ex Demonstratis Hugenianis palam est, tempora circulationum esse in subduplicata ratione altitudinum conorum, quorum superficies describunt pendula simplicia; potest ergo abbreviari vel elongari longitudo penduli simplicis, quæ est ipsa altitudo superficiei conicæ acutissimæ faciendo circuitus minimos descriptæ, ut tempus circulationis sit vel dato quolibet minus vel dato quolibet majus, hoc est, ut in infinitum vel minui vel augeri possit: ideoque necessario dabitur aliquod pendulum simplex quod dato composito erit isochronum. In hujus vero penduli simplicis longitudine determinanda consistit inventio centri turbinationis, utpote quæ longitudo penduli simplicis gyrationes minimas facientis æqualis est altitudini superficiei conicæ a quolibet alio pendulo simplici isochrono descriptæ; quod ipsum est Theorema VII Horolog. Oscillat. demonstratum in opusculis posthumis Propos. VIII de vi centrifuga.

Eo Theoremate cum nitatur maxima pars reliquorum theorematum Hugenianorum, interim vero Autoris demonstratio quæ ex consideratione potentiarum pondera planis declivibus incumbentia sustinentium deducitur, licet ingeniosa, non tamen satis plana & facilis videatur, dabo hic meam ex natura Vectis petitam magis naturalem & ad inventionem centri turbinationis magis idoneam: præmitto autem hoc

Lemma.

Sit Vectis AB (Fig. 1.) *circa extremitatem A mobilis, in altera vero B hinc inde oblique tractus a duabus potentiis quæ rationem reciprocam habent earundem directionum, in eodem cum vecte plano existentium, distantiis a centro motus; manebunt potentiæ in æquilibrio; et ideo vectis situm suum in hoc plano non mutabit.* TAB. V. Fig. 1.

Patet hoc ex Mechanicis; etenim æqualitas intercedit momentis Potentiarum, & ideo æquilibrium inter ipsas Potentias.

Theo-

Theorema Hugenii.

Si pendula duo ſimplicia inæqualis longitudinis deſcribant ſuperficies conicas æqualis altitudinis: Tempora periodica erunt æqualia.

Demonſtr. Concipiatur filum penduli ſimplicis eſſe inflexile vel rigidum inſtar vectis gravitate carentis, clarum eſt, dum ſuſpenſum ab una extremitate circa verticem turbinando movetur, alteram extremitatem trahi ut ſupra dictum a duabus potentiis nempe a pondere corporis ſecundum directionem verticalem, & ab ejus vi centrifuga ſecundum directionem horizontalem: Ergo per Lemma præcedens ob angulum turbinationis ſemper æqualem, potentiæ illæ duæ erunt reciproce proportionales ſuarum directionum diſtantiis a vertice turbinationis. Hinc itaque ſi pendula duo ſimplicia AB & LM (Fig. 1.) turbinando deſcribant duas ſuperficies conicas, erit ut AC ad AD, ita pondus B ad ejusdem vim centrifugam $= \frac{AD \times B}{AC}$; Et pariter ut LN ad LP ita pondus M ad vim centrifugam $= \frac{LP \times M}{LN}$, unde vis centrifuga in B ad vim centrifugam in M :: $\frac{AD \times B}{AC}$. $\frac{LP \times M}{LN}$ (ſumendo pondera B & M æqualia) :: $\frac{AD}{AC}$. $\frac{LP}{LN}$ :: AD×LN. LP×AC (ſuppoſitis conorum altitudinibus AC & LN æqualibus) :: AD. LP :: CB. NM; Hoc eſt vires centrifugæ ſunt in hoc caſu ut radii circulorum quos mobilia B & N deſcribunt, ergo per converſam Theorematis primi in Horolog. oſcillat. ab hoc non dependentis, tempora periodica ſunt æqualia. Q. E. D.

Scholium.

Notandum hic, etſi demonſtrationis gratia pondera B & M aſſumta fuerint æqualia, poſſe tamen eſſe utcunque inæqualia; Ex eo enim quod cum mutato pondere etiam proportionaliter mutetur ejus vis centrifuga, angulo turbinationis manente eodem, liquet tempus periodicum non mutari: rem ipſam nunc

aggredior, quam comprehendam duabus prioribus propositionibus fundamentalibus, quibus reliquæ superstruentur.

Propositio I.

Dato Pendulo turbinante composito ex ponderibus quotlibet communi turbinationis plano inhærentibus, si pondera singula ducantur in suas distantias ab axe turbinationis & porro in suas altitudines hoc est in distantias a plano horizontali per verticem turbinationis ducto; Deinde summa productorum dividatur per id quod fit ducendo ponderum summam in communis centri gravitatis ponderum distantiam ab axe turbinationis, habebitur distantia centri turbinationis seu Longitudo penduli simplicis circuitus minimos iisdem cum composito temporibus facientis, seu quod idem est, habebitur altitudo superficiei conica quam pendulum quodlibet simplex describens pendulo composito dato erit isochronum.

Sint pondera pendulum turbinans componentia (quorum nec figura nec magnitudo, sed gravitas tantum consideratur) & communi plano turbinationis pondere carenti inhærentia A, B, C; vertex turbinationis sit O, (Fig. 2.) commune centrum gravitatis ponderum, X; Axis turbinationis, OR; Linea centri OX; Angulus turbinationis, ROX, qui inter turbinandum invariatus manet, hoc est, Planum in quo sunt pondera non rotatur circa punctum O: Hujus rei causa est quia momenta virium centrifugarum angulum hunc ampliare conantium, æqualia sunt momentis ponderum ipsorum eundem angulum contrahere nitentium; ita nempe ut si nonnihil remitteretur vel lentior fieret turbinationis motus, linea centri OX, quæ continuo affectat situm verticalem, statim accederet propius ad axem OR; si vero intenderetur, statim ab eodem magis recederet. TAB. V. Fig. 2.

Pondera A, B, C, vocentur a, b, c, & eorum distantiæ ab axe OR, nimirum AF, BG, CH, sint f, g, h; altitudines vero seu distantiæ a plano horizontali per verticem O transeunte, vel quæ ipsis sunt æquales OF, OG, OH, nominentur k, l, m; tandem distantia ab axe centri gravitatis XL sit p; hujusque altitudo OL, q. Erit productorum summa $afk + bgl + chm$:

 Et

Et rursus ducendo summam ponderum in distantiam centri gravitatis omnium ab axe turbinationis, productum æquale erit $ap + bp + cp$; unde dividendo prius per hoc, habebitur $\frac{afk + bgl + chm}{ap + bp + cp}$; Cui longitudini si æqualis statuatur longitudo penduli simplicis per circuitus minimos turbinantis; Dico hoc alteri illi composito isochronum esse, adeoque etiam quodlibet aliud simplex, modo describat superficiem conicam ejusdem altitudinis cum prædicta longitudine.

Ad hoc demonstrandum concipiamus pendulum compositum O A B C adhucdum in quiete, & Lineam centri OX manu prehensam removeri ab axe OR, ut constituat cum eo angulum ROX; intelligamus nunc pendulo ita constituto, imprimi plano turbinationis velocitatem eam qua eodem tempore gyrationes absolveret cum prædicto pendulo simplici; ostendam per hanc velocitatem plani omnia pondera simul secum circumferentis, tantas ista pondera acquirere vires centrifugas, ut earum momenta simul sumta præcise adæquent summam momentorum ponderum; adeoque velocitatem ita impressam, esse ipsam illam requisitam, quæ efficere debet ut angulus turbinationis inter turbinandum non mutetur; quo facto demonstratum erit assertum, nempe pendulum illud compositum in dato turbinationis angulo ROX fore isochronum pendulo simplici assignato.

Sit enim pendulum turbinans simplex EM, quod angulum turbinationis NEM semirectum faciat, habeatque superficies conica quam describit altitudinem EN æqualem assignatæ longitudini $\frac{afk + bgl + chm}{ap + bp + cp}$; patet vim centrifugam corporis M in hac suppositione esse æqualem ipsi ejus ponderi, quoniam sub æqualibus angulis applicantur ad vectem EM, cum quo comparavi pendulum. Sunt autem vires centrifugæ (per Theor. I Hugen.) mobilium æqualibus temporibus circumferentias inæquales percurrentium, ut earum radii in ipsa respective mobilia ducti: Ergo pondera A, B, C, quæ cum plano isochrono (per hyp.) mobili M jun-

M junctim feruntur, acquirent singula vim centrifugam proportionalem molibus suis ductis in distantias suas ab axe; hoc est faciendo ut NM (EN) ad FA, ita vis centrifuga mobilis M seu, quod tantundem est, ob angulum turbinationis NEM semirectum, ejus pondus, ad vim centrifugam quam haberet isochronum in distantia AF; esset hæc vis $= \frac{M \times FA}{EN}$, ipsa vero quæ inest corpori A in eadem distantia AF & æquevelociter moto consequenter erit $\frac{A \times FA}{EN}$; & simili ratione vis centrifuga quæ inest corpori B erit $\frac{B \times GB}{EN}$; item quæ inest C erit $\frac{C \times HC}{EN}$; harumque virium momenta habentur si ducantur in suarum directionum distantias a vertice turbinationis nempe in OF, OG, OH; quæ junctim sumta $\frac{A \times FA \times OF}{EN} + \frac{B \times GB \times OG}{EN} + \frac{C \times HC \times OH}{EN}$, seu adhibitis symbolis algebraicis $\frac{afk + bgl + chm}{EN} = \left(\text{ob } EN = \frac{afk + bgl + chm}{af + bg + ch}\right)$ $af + bg + ch$, dabunt momentum totale, quo Linea centri OX a viribus centrifugis extrorsum urgetur seu quo illa affectat ampliationem anguli turbinatiouis ROX: Momenta autem ponderum deorsum nitentium habentur pariter si ipsa pondera ducantur in suarum directionum distantias a vertice O, quæ sunt æquales ipsis FA, GB, HC; quæ ergo momenta simul sumta $A \times FA + B \times GB + C \times HC$ seu $af + bg + ch$ exhibent momentum totale quo linea centri OX a gravitate ponderum deorsum trahitur, seu quo illa affectat coarctationem anguli turbinationis ROX; Cum itaque pro momento totali utroque eadem quantitas proveniat nempe $af + bg + ch$, erit inter illa æquilibrium angulusque turbinationis in ea quam habet amplitudine perseverabit, adeoque ob velocitatem primitus impressam plano turbinationis quam isochronam fecimus velo-

 citati

citati penduli ſimplicis, patet pendula illa duo ſimplex & compoſitum eſſe iſochrona; atque adeo ſumta OS = EN, punctum S fore centrum turbinationis. Q.E.D.

Propoſitio II.

Dato Pendulo turbinante compoſito ex ponderibus non in communi turbinationis plano, ſed vel in alio vel in aliis diverſis planis inhærentibus; demiſſisque rectis perpendicularibus ad commune planum turbinationis ex ponderibus; ſi pondera ſingula ducantur in diſtantias ſuarum perpendicularium ab axe turbinationis & porro in altitudines ſuperficierum conicarum, quas rectæ a ponderibus ad verticem turbinationis eductæ deſcribunt; Deinde ſumma productorum dividatur per id quod fit ducendo ponderum ſummam in diſtantiam centri gravitatis communis omnium ab axe turbinationis, habebitur diſtantia centri turbinationis ſeu longitudo penduli ſimplicis circuitus minimos iisdem cum compoſito temporibus facientis, ſive altitudo ſuperficiei conicæ, quam pendulum quodlibet ſimplex deſcribens pendulo dato compoſito erit iſochronum.

Hujus Propoſitionis veritas patet ex reſolutione virium centrifugarum & ex earum proportione; cum enim illæ ſe habeant per jam citatum Theorema I Hugenii ut pondera (quorum rurſus nulla magnitudo conſideratur) in ſuas diſtantias ab axe turbinationis ducta, reſolvantur hæ vires in perpendiculares ad planum turbinationis & in rectas quæ harum perpendicularium diſtantias ab axe exprimunt; manifeſtum eſt vires centrifugas, quæ hoc modo ſecundum perpendiculares agunt in planum turbinationis ab una parte æquales eſſe illis quæ a parte oppoſita agunt in idem planum, quoniam producta ponderum in perpendiculares illas ſimul virium centrifugarum actiones ſecundum perpendiculares & ponderum momenta denotant ex definitione plani turbinationis: Exiſtente itaque actione & reactione æquali ab utroque latere plani, deſtruunt ſe mutuo vires centrifugæ ſecundum perpendiculares agentes, reſtantque ſolæ quæ ſecundum harum perpendicularium diſtantias ab axe ſe exerunt, & quidem in ipſa iſtarum diſtantiarum ratione. Ex quibus conſtat Pendulum iisdem viribus agere in Lineam centri inter turbinandum ac ſi

pon-

pondera collocata essent in punctis plani turbinationis in quæ incidunt perpendiculares ex ponderibus in planum demissæ; vocentur autem puncta illa *puncta projecta:* Unde jam habemus Pendulum secundum tenorem propositionis præcedentis, cujus centrum turbinationis se habet ut in ipsa propositione determinatur. Q.E.D.

Coroll. Hinc liquet quomodo Pendulum compositum turbinans, cujus pondera non sunt in eodem turbinationis plano, per projectionem reducatur ad aliud isochronum habens omnia sua pondera in communi plano turbinationis: si nimirum pondera admoveantur in puncta projecta.

Propositio III.

Datis Pendulis turbinantibus qualia supposuimus in prop. I & II, sed quorum pondera sint æqualia: Si vel ponderum (in casu prop. I.) distantiæ ab axe turbinationis; vel punctorum projectorum (in casu prop. II.) ducantur in altitudines superficierum conicarum quas rectæ a ponderibus ad verticem turbinationis eductæ describunt; deinde summa productorum dividatur per distantiam centri gravitatis communis ab eodem turbinationis axe, multiplicem secundum ipsorum ponderum numerum, orietur distantia centri turbinationis seu quod idem est altitudo superficiei conicæ quam pendulum quodlibet simplex describens pendulo dato composito erit isochronum.

Sint itaque pondera omnia inter se æqualia, sed magnitudinis minimæ, & singula dicantur a: Eorum vero distantiæ ab axe turbinationis in casu Propos. I. vel distantiæ ab eodem punctorum projectorum in casu Propos. II. sint ut ante f, g, h; altitudines superficierum conicarum per rectas ex vertice turbinationis eductas ad pondera descriptarum sint iterum k, l, m; Erit per Propositiones præcedentes longitudo Penduli simplicis isochroni gyros minimos facientis $= \frac{afk + agl + ahm}{ap + ap + ap} =$ $\frac{fk + gl + hm}{3p}$. Quo significatur summa productorum ex ponderum vel punctorum projectorum distantiis ab axe turbinationis in altitudines superficierum conicarum, applicata vel divisa per distantiam centri gravitatis communis ab eodem

turbinationis axe multiplicem secundum ipsorum ponderum numerum. Q. E. D.

Propositio IV.

TAB. V. Fig. 3. *Sit OS (Fig. 3.) axis & OST planum turbinationis, in quo hæreant sive per se sive per projectionem varia pondera A, B, C, aliaque totidem M, N, P, prioribus respective æqualia & tam ab axe OS quam a quadam perpendiculari ST æqualiter hinc inde remota; Hoc est si $A = M$, $B = N$, $C = P$, & rectæ conjungentes AM, BN, CP, sint parallelæ axi OS, & bisecentur ab ST perpendiculari ad axem OS in punctis R, V, Y; dico S fore centrum turbinationis totius systematis ponderum A, B, C, M, N, P, turbinantis circa axem OS & habentis verticem turbinationis in quocunque puncto O rectæ OS.*

Esto enim X centrum commune gravitatis ponderum A, B, C, M, N, P, quod utique erit in recta ST: Jam quia OS est media arithmetica inter OF & OI, inter OG & OK, inter OH & OL erit $A \times FA \times OF + M \times IM \times OI = 2A \times SR \times OS$, ut & $B \times GB \times OG + N \times KN \times OK = 2B \times SV \times OS$, item $C \times HC \times OH + P \times LP \times OL = 2C \times SY \times OS$; quare $A \times FA \times OF + B \times GB \times OG + C \times HC \times OH + M \times IM \times OI + N \times KN \times OK + P \times LP \times OL = 2OS \times \overline{A \times SR + B \times SV + C \times SY} = 2\,OS \times SX \times \overline{A + B + C} = OS \times SX \times \overline{A + B + C + M + N + P}$, quod divisum per $SX \times \overline{A + B + C + M + N + P}$ dabit OS, quæ per Prop. I. erit longitudo Penduli simplicis facientis gyros minimos & isochronos turbinationibus A, B, C, M, N, P, seu altitudo superficiei conicæ quam quodlibet aliud Pendulum simplex eidem systemati isochronum turbinando describere debet.

Fig. 4. *Coroll.* Hinc magnitudo quælibet ABC (Fig. 4.) sive sit Linea sive superficies sive solidum, turbinans circa axem OS, si a recta vel plano quopiam horizontali SB dividatur in duas partes ABD, CBD æquales & similes similiterque positas respectu SB ut & ipsius axis OS. Erit S centrum turbinationis ex quocunque axis puncto O magnitudo ABC suspendatur.

Liquet

Liquet hujus Corollarii veritas, si magnitudinis semisses cogitatu dividantur in particulas minimas; Quælibet enim earum E quæ in una medietate ABD existit habet sibi comparem G in altera medietate CBD: Hæ vero duæ particulæ ut & singula reliquarum particularum paria in planum turbinationis projecta habebunt conditionem Propositionis præc. ergo omnium particularum hoc est totius magnitudinis ABC centrum turbinationis est in S. Q.E.D.

Propositio V.

Dato Pendulo turbinante composito ex punctis ponderosis quotlibet, hoc est ex ponderibus æqualibus nullius magnitudinis in communi Plano turbinationis sive per se sive per projectionem existentibus. Dico centrum turbinationis esse idem quod est centrum commune gravitatis omnium peripheriarum a punctis illis turbinando descriptarum.

Patet hoc ex Mechanicis: Nam altitudo centri gravitatis peripheriarum illarum habetur, si singulæ peripheriæ ducantur in suorum centrorum altitudines seu distantias a vertice turbinationis, atque summa productorum applicetur ad summam ipsarum peripheriarum; hoc enim facto orietur communis centri gravitatis peripheriarum distantia a vertice turbinationis. Verum cum peripheriæ sint ut radii hoc est ut distantiæ punctorum ab axe turbinationis, poterunt hæ in dividendo & in divisore substitui pro peripheriis, & ita altitudo centri gravitatis peripheriarum erit = (retentis literis adhibitis in propos. III.)

$$\frac{fk + gl + hm}{f + g + h} = \frac{fk + gl + hm}{3p}.$$ Quare constat propositum.

Propositio VI.

Figura plana vel Linea qualibet in planum turbinans habet centrum turbinationis in ipso centro gravitatis solidi rotundi vel superficiei rotundæ a figura plana vel a Linea inter turbinandum descriptæ.

Fluit ex præcedente: Intelligatur enim Figura vel Linea divisa in particulas minimas æquales, quarum singulæ per tur-

bina-

binationem deſcribent peripherias cum craſſitudine vel latitudine infinite parva, ex quibus omnibus conflatur rotundum ipſum a Figura vel Linea turbinando genitum: unde patet propoſitum ad caſum præced. redactum.

Coroll. Hinc ſi Pendulum compoſitum vel quæcunque magnitudo turbinans aliter atque aliter ſuſpendatur a punctis quæ in eodem accipiuntur axe turbinationis modo pendulum vel magnitudo eundem ſitum ſervet in plano turbinationis; erit centrum turbinationis in eodem ſemper loco.

Hoc utique manifeſtum eſt ex permanentia centri gravitatis communis peripheriarum a punctis projectis deſcriptarum.

Scholium.

Ope propoſitionis hujus ſextæ determinantur facillime centra turbinationis figurarum planarum & Linearum quarumlibet in planum turbinantium: Reliquarum vero in latus turbinantium aliarumque figurarum ſolidarum centra turbinationis innoteſcent beneficio propoſitionis tertiæ. Si nimirum Figura propoſita turbinans reſolvatur cogitatione in particulas minimas æquales, quarum omnium in planum turbinationis projectarum diſtantiæ ab axe, multiplicatæ per altitudines ſuperficierum conicarum quas rectæ a particulis ad verticem turbinationis eductæ deſcribunt, dabunt ſummam dividendam per centri gravitatis figuræ diſtantiam ab axe turbinationis multiplicatam per ipſam figuram; ex qua diviſione emerget altitudo centri turbinationis.

Vel quia particulæ magnitudinis turbinantis per projectionem efformant in plano turbinationis novam figuram planam ſed cujus puncta cenſenda ſunt inæqualibus ponduſculis onerata, quæ ponduſcula ſe habent in ratione multitudinis particularum eidem puncto projectionis reſpondentium; Erit etiam heic centrum turbinationis in magnitudine turbinante idem quod centrum commune gravitatis ſolidi rotundi a figura projectionis geniti, ſuppoſito nempe ſolidum hoc genitum non uniformi gravitate ſpecifica eſſe præditum, ſed gravitatem in ſingulis partibus ita variare, ut peripheria vel potius annulus a quolibet puncto vel particula figuræ projectionis turbinando deſcri-

ptus

ptus intelligatur esse ex materia gravitatis specificæ quæ sit proportionalis multitudini particularum magnitudinis, turbinantis eidem puncto vel particulæ in figura projectionis respondentium.

Quandoquidem igitur quicquid est negotii in Determinatione centri turbinationis, illud reduxerimus ad inventionem centri gravitatis rotundorum, hoc autem ope vulgarium regularum dudum in potestate habeatur, quorsum inprimis faciunt quæ a Guldino tradita extant; in exemplis deducendis variarum linearum, superficierum, ac solidarum diversis modis turbinantium jam tempus terere non lubet; calculo tantum pro his opus est: methodum invenisse, eamque indicasse hac vice sufficiat.

REGULA NOVA INVENIENDI LOGARITHmum Summæ vel differentiæ duorum numerorum sive rationalium, sive irrationalium, tam integrorum, quam fractorum, itemque potentiarum eorundem sive similium, sive dissimilium, reperta a CHRISTIANO WOLFIO.

SÆpius in praxi utilissimum existit, ut inveniatur logarithmus summæ vel differentiæ duorum numerorum, quorum logarithmi dantur, sive numeri ipsi fuerint noti, sive minus. Enimvero hactenus desideratur regula, qua id commode præstari possit. Equidem non ignoro, *Josephum Muschelium* de *Moschau* in Ephemeridibus Academiæ Leopoldinæ Dec. III A. IV p. 102 & seqq. aliquam dedisse; sed cum fundamentum ejus non satis obvium sit, difficulter memoria retinetur, nec commoda videtur, quæ in usum communem recipiatur. Ast regula a me inventa, cum simplicissimis & maxime communibus Trigonometriæ principiis nitatur, in posterum elementis Trigonometriæ planæ adscribi poterit. E re igitur esse duxi, ut eandem publici juris facerem. Ceterum non inconsultum puto hic monuisse, me primum ex ipsa numerorum indole regulam aliquam hunc in finem investigasse. Scilicet cum viderem in regula *Ke-*

 pleriana,

pleriana, qua in calculo eclipsium utuntur Astronomi, logarithmum differentiæ duorum quadratorum [$a^2 - b^2$] inveniri considerando radicem ejus tanquam mediam proportionalem inter $a+b$ & $a-b$; Summæ duorum numerorum $a+b$ itemque differentiæ $a-b$ radicem considerabam instar mediæ proportionalis inter a & numerum quendam incognitum quem vocabam x. Erat igitur $a : \sqrt{(a \mp b)} = \sqrt{(a \mp b)} : x$, consequenter $ax = a \mp b$ adeoque $x = 1 \mp b : a$. Unde intelligebam, si logarithmus numeri a a logarithmo ipsius b subtrahatur, residuum fore logarithmum ipsius $b : a$. Huic si respondens numerus in Canone evolvatur & unitati vel addatur, vel ab ea subtrahatur, prodituram numerum $1 \mp b : a$. Quodsi tandem logarithmo hujus numeri $1 \mp b : a$ e Canone excerpto addatur logarithmus ipsius a; nos habituros logarithmum summæ vel differentiæ numerorum a & b. Hanc regulam cum ad praxin transferrem, deprehendi nonnisi rarissime (nempe si a metiatur b) logarithmum quotientis a per b divisi in Canone exacte reperiri, etiamsi is non excedat numeros, quorum logarithmi in eodem exhibentur, adeoque utendum esse parte proportionali: quod adeo tædiosum fore suspicabar, ut in praxi parum utilem crederem, quamdiu numerorum prægrandium logarithmi in Canone non extant. Ea itaque rejecta, de altera cogitare cœpi, quam nunc proponere visum est, ubi monuero, me ex litteris Celeberrimi *Hermanni* didicisse, quod in priorem regulam, quæ mihi inutilis visa fuerat, jam multo ante inciderit, eademque privatos in usus hactenus asservata in ipsis sinuum quadratis & cubis non sine successu usus fuerit.

TAB. V. Fig. 5. Sint duo numeri quicunque a & b; quæratur primo logarithmus summæ eorundem $a+b$. Concipiamus in triangulo rectangulo ABC esse $AB = \sqrt{a}$ & $BC = \sqrt{b}$, erit per notissimum *Pythagoræ* theorema $AC = \sqrt{(a+b)}$. Jam cum logarithmus ipsius AB seu $\sqrt{a}$ sit dimidius logarithmus numeri a & logarithmus ipsius BC seu $\sqrt{b}$ dimidius logarithmus numeri b; sit vero ut AB ad BC ita sinus totus ad tangentem anguli A: datis logarithmis numerorum a & b, invenitur logarithmus tangentis anguli A, quo in Canone triangulorum artificiali evoluto, habetur

habetur logarithmus sinus anguli A. Unde porro inferatur: ut logarithmus sinus anguli A ad latus BC seu dimidium logarithmum numeri b, ita logarithmus sinus totius ad logarithmum lateris AC seu $\surd(a+b)$. Ejus adeo duplus est logarithmus summæ numerorum $a+b$ quæsitus. Quodsi Canon *Vlacci* ad dena scrupula secunda constructus fuerit ad manus, raro utendum est parte proportionali, si logarithmo tangentis anguli A invento quæritur respondens sinus, aut ubi eadem utendum fuerit, ut anguli A quantitas in scrupulis secundis exacte innotescat, tum quia logarithmorum, inter quos cadit inventus, differentia in ipso Canone exhibetur, tum quia eadem in paucis notis consistit, tum denique quod nonnisi per 10 multiplicanda, vel dividenda. Si logarithmus quæratur summæ dignitatum quarumcunque numerorum $a^m + b^n$; pono latus $AB = \surd a^m$ & $BC = \surd b^n$, hoc est, facto logarithmo lateris $AB = \frac{m}{2}\, la$ & logarithmo lateris $BC = \frac{m}{2}\, lb$ (nempe logarithmus numeri multiplicatur per exponentem dignitatis & factum dividitur bifariam) reliqua fiunt ut ante. Si a & b fuerint numeri fracti, evidens est pro logarithmis laterum AB & BC assumi debere dimidias differentias logarithmorum Denominatorum a logarithmis Numeratorum.

Sit jam porro quærendus logarithmus differentiæ duorum numerorum $a-b$. Concipiamus in triangulo rectangulo ABC esse hypothenusam $AC = \surd a$ & crus unum $AB = \surd b$; erit per *Pythagoræ* theorema $BC = (\surd a - b)$. Inferatur vi trigonometriæ: ut AC ad sinum totum ita BA ad sinum anguli C. Quodsi logarithmus sinus C in Canone evolvatur; habebitur quoque ejus cosinus, nempe sinus anguli A. Fiat itaque porro: ut sinus totus ad AC ita sinus anguli A ad latus BC: erit duplus logarithmus ipsius BC logarithmus differentiæ numerorum $a-b$. Si logarithmus differentiæ dignitatum aut numerorum fractorum quæratur; eadem notanda sunt, quæ paulo ante monuimus.

E. gr. quæratur logarithmus summæ ex cubis numerorum 3 & 7, hoc est, sit $a = 3$ & $b = 7$, quæratur $l(a^3 + b^3$

$la = 0.4771212547$ | $lb = 0.8450980400$

×3 | ×3

erit $la^3 = 1.4313637641$ | $lb^3 = 2.5352941200$

÷2 | ÷2

$l\sqrt{a^3} = 0.7156818821 = lBA$ | $l\sqrt{a^3}\, 1.2676470600 = lBC$

Inferatur:

Log. AB 0.7156818821
CB 1.2676470600
Sin. tot. 10.0000000000

Log. Tang. A 10.5519651779

Log. Sin. A 9.9835463769
CB 1.2676470600
Sin. tot. 10.0000000000

Log. BC 1.2841006831

×2

Log. $a^3 + b^3$ 2.5682013662

Quodsi tres ultimas notas rejicias &, quia dimidium superant, ultimæ earum quæ retinentur, unitatem adjicias; prodibit logarithmus summæ ex cubis numerorum 3 & 7 seu numeri 370, 2.5682014, qui a logarithmo ejusdem numeri in Canone vulgari 2.5682017 nonnisi in nota ultima dissidet, quamvis pars proportionalis in sinus A logarithmo fuerit neglecta & angulorum A atque B differentia haud quaquam exigua existat.

Hac ratione inveniri potest summa vel differentia duorum numerorum irrationalium in numeris rationalibus prope veris: quodsi enim logarithmus summæ vel differentiæ fuerit repertus, ipsa summa vel differentia ope Canonis eruetur prope vera.

Per nostram regulam quoque ope logarithmorum resolvi possunt æquationes quadraticæ affectæ. Fiat nempe trianguli rectanguli ABC crus AB æquale dimidiæ quantitati cognitæ secundi termini & alterum BC æquale radici termini tertii, & hypothenusæ AC inventæ addatur dimidia quantitas secundi termini si fuerit $x^2 - px - q = 0$, vel dematur, si fuerit $x^2 + px - q = 0$. Quodsi vero fuerit $x^2 - px + q = 0$, fiat AC dimidiæ quantitati cognitæ secundi termini æqualis & crus unum AB radici termini tertii, atque cruri BC invento addatur quantitas dimidia cognita secundi termini, vel illud ab hoc auferatur.

ECLI-

ECLIPSIS SOLIS ANNO M DCC XV DIE 3 Maji ante meridiem observata Vratislaviæ in Academia Leopoldina Soc. Jesu, quantum nubes subinde intervenientes patiebantur, a summe Reverendo P. CHRISTOPHORO HEINRICH, Soc. Jesu & Theolog. & Mathem. Professore, excerpta ex litteris ad Cl. WOLFIUM datis.

Obscurationis digiti	horæ	minuta	secunda
3	9	50	29
5		59	50
6	10	5	19
10		33	46
9		55	31
6½	11	11	40
6		15	44
5½		19	16
5		22	9
4		28	46
3		34	31
2½		38	11

TEmpus annotatum est juxta horologium cum Sole concordatum, instructum pendulo, singulis vibrationibus unum secundum designante. Quantitas obscurationis innotuit ex disco Solis per tubum 4 pedum, vitro objectivo & lente oculari instructum, in planum candidum atque ad axem radii perpendiculare projecto, in digitos ac semidigitos & sexaginta cujuslibet digiti minuta diviso. Nec initium, nec finis videri potuit. Maximæ obscurationis quantitas, quousque durante nubium intervallo innotescere potuit, fuit 10 digitorum, 18 minutorum. Diameter lunaris umbræ (quemadmodum ex ampliatis variorum circulorum segmentis colligi potuit) superavit Solis diametrum hujus minutis 34 minimum: nam adhuc majorem ostenderunt duæ annotationes accurate consentientes factæ per tria puncta in extremitatibus umbræ designata. Post immersionem sex circiter digitorum, lunaris umbra accepit limbum te-

nuem crocei coloris eundemque retinuit usque ad similem emersionis quantitatem, cum de reliquo sine ullo colore adscititio terminaretur. Medium eclipseos, si differentia temporis, sex digitorum incrementi & decrementi dimidietur, accidisse colligitur circa hor. 10 min. 40.

Ex litteris Cl. *Wolfii* habemus, quod toto eclipseos tempore Halæ post nubes Sol delituerit, ita ut eclipsis observari non potuerit. Per intervalla quidem Sol instar Lunæ deficientis per nubes transparuit, ita ut nudo oculo pars eclipsata a lucida distingui potuerit, nihil tamen circa quantitatem accurate definire licuit. Quod si judicio oculorum in istiusmodi circumstantiis facile fallaci fidere liceat; vix digitus unus in maxima obscuratione lucidus superfuit, etsi calculus unum cum dimidio superfuturum prædiceret. Decrementum luminis in magna cœli nubili obscuritate vix ac ne vix quidem perceptibile fuit: in thermometro vero sensibili satis intervallo liquor depressus.

JO. ALBERTI FABRICII SS. THEOL. D. Prof. P. Bibliotheca Græca

Volumen VII.

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1715, 4.
Alph. 4 plag. 8.

NOvo jam locupletatur volumine præstantissimum opus Celeb. Autoris, idque ad Scriptores Ecclesiasticos Seculi IV potissimum & V, Grammaticos Græcos & Poetas Christianos, tum vero Heresiologos & Græcas in S. Scripturam Catenas pertinet. Inseruntur hinc inde varia ἀνέκδοτα cum Latina versione tum interdum etiam notis instructa. Caput VII a quo hoc volumen incipit, destinatur Grammaticis Græcis, inter quos primum tuetur locum *Apollonius Dyscolus*, cujus scripta edita, inedita ac deperdita recensentur, subjecto Indice scriptorum, qui in ejus Historia Commentitia & 4 libris Syntaxeos allegantur. Sequitur eum *Herodianus*, Apollonii filius, quem cum *Herodiano*, Historico, de quo eadem occasione agitur, a *Gesnero* in Biblioth. & *Sigonio* in Judicio de Historiis Romanis perperam confundi

fundi ostenditur p. 11 sq. Recensetur proxime p. 13 sq. Collectio Grammaticorum Græcorum ab Aldo Manutio edita, hinc *Hephestion* Alexandrinus, cum *ὁμωνύμοις* aliis & indice script orum in Enchiridio ejus additis scholiis laudatorum. Eum excipit *Dionysius Thrax*, cujus Grammatica, una omnino plagula constans, Græce nunc primum ex Codice Holsteniano, in Bibliotheca Hamburgensi Publica obvio, editur, enarratis antea variorum, quæ ibidem leguntur, diffusis in eandem scholiis. In calce Grammatici alii tum editi, tum inediti & dep erditi, secundum literarum ordinem enarrantur p. 48 usque ad p. 76. Cap. VIII *Julianus* Imperator occupat, ita ut post vitam strictim delineatam scripta tum edita tum deperdita cognoscantur; ex quibus tres epistolæ una cum Supplemento epistolæ LVIII, quas Cl. *Ludovicus Anton. Muratorius* in Anecdotis Græcis p. 326 sq. primum ex MS. protulit, cum Latina versione repetuntur. In fine legitur accurata designatio scriptorum quingentorum circiter, qui veram Religionem adversus Atheos, Deistas, seu Naturalistas, Idololatras, Judæos & Mahumedanos asseruerunt, quorum Scriptorum nomina sub finem Catalogi secundum literarum ordinem disposita leguntur. Seriem hanc nova ejusmodi Scriptorum Centuria locupletari a se potuisse, si per typographum festinantem licuisset, diligentissimus Autor in præfatione profitetur. Cap. IX primo exhibet a p. 145 ad 378 varias Libanii Orationes, nempe I *de ulciscenda Juliani Imp. nece* p. 145, II *ad eos, qui molestum eum appellabant* p. 179, III *ad Antiochenos de Imperatoris ira* p. 207, & IV *Parentalem in Julianum* p. 223, cum eruditissimi *Godofredi Olearii* Latina versione & notis, qui tres priores ex MS. Barocciano descripsit, ultimam vero a *Morello* mutile editam tum supplevit, (quod & in calce Centuriæ epistolarum Libanii a Joh. Christoph. Wolfio editæ factum erat) tum accuratiore versione donavit. Cap. X *Libanii* Sophistæ scriptis recensendis impenditur, ibidemque p. 347 tres epistolæ Libanii huc dum ineditæ Græce cum Latina versione Cl. Autoris nostri exhibentur; tandem vero p. 402 Index occurrit eorum alphabeticus, ad quos datæ sunt editæ & ineditæ Libanii epistolæ, circa quas posteriores ex Dedicatione hujus Voluminis observandum

vandum hic eſt, quod Illuſtris *Fridericus Roſtgaard* egregium theſaurum epiſtolarum Libanii ἀνεκδότων V. C. *Joanni Grammio*, Profeſſori Gr. L. Hafnienſi in lucem proferendum commiſerit. Cap. XI *Epiphanium* cum ὁμωνύμοις memorat p. 414 ſqq. & *Theodoritum* p. 439, tum *Leontium* cum ὁμωνύμοις p. 451, & *Euthymium Zigabenum*, cujus Panoplia Tergobyſti in Walachia an. 1710 Græce primum edita, p. 460 diligenter recenſetur, enumeratis in fine illis, ex quibus eadem ab Autore collecta fuit. *Euthymii* alii appellantur p. 475. Hinc ex JOSEPHI, Chriſtiani Scriptoris inediti, ὑπομνηστικῷ capita de Hæreſibus exhibentur p. 476, quibus ſimilia ex *Stephano* Diacono CPolit. p. 478, *Anaſtaſio* Sinaita p. 479 & *Sophronio* Hieroſol. p. 483 adduntur. Agmen in hoc capite claudit *Timotheus* Presbyter p. 491. Cap. XII in *Macario* utroque Alexandr. elaborat, p. 492 ac deinceps *Macarios* 50 & amplius p. 459 ſubjungit. Illis a latere eſt *Amphilochius* Iconienſis p. 500 & alii cognomines p. 507. Cap. XIII *Gregorium Nazianzenum* repræſentat p. 507 cum Indice eorum ad quos epiſtolas dedit p. 522, & ſerie alphabetica Carminum Nazianzeni, quorum ſingulis prima verba adſcribuntur. Iungitur ei *Cæſarius* frater p. 542. Cap. XIV *Cyrillus* Hieroſolymitanus p. 543, *Nemeſius* p. 549 & Græca epitome Scriptorum quorundam *Joh. Caſſiani* p. 551 ſibi vindicant. Cap. XV diligentiſſime defungitur recenſione Scriptorum *Joannis Chryſoſtomi* p. 553 ſqq. ubi primo Scriptores vitæ ejus Græci recenſentur p. 555 & alii p. 559, deinde optimo conſilio Index alphabeticus Homiliarum & tractatuum Chryſoſtomi, adſcriptis primis ſingulorum verbis, & editionis Ducæanæ ac Savilianæ paginis, p. 560, & ſimilis epiſtolarum p. 633 repræſentatur. Hac enim ratione & differentia utriusque editionis, quæ non exigua eſt, rectius perſpicitur, & eorum inprimis conſulitur commodis, qui ſcire avent, quæ vel Orationes vel Epiſtolæ Chryſoſtomi lucem hucdum adſpexerint, quæve minus. Cap. XVI de *Apollinari* Alex. & *Laodiceno* filio disquiritur p. 658, ut & de aliis *Apollinaribus* p. 660. Hac occaſione diligenter enarrantur Metaphraſes Poeticæ Pſalmorum Græcæ p. 652, Latinæ p. 675 & aliis linguis factæ p. 677. Poſtea in ſcenam prodeunt *Nonnus Panopolita* p. 682.

Jo. Ga-

Jo. Gazæus p. 689, *Nonnus Monachus*, qui in Nazianzeni Steliteuticas ſcripſit p. 690, *Georgius Piſides* p. 691, *Emanuel Phile* p. 695, cujus elegans poema de Elephante una cum aliis quibusdam hucdum ineditis p. 699. ſeqq. Græce exhibetur. *Joannes Geometra* p. 715, *Joannes Mauropus*, Metropolita Euchaitenſis, p. 718, & alii Poetæ Græci Chriſtiani p. 720, Corpora denique Poetarum Græcorum p. 723 ſeq. excutiuntur. Cap. XVII Catenæ Patrum Græcorum in ſingulos ſacræ Scripturæ libros una cum catalogis ſcriptorum in iisdem allegatorum conſueta induſtria recenſentur. Ultimo loco eruditiſſimo Viro ampliſſimas ingenii corporisque vires ex animo apprecamur, ut, quæ reſtant Operis egregii Volumina, ea in publicum egregio literarum emolumento perducere poſſit.

JO. CHRISTOPHORI WOLFII, PROF. P. Lingu. Orient. Bibliotheca Hebræa ſive Notitia tum Autorum Hebr. cujuscunque ætatis, tum ſcriptorum, quæ vel Hebraice primum exarata vel ab aliis converſa ſunt, ad noſtram ætatem deducta.

Hamb. & Lipſ. impenſis Chriſt. Liebezeit, 1715, 4.
Alph. 6 plag. 20.

QUod multi promiſerunt, exſpectarunt plures, id præſtare nunc aggreſſus eſt V. C. *Jo. Chriſtophorus Wolfius*, edita Bibliotheca Hebræa. Quamvis enim in eodem negotio olim complures nunc obiter, nunc data opera, nominatim *Buxtorfius*, *Plantavitius*, *Hottingerus* & *Bartoloccius*, ac ex Hebræis R. *Schabbatæus ben Joſeph* Strimenſis in שפתי ישנים ſive *Labiis Dormientium*, libro Hebraice exarato, verſati ſint, eorum tamen labores & ob raritatem in paucorum erant manibus, & præterea tum emendandi, tum ſupplendi materiam ampliſſimam reliquerant, præcipue cum intra quadraginta circiter annos de recenſione Scriptorum Hebræorum ab eruditis, ſi forte B. Groddeckii *Spicilegium Anonymorum & Pſeudonymorum*, Theatro Placciano inſertum, exceperis, cogitatum non eſſet. Conſultum igitur putavit Cl. Autor, partim ea, quæ in memoratis libris, ac præcipue voluminoſo Bartoloccii opere copioſius dicta erant, in

compendium referre, partim limam illis adhibere, partim omissa suis inserere locis, & inprimis notitiam Scriptorum Hebræorum nostræ memoriæ ceteris superaddere. Ordinem alphabeticum Bartoloccii exemplo sequendum censuit Autor, eumque prætulit partim ordini temporis, quem observarunt veteres Hebræorum Chronologi, *Abraham Sacutus* in libro *Juchasin*, R. *Gedalius* in *Schalschelet Hakkabbala*, seu *Catena traditionis*, & *Ganzius* in *Zemach David*, partim ordini librorum secundum titulos dispositorum, qui se probavit olim *Buxtorfiis* & *Schabbatæo*, partim ordini rerum, secundum quem sua observata disposuit *Hottingerus*. Ex ipsa tractatione apparet, Cl. Autorem in illorum, quos diximus, inventis adeo non acquievisse, ut potius ipsos fontes adierit, & libros recensendos denuo inspexerit, ut hac ratione diversas de eodem libro sententias nunc inter se conferre, nunc conciliare, nunc vero, falsis vel dubiis rejectis, veram ad liquidum deducere posset. Atque huic instituto exsequendo præter alias Christianorum æque ac Judæorum Bibliothecas eam, quæ R. *Davidis Oppenheimeri*, Archi-Synagogi Pragensis, est & Hanoveræ asservatur, usui sibi fuisse memorat, quippe quæ & libros Judæorum editos tantum non omnes, secundum diversas, quæ exstant, editiones, & ingentem MSS. Codicum apparatum comprehendit. Tacemus subsidia alia, & inprimis Catalogos manu exaratos & ab eruditis hinc inde communicatos, de quibus Præfatio exponit. Inter Scriptores, qui recensentur, non solum gente, lingua & religione Judæi occurrunt, sed & ii advocantur, qui vel ex Judæis conversi, vel ortu Christiani, vel ex Christianis ad Judæos dilapsi, quidquam aut Hebraice aut alia lingua exararunt, vel alia lingua scriptum in Hebraicum sermonem converterunt: unde & *Aristotelis*, *Platonis*, *Pythagoræ*, *Averrois* & aliorum ex Græcis aut Arabibus Philosophorum mentio suis locis injicitur. Horum Autorum nomina formis majusculis sive vocalibus exprimuntur, iisque post vitam, ubi opus est, ætatemque & conditionem autoris strictim expositam subjiciuntur librorum tituli typis minoribus, punctis instructi, & si plures sint, partim secundum classes materiarum, partim secundum literarum seriem dispositi. Circa

ea libros operam dedit, ut ubi longius ab argumento discederent, quod plerumque fieri solet, eorum ratio redderetur, præterea vero argumentum ipsum perspicue exprimeretur, recensitis simul diversis, cum interposito judicio, editionibus, & commemoratis, si vel integre vel ex parte conversi exstent, Latinis aut aliis interpretationibus. Et ut de libri conditione eo distinctius judicare posset Lector, ipsam quoque eorum molem frequentissime definito paginarum vel alphabetorum numero, quod hactenus ab omnibus neglectum fuit, delineavit, non omissis Typographorum, ex quorum officinis prodierant, nominibus. Præterea vero γνησιότητα vel νοθείαν Scriptorum hoc diligentius examinavit, quod præcipuum illud est notitiæ literariæ momentum, & nihilominus tamen a Bibliographis Hebræis leviter tractatum. Exemplum vide sub *Jose ben Chelpeta*, ubi de Seder Olam Rabba, *Joseph ben Gorion*, *Schimon ben Jochai* &c. Cumque ὁμωνυμία & Autorum & librorum Hebræorum frequentior crebriorem hallucinandi occasionem tum aliis hujus generis Scriptoribus, tum inprimis Bartoloccio præbuerit, his erroribus tollendis Noster potissimum invigilavit, notatis modeste illis, quorum autoritas alios in erroris societatem pertrahere poterat. Vide v. c. quæ sub *Aarone* fil. *Eliæ*, & *Aarone* filio *Joseph*, crebro inter se confusis, ut & sub *Isaaco Israelita* filio *Joseph*, & *Isaaco Israelita* filio *Salomonis*, itemque sub R. *Lipman* & alias admonentur. Notas quoque addidit Cl. Autor, quæ ut plurimum ad notitiam Scriptorum uberiorem, interdum vero etiam ad antiquitates & ritus Hebræorum referuntur. Atque hæc quidem Pars Operis prior est, quæ Autores Hebræos omnes exhibet, qui non ad Scriptores Biblicos (nisi quibusdam eorum supposita quædam fuerint) vel Mischnicos vel Gemaricos pertinent: hos enim una cum scriptis ἀνωνύμοις Cl. Autor Parti posteriori reservavit. Præmissa est Præfatio diffusior, in qua recensentur illi omnes, qui vel tralatitia vel data opera & ex professo idem argumentum Bibliographicum quod ad Hebræos tractarunt, de quibus singulis judicium meritis cujusque accommodatum subjicitur. Ita & *Bartoloccii* & *Schabtæi* libri diligentius enarrantur p. 6 sqq. Post hos celebrantur illi, qui similis laboris spem

eruditis hucdum fecerunt, nominatim *Christianus Wormius*, *Gustavus Peringerus a Lilienbladt*, *Jo. Fridericus Claunerus*, *Jo. Joach. Schræderus*, *Gabr. Groddeckius*, *Henr. Muhlius*, *Christianus Theophilus Ungerus*, *Georg. Henricus Sappuhnius*, *Adamus Andreas Crollenius*, & *Jo. Meyerus*. In calce p. 21 sq. de Judaica annos secundum Æram majorem & minorem computandi ratione, & de ratione titulorum Hebraicorum quædam ad expeditiorem Bibliothecæ usum pertinentia afferuntur. Hi enim tituli raro ab argumento, utplurimum vero ex dicto aliquo Biblico nunc convenienter rei, nunc minus commode peti, nunc etiam ex Autoris nomine efformari, aut ex numero capitum & librorum, quibus opus absolvitur, desumi dicuntur. Postea de *Nominibus* Judæorum propriis observatur, ea *prænomine* & *cognomine* utplurimum absolvi, quorum posterius plerumque a Parente desumatur, & interdum adjunctum habeat *agnomen*, quod vel gentis sit, vel patriæ, vel loci, in quo Scriptor commoratus sit, vel signi domui, quam incolit, præfixi, vel artis, quam fecit, vel scientiæ, quam inprimis coluit. Solent etiam Judæi nomina sua nunc per transpositionem, nunc per decurtationem, nunc per additionem syllabarum variis modis inflectere, & ad Germanicam quoque linguam accommodare, quæ ratio cum plenissime omnium a R. *Simcha ben Gerson* in libro singulari, quem ספר שמות inscripsit, exposita sit, Noster ea, quæ huc pertinent, in compendium missa post præfationem p. 29 sqq. exhibet. In calce libri post Indicem librorum illorum, quorum argumenta in ipsa Bibliotheca enarrantur, exstat Index librorum Cabbalisticorum MSS. quibus Jo. Picus Mirandulanus usus est, a *Jac. Gaffarello* Paris. 1651. 8 editus, & nunc non tam ob argumenti præstantiam quam ipsius libri raritatem recusus. Gaffarellius inciderat in libros tres MSS. quos olim habuerat Picus, unum R. *Menachem Recanatensis*, alterum R. *Eliezer Kazen*, tertium denique R. *Schem Tov ben Joseph* nomina præ se ferentes. Hos libros esse ex LXX illis, quos ab Esdra exaratos habere se hinc inde testatus est Picus, Gaffarellus sibi persuasit, tam levibus usus argumentis, ut & rem ipsam non reddant verisimilem, & præterea cuiquam occasionem facere pos-

sint

sint dubitandi, num ipse Gaffarellus vere ita statuerit. De qua re fusius Autor in calce præfationis suæ commentatur, ubi etiam evincit, scripta illa nec a Pico *Esdræ* fuisse adscripta, quippe qui ea sub illis nominibus, quæ præ se ferunt, allegare soleat, nec aliis, quam quorum nomina exhibent, vindicanda esse, Gaffarellum autem *Menachemum Recanatensem* & ceteros illos minus recte pro librariis tantum vel exscriptoribus habendos censuisse.

REFLEXIONS DESINTERSSÉES,
h. e.
MEDITATIONES A PARTIUM STUDIO alienæ super R. P. CLEMENTIS XI Constitutione, qua N. T. QUENELLI damnatur.

Amsteloda ni, apud Fratres Chatelain, 1714, 8.
Alph. 1 plag. 4.

AUtor harum observationum, quas literarum forma cum amico communicat, summo Pontifici, de quo liberrime censet, justo infensior, initium facit a communi & vulgari Pontificiæ potestatis & infallibilitatis opinione, qua omnes ac p. 3
singulos ejus decretis cœca obedientia oporteat esse subjectos, aut proscriptos diisque devotos. Hæc fata D. Augustini discipulos subiisse narrat, & dolet, eos tam pertinaciter defendisse 10
Jansenium, ejusque librum. Isto enim certamine tot censuras Episcoporum & condemnationes Pontificum Rom. provocatas esse, quæ haut difficulter evitari potuerint alia incedendo via, 11
inprimis si tegere & munire sese voluissent autoritate Augustini, aut fide Apostoli Pauli, quorum nomina hostes gratiæ multo modestiores facere potuissent. Autor noster invidiam odiumque amoliturus, Jansenium in abysso condemnationis Pontificiæ reliquit, nec Jansenistarum mentionem facit, sed Augustinianorum dumtaxat, quos utrosque tamen eosdem esse opinatur. Probat hodiernum Augustinianorum institutum, quod Pontificis infallibilitatem impugnent, easdemque in eum pronunciari velint diras, quas Concilii VI Patres contra Honorium pro- 12
nunciarint. Clementem quippe XI longe deteriorem esse Joanne XXIII. Hunc ob scelera & vitæ tantum impuritatem

p. 12 exautoratum & de throno dejectum esse; contra vero hodiernum Pontificem, Semi-Pelagianis faventem, universæ Ecclesiæ offendiculum dedisse, dum Evangelia fidelium manibus eripuerit, Deumque spoliarit potestate salvandi eos, quos velit, Apostolos, Petrum, Christum abnegantem, deseruisse, Paulum eundem, rituum Judaicorum necessitatem defensurum, publice graviterque reprehendisse. Idem hodienum licere putat in Pe-
21 tri successorem, si a fide & veritate deficiat. Qua occasione celebrem disciplinæ Ecclesiasticæ conditorem *du Pinium* laudat, & *Harduinum* exagitat, quod Pontifici adulaturus Cepham Gal. II, 9 non Petrum sed unum e LXXII discipulis fuisse contendat, a *Boilavio* singulari Disquisitione refutatus. Noster Pontifices Rom. falli & graviter errare posse ostensurus, ex Hi-
27 storia Eccles. Papam producit Montanistam, qui, teste Tertulliano, novas Montani prophetias approbavit, & Liberium
29 Pontificem Arianum, qui non tantum Athanasii damnationi, sed & hæreticæ fidei formulæ subscripsit, nec non Zosimum, qui
3 Cælestii hæretici libellum Catholicum esse pronunciavit, eumque, datis ad Africanos literis, comprobavit, Augustino teste,
32 negans peccatum originale. His exemplis conficit, & docet,
33 Pontifices Romanos a fide majorum deficere posse, & Antistites Gallicanos imitari debere Episcopos Africæ, qui in Zosimi voluntate nequaquam acquieverint, sed coacto concilio & re de-
33 liberata, Pontificem erroris admissi admonuerint. Eodem jure & judicandi libertate gaudere Ecclesiam Gallicanam, quæ illud jus sæpe exercuerit, quando Synodos Nationales indixit, & ortas controversias in doctrina consopivit. Provocat Autor ad Synodum Arausiacam secundam anno Ch. D XXIX in Gallia celebratam, qua Episcopi Gallicani, præside Cæsario Arelaten-
35 si, contra Fausti, & Massiliensium hæresin, iis in locis grassatam, divinæ gratiæ efficaciam & necessitatem asseruerunt, conditis XXV canonibus, quorum ab illo tempore magna fuit autoritas in Ecclesia, quamvis a Pontifice Rom. non essent confir-
37 mati. Eandem doctrinam paullo post in Concilio Valentino,
38 ab eodem Cæsario indicto, contra Semi-Pelagianorum exceptiones valide vindicatam esse. Plura exempla ex Hist. Ecclesiastica as-

ea affert Autor ad probandam Ecclesiæ Gallicanæ libertatem; sed nihil ejusmodi a Parisiensi Episcoporum conventu exspectari posse hariolatur. Plerosque enim in Jesuitarum Scholis in- p. 65. 77
stitutos, gratiam efficacem aversari: alios fortunæ cessuros, & suæ salutis atque honoris rationem habituros esse. Interea Augustinianos, qui & docti sint & numerosi, & saniorem doctrinam hactenus defenderint, bonam causam deserere & tacere non posse inculcans, diversa media, quibus dissensio tolli possit, examinat. Primum remedium Gallicano Clero a Theologo 66
quodam sub initium superioris anni commendatum, de Clemente XI damnando hæreseos, & exaugurando, nimis violentum Nostro videtur, etsi res exemplis non careat. Nec plus spei habet in Concilio Oecumenico, quod ob insuperabiles difficul- 70. 76
tates convocari vix possit, etsi summe necessarium esse videa- 73
tur. Majori utilitate veterum Pontificum decreta Constitutioni 78. 79
Clementis XI opponi posse putat, quippe qui Rhetoricam melius didicerit, quam Theologiam. In traditione nihil præsidii 91. 139
esse, quippe quæ in hoc argumento prorsus deficiat. Nam Do- 93
ctores Græcos plerosque a Semi-Pelagianismo parum abesse, & 94. 96
hanc ob causam ab Augustinianis perraro allegari, a Molinistis autem crebro laudari & Patribus Latinis opponi. Imo affir- 103
mare audet Autor, ab Augustini & Vincentii Lirinensis tempore duas semper fuisse in Ecclesia Doctorum partes, quorum hi liberi arbitrii integritatem, illi autem gratiæ efficaciam & gratuitam Prædestinationem defenderit. Unicum optimumque 105
litis componendæ medium esse censet autoritatem Apostoli Pauli, qua Molinistæ facile in angustias pelli, & fulmina Pontifi- 110
cis averti possint. Propterea reprehendit gratiæ efficacis defensores, quod in disputationis æstu per integrum seculum nil magis in ore habuerint, quam Thomæ Aquinatis, Jansenii & Au- 111
gustini nomina, neglecto fere Apostoli Pauli suffragio. Hunc errorem nunc vult corrigi, citando dissentientes ad Pauli tribunal, quod ipse Pontifex nequeat recusare. Ex Epistolis igitur 113
Paulinis probat, quinque Propositiones, quas autor pro Jansenianis illis substituit, a Pontifice damnatas, divinæ esse autoritatis.

p.148 tatis. Ad prohibitam lectionem Scripturæ delatus, rationes il-
156.157 lius prohibitionis examinat, & incommoda inde metuenda e-
159 narrat. Acerbe exagitat sententiam Pontificis, quod injustam
170 etiam excommunicationem metuendam esse præcepit. Noster
autem de excommunicatione in Veteri Ecclesia usitata, & Ec-
182 clesiarum communione inter se, quædam præfatus, negat cen-
suram injustam extimescendam, aut propter illam sanam do-
ctrinam deserendam esse. Talem vero Clementis XI excom-
municationem esse, cum ex doctrinæ sanioris proscriptione, tum
189 ex circumstantiis evidenter patere putat. Formulam enim
190 censuræ generalem, vagam & indeterminatam esse, & minus
sontes ac innocentes æque ferire, ac sceleratissimos. Indi-
gnabundus quærit, an S. Evangelia legere, & Quenelli Novum
191 Test. XL annos impune lectum, penes se retinere, tanta sint cri-
199 mina, quæ diris & execratione vindicari mereantur? Tum o-
stendit, omnes Ecclesiæ Gallicanæ Antistites, non obstante eo-
rum submissione & obedientia, Pontifici præstita, fulmine Pa-
pali tactos, *ipso facto* excommunicationi subjacere. Eos enim
Parisiis congregatos esse (*pour etudier la Constitution*) ad co-
gnoscendum, aut discendum Constitutionis Pontificiæ argu-
mentum, quod ipsis non diffitentibus, examinis cujusdam speci-
es sit. Cum igitur Episcopi Constitutionem sine prævia cogni-
tione atque examine accipere recusent, *ipso facto* eos excommu-
nicationem incurrisse contendit. Eos quippe dissentire a Pon-
tifice, qui Constitutionem dederit citra ullum examen admit-
tendam. Omne enim examen, quocunque demum nomine
veniat, supponere dubitationem, an res in Constitutione con-
tentæ cum recepta Ecclesiæ doctrina consentiant, nec ne? Tan-
206 dem Augustinianos obtestatur, ne deserant veritatem & causam
Dei, a Semi-Pelagianis impugnatam, sed divina gratia freti, sa-
niorem doctrinam fortiter defendant, spreta Clementis XI infal-
libilitate atque censura. Sub finem varia documenta, in hac
causa edita, cum ipsa Pontificis Constitutione adjecta, plurimis-
que observationibus illustrata, comparent.

LUCII

LUCII COELII SIVE CAECILII LACTANTII FIRMIANI Opera omnia, quæ ſuperſunt. JO. GEORGIUS WALCHIUS recenſuit & criticis Commentariis cum aliorum tum ſuis illuſtravit.

Lipſiæ, ſumtibus Joannis Ludovici Gleditſchii & Maur. Georg. Weidmanni, 1715, 8. Alph. 3 plag. 10.

OPus hoc Cl. Editor dedicavit Sereniſſimo Principi FRIDERICO Gothæ, quem bonis literis & virtutibus cumulatum laudat ſumma opera; præfatione autem paucis lectorem admonet, quid in illuſtrando Lactantio præſtiterit. Inprimis notari meretur diatribe de *Lactantio ejusdemque ſtylo*, quam præmiſit, quaque copioſiſſime de vita Lactantii ediſſerit. Capite I de *Lactantii nominibus* obſervat, quod vulgares libri ferant: *Lucius Cælius* (ſive *Cæcilius*) *Lactantius Firmianus;* alii vero nomina *Lucii Cælii* item *Cæcilii* ſcriptori huic abjudicent, conſtet quoque, quod plures Lactantii codices manu exarati nec *Cælii*, nec *Cæcilii* habeant nomen, quamvis in quibusdam reperiatur *Cæcilii* nomen. Num ſcriptura *Cælii*, an *Cæcilii* ſit præferenda, diſputat quoque Autor, qui profert exempla, quibus patet, nomina hæc facile poſſe confundi, & monet, quod nomen *Cæcilii* a *Cæcilii* non ſit alienum, quod id veteres, etiam Græci, duplici ratione ſcripſerint. Quod ad *Lactantii* nomen pertinet, putant nonnulli, illud additum eſſe a lactea & ſuavi dicendi facultate, quod Autor noſter confutat, quia alii fuerunt ejusdem nominis, nec mente ſua poſſit comprehendere, quomodo quis a *lactea* eloquentia cognominari poſſit *Lactantius*, ut adeo *Lactantii* nomen ſit familiæ; ut *Firminiani* patriæ, de qua copioſius loquitur Cap. II. Quibusdam videtur natione Africanus, qua ſententia ſunt Labbeus & Baluzius, quibus ſe opponit Autor noſter: alii originem ejus ex Germania derivant, quam opinionem Autor nullius ponderis eſſe affirmat, & probat pluribus, Lactantium fuiſſe Italum, cognominatum a *Firmo Firminianum;*

num; & quamvis alii quædam opponant, ad ea tamen respondet Editor, ut sententia sua magis stabiliatur. Cap. III agit *de Lactantii educatione literaria*, & quum observat, magistro usum fuisse Arnobio, de ipso Arnobio, de Sicea, ubi professus est eloquentiæ ac rhetorices artem, de eloquentia ejus, de Lactantii diligentia, quod referri mereatur inter præcoces ingenio, multa occurrunt utilia, quæ Cl. Autor singulari studio collegit. Cap. IV *de Muneribus, quæ Lactantius obierit*, tradit nobis, quod partim Nicomediæ interpretatus sit rhetorices literas; partim Crispo, Constantini M. filio, ad quævis literarum bona formando præfuerit, quæ duo momenta copiose illustrantur, quod ad tempus, locum, & ipsa munera attinet. Cap. V *de Lactantii scriptis monimentis, tam editis, quam deperditis, item suppositiis*, monet primum quædam de tempore, quo exclusit hos fœtus, & quod inprimis ad Institutiones attinet, existimat necesse esse, tempus distinguere, quo Lactantius has institutiones conscripserit, & quo protulerit eas in publicum, iterum pervisas atque emendatas. Dedicationes ad Constantinum M. esse genuinas affirmat, quas Lactantius superaddidisset, quum opus Institutionum emendatum ederet feliciori temporum sidere: ad scripta dubia atque incerta Lactantii refertur liber de mortibus persecutorum, & parum abest, quin Autor ad sententiam Nourrii accedat; item epitome Institutionum divinarum, quæ Autori nostro videtur composita ab alio, jussu atque autoritate Lactantii, qui eam inscripserit: *Epitome Lactantii divinarum Institutionum*, unde etiam Hieronymus sibi persuaserit, partum hunc ab ipso Lactantio editum esse: de poematibus, quæ Lactantio veluti autori attribuuntur, etiam multa heic deprehendimus. Cap. VI de *Lactantii operum editionibus, Interpretibus & Codd. MSS.* demonstrat inprimis, quid quisque interpretum præstiterit & cujus pretii sint observationes ejus. Cap. VII de *Lactantii eruditione ejusdemque erroribus* monet, quod Latinitate conspicuus fuerit, etiam doctus Græcis literis, minus vero Hebraica lingua, quo nomine semper a Græcis pendet, & quando ex sacro Codice profert loca quædam, Græcam

sequi-

ſequitur translationem. Nec philoſophiæ diſciplinas haud bene cognitas habuit: ſæpe numero a regulis veræ & ſanioris artis Logices aberrat: diligentius interdum utitur ingenio, quam judicio & ea profert argumenta, quæ riſum vehementius, quam animi conſenſum excitant. In Phyſica tradit ſæpe, quæ multum falſæ opinionis tenent, ceterum Autorem noſtrum mire delectavit, quod duo elementa vere prodiderit, quorum alterum ſit aer, alterum vero æther; in Ethica non bene verſatus eſt, nec ei rationis cultura curæ fuit, quaſi ratio ſacris literis repugnaret. Præter hæc ſcripſit quoque multa durius, quam res Chriſtiana & veræ religionis doctrina permittit. Primum loca ſacri Codicis præter mentem ſenſumque θεοπνεύςων Scriptorum, non quidem impia, tamen intempeſtiva induſtria interpretatus eſt: deinde eas doctrinas tradidit literis, quæ a re Chriſtiana atque oraculis divinis plane alienæ ſunt. Ceterum Editor noſter habet ſimile veritati, quod hoſtes Chriſtianæ religioni etiam Lactantii Opera corruperint; propter errores autem non ſit abjiciendus, quoniam nec aliorum eccleſiæ ſcriptorum libri immunes ſint ab erroribus. Cap. VIII *de ſtylo Lactantii* ingenue fatetur, adjumento quodam heic fuiſſe diſſertationem *M. Jo. Auguſti Krebſii* de ſtylo Lactantii Firmiani Hal. 1702, quamvis multa reformaverit, quia præcepta ejus ſtyli a ſuis plane eſſent aliena, adeo ut ex tota hac integra Krebſii diſſertatione nihil ad diatriben hanc tranſtulerit, quam voces quaſdam minus puras & barbaras Lactantii, quod probe obſervari cupit: plane enim Editor noſter præcedentibus capitibus alia argumenta, quæ ille Krebſius ne verbo quidem attigit, proſecutus eſt. Quæ impura in Lactantii monimentis tum ab Editore, tum ab aliis obſervata fuerunt, ea exhibuit non ſecundum librorum, ſed literarum ordinem. Cap. IX de *Lactantii obitu* tradit, non dubium eſſe, quin ſub Conſtantino demum e vita emigraverit, tempus autem & locum certe definiri non poſſe, quia vetuſtatis monimenta de morte ejus nihil tradiderint literis.

Quod ad ipſa opera & obſervationes attinet, illa primum Editor multum emendavit & quæ corrupta fuerunt, reformavit: ex obſervationibus aliorum, Mich. Thomaſii, Xyſti Betuleji, Joſephi Iſæi, Antonii Thyſii, Servatii Gallæi, Thomæ Spark, Chriſtophori Cellarii optimas collegit, quibus ſuas ipſas ſuperaddidit, quæ majorem locum occuparunt. Explicant illæ partim Latinitatem, partim res ipſas, inprimis antiquitates Chriſtianas & paganas, etiam hiſtoriam literariam: ſingulis libris præmiſit analyſin, ut primo conſpectu potiora argumenta oculis noſtris ſeſe exhibeant. Adjecit quoque librum de Mortibus perſecutorum, additis Baluzii, Cuperi, Columbi, Toinardi, Heinſii, Grævii, Bauldri, Cellarii ſelectis commentariis. Ultimo loco reſervavit Epitomen Inſtitutionum divinarum, quam exhibet ea ratione, qua Ch. Matthæus Pfaffius 1712 Pariſiis ex ſcripta quodam Codice bibliothecæ Regiæ Taurinenſis eam integram protulit in publicum. Nihil mutandum, nec addendum quidquam eſſe cenſuit, præcipue, quum Editor noſter dubitet, genuinum eſſe partum Lactantii. Hanc ſequuntur Carmina, quæ Lactantii creduntur, & triplex Index, primum autorum a Lactantio adhibitorum, deinde rerum notabiliorum, & tertium Latinitatis. Ad extremum Editor id obſervatum eſſe voluit, quod errore & ſe abſente quibusdam exemplis falſiſſimi tituli præfixi fuerint, veluti hic Lactantius illuſtratus ſit notis *ad modum Minellii*; quod quum alienum ſit a præfatione, qua teſtatus eſt, ſe hujuſcemodi obſervationes haud ſcripſiſſe, quæ ab indole Lactantii eſſent alienæ, ſed variorum criticas notas & variantes ſcripturas collegiſſe, non abs re eſſe duxit, id heic iterum ſubnotare, ut illi qui falſum titulum acceperint, alium eumque veriorem a bibliopolis poſſint deſiderare. Ceterum jam in Cicerone aliisque Autoribus claſſicis accurate edendis occupatur Cl. Editor.

GEOR-

GEORGII ALB. HAGEDORNII ETHICA TRIPARtita sive Doctrina Moralis &c. Accesserunt VIII Dissertationes Academicæ ejusdem Autoris. Collegit atque recensuit JO. CONRAD HAGEDORN, *Gymnasii Ægid. Norimb. Con-Rector.*

Norimbergæ, sumtibus & typis Ad. Jon. Felseckeri, 1715, 8. Alph. 2.

COnscriptus hic liber a B. Hagedornio jam ante hos XXX annos est, sed nunc demum a Cognato ejus cum orbe erudito communicatus. Fuit Autor tum cum eum conficeret, Alumnorum Noricorum in Academia Altorfina Inspector. Itaque ut in scholis & collegiis, ita in hoc etiam scripto illud videtur ejus consilium fuisse, ut & pietatem suorum promoveret, & de omnibus Philosophiæ partibus quædam, quæ inprimis necessaria judicaret, iis breviter traderet. Definit Ethicam in Prolegomenis ad hunc modum: esse *prudentiam, quæ, perspecta hominis natura & conditione, summam ejus felicitatem, & media pariter ad illam consequendam necessaria, sanæ rationis ductu demonstret.* Proinde in *tres* librum suum dispescit *Partes*, ut prima hominis naturam, altera felicitatem, tertia hujus consequendæ media demonstret. *Capite primo & secundo Partis primæ* ex brevi mentis consideratione ad Deum ascendit, ejusque tum existentiam Cartesianis aliisque argumentis probat, tum essentiam & attributa contemplatur. *Capite tertio* mentis humanæ naturam & affectiones generales, *quarto* autem affectiones quasdem specialiores persequitur, ipsosque affectus, quos ceteri scriptores Ethici fusissime plerumque tractant, paucissimis explicat lineis. *Caput quintum* Anatomicum est: agit enim de corpore humano ejusdemque partibus & partium structura. *Sextum* conjunctionem corporis cum mente, hujusque conjunctionis effectus, ad modum fere Cartesianorum, exponit. *Septimum* de iis est quæ extra hominem sunt, ad eum vero spectant, ut de brutis, de mineralibus, de aere & meteoris, de astris, de societa-

tibus hominum, de bonis externis quibus distinguuntur. Sequitur *Pars altera*, in qua explicatis *summi Boni* criteriis, & remotis rebus plurimis quæ id minime sint, Deum tandem illud esse, *summamque felicitatem* hominis in amicitia cum Deo consistere monstrat, *summum* vero *malum* esse mentis inveteratam & obfirmatam ad determinationem sui pravam propensionem, *infelicitatemque summam* inimicitia cum Deo absolvi. *Parte tertia* leges exponit Autor, quibus homo obligatur Deo, sibi ipsi (tum quoad animam tum quod corpus) & hominibus aliis. Exempli gratia capite secundo, quod leges mentis curam definientes continet, talia præcipit: *mentem a præjudiciis liberandam esse; provide in cogitationibus formandis versandum; in veritatibus cognoscendis absq; moræ impatientia progrediendum; nunquam rebus inutilibus aut non necessariis vacandum; inprimis veritates pietatem promoventes menti esse imprimendas; quemque ad artem certam aut scientiam pro viribus se applicare debere*, & hujusmodi alia. Restat *Appendix* necessariam Revelationis existentiam ex Philosophiæ Moralis defectu ostendens. Ceterum Cl. Editor, observans quam placuerint omnia Cognati sui scripta eruditissimis præstantissimisque Viris, tam largus fuit, ut cum hac *Ethica tripartita* non solum ejusdem Autoris VIII Dissertationes Academicas copularet, (quæ sunt, de *Spoliis Belligerantium*, de *Dicto Simonidis: memento te esse hominem*, de *Terra eminus Planeta*, de *Cogitationibus Mentis humanæ*, de *Nihilo in Moralibus utili*, de *Dei æterni Præscientia*, de *Naturalismi spe speciëque nulla*, de *Moralibus Chrysippeis e rerum natura petitis*) sed *Thesium* quoque L Decadas, cum corollariis, adjungeret, Auditoribus ad privatum disputandi exercitium ab Autore olim propositas: in quibus thesibus eadem fere, quæ in ipsa Ethica eodemque ordine traduntur, nisi quod non integra Ethica sed prima saltim Pars & non nihil de altera iis comprehendatur, cetera desiderentur.

JACOBI FACIOLATI ORATIO DE HUMANITATE, habita coram Eminentiss. ac Reverendiss. GEORGIO CARD. CORNELIO Episcopo Patavino.

Patavii

Patavii, 1714, 8 maj.
Plag. 2.

CLarissimus atque eruditissimus Vir, *Jac. Faciolatus*, in seminario Patav. Præfectus stud. qui anno præterito Grammaticorum insidias deprehendere studuit, fideliterque indicavit, in elegante Oratione hac, quam pro solenni studiorum instauratione recitavit, id agit, ut pueris ad Latinam eloquentiam informandis nocere ostendat librorum copiam. Docet igitur, non esse conditione ulla permittendum, ut extra principes Latinitatis autores evagentur: & quamvis tales cum multiplici lectione exercitia styli conjungant, non tamen eos assequi stylum probabilem, sed ex pluribus Latinæ linguæ seculis, & ex omni scriptorum genere conflatum, ut, cum dicunt, non uno ore, sed prope multiplici dicere videantur. Et in hunc κοινισμὸν incidisse etiam doctissimos & sapientissimos Viros. Neque etiam probari modum legendi ita velocem, ita præcipitem, ut singulis diebus singula volumina percurrantur: immorari oportere rebus singulis, idem submissa voce legere, idem elata; quodque semel legeris, iterum sæpiusque repetere, & cogitatione vehementissima in tuam quodammodo naturam transferre, siq; illos ipsos, qui ætate jam sunt confirmata, *non multa legere, sed multum*, ex veteri proverbio *Plinius* jubet l. 7 ep. 9, eo minus vagari oportere adolescentes, ac in varia discurrere: unum ipsis sufficere *Ciceronem*, ex judicio Ger. Jo. Vossii in hac arte peritissimi, de part. orat. l. 4 c. 1. Sic iis suo exemplo præivisse Viros eloquentissimos, *Longolium* & *Bembum*, quorum immortalis est fama. Idem consilium reperies apud litteratissimum Virum, Ioach. *Camerarium* lib. I Commentar. in Tuscul. Ciceronis primam, de optimo imitationis exemplo.

LIBRI NOVI.

A*Cademiæ Cæsareo-Leopoldinæ Carolinæ naturæ Curiosorum Ephemerides, sive Observationum Medico-Physicarum Centuria III & IV, cum Appendice. Noribergæ, sumtibus Wolffg. Michahellis*, 1715, 4.

Danielis Clerici *Med. Doct. Historia naturalis & Medica latorum Lumbricorum intra hominem & alia animalia nascentium;*

tium; accessit de ceteris quoque hominum vermibus, tum de omnium origine, tandemque de remediis quibus pelli possint, Disquisitio, cum figuris. Genevæ apud Fratres de Tournes, 1715, 4.

Prælectiones Academicæ Medicæ sive specimen novæ Pathologiæ Theoretico-Practicæ, secundum recentissimam methodum Stahlianam breviter concinnatum a D. A. J. F. *Francof. & Lips. apud Georg. Christoph. Felebnerum,* 1715, 4.

Collecta Archivi & Cancellariæ jura, quibus accedunt de Archi-Cancellariis, Vice-Cancellariis, Cancellariis ac Secretariis Virorum clarissimorum Commentationes, accurante Jacobo Wehnero. *Argentorati, sumptibus Jo. Reinboldi Dulsseckeri,* 1715, 4.

Herm. Adolphi Meinders, *Consil. Regii &c. Dissertatio de Judiciis centenariis & centumviralibus, sive criminalibus & civilibus veterum Germanorum, imprimis Francorum & Saxonum. Lemgoviæ, impensis Henr. Wilh. Meyeri,* 1715, 4.

Christ. Friderici Plathneri *Oeconomia Juris Consistorialis, cum decade quæstionum exhibita. Goslariæ, impensis Jo. Christoph. Konig,* 1715, 4.

Alb. Frid. Berneggeri, *Consil. Aul. Hohenl. Barttenstein. Institutionum Imperialium Examen Theoretico-Practicum. Francof: sumptibus Joh. Adolphi,* 1714, 8.

Göttliche und wahre Metaphysica oder wunderbahre durch eigene Erfahrung erlangte Wissenschafft der unsichtbaren und ewigen Dinge, nehmlich von den unsichtbaren Welten &c. durch Johann Pordädschen, *der Artzney Doctor, aus seinen MSptis getreulich gezogen, nebst einer Einleitung; aus dem Englischen mit besondern Fleis übersetzt. Franckf. und Leipz. bey Johann Martin Hagen,* 1715, 8.

ERRATA in Act. 1714 m. Jun.

Pag. 258 l. 7 *corporis* leg. *corpori.* Pag. 263 l. 15 *in ipso plano oscillationis recto*, leg. *in ipso plano ad planum oscillationis recto.* Pag. 271 l. 1 *oscillationes* leg. *oscillationis.* Pag. 274 l. 27 *G & M* leg. *G & L.* Pag. 275 l. 3 & 4 *FBA* leg. *MBA. Ibid.* l. 13 & 14 *conservatur* leg. *non observatur.*

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno MDCC XV.

JOURNAL DES OBSERVATIONS PHYSIQUES, Mathematiques & Botaniques &c.

h. e.

DIARIUM OBSERVATIONUM PHYSICARUM, Mathematicarum & Botanicarum, jussu Regis in America Meridionali & India orientali ab A. 1707 usque ad A. 1712 factarum a R. P. LUDOVICO FEUILLEE, Religioso Minimo, Mathematico & Botanico Regio.

Tomus II.

Parisiis, apud Petrum Giffart, 1714, 4 reg.
Plag. 35 & Tabb. æn. 50.

TOmus hic secundus complectitur observationes anni 1710 a die 15 Jan. usque ad decimam Augusti factarum; Tabulas motuum Solis cum introductione ad easdem & descriptiones quinquaginta plantarum medicinalium. De æquilibrio aquæ marinæ cum aræometro observationes paucæ occurrunt. Nempe sub elevatione poli $14^\circ\ 53'$ & longitudine $5^\circ\ 52'$ (primo meridiano per urbem *Callao* ducto) ipsum reperit industrius Observator 2 unciarum, 3 drachmarum & 51 granorum; sub elevatione poli $18^\circ\ 10'$, longitudine $8^\circ\ 48'$ unc. 2, drachm. 3, gran. 51; sub elevatione poli $29^\circ\ 2'$, longitudine $11^\circ\ 43'$ unc. 2 drachm. 3 gran. $51\frac{1}{2}$; sub elevatione poli $35^\circ\ 48'$, longitudine $4^\circ\ 27'$ denuo 2 unc. 3 dr. 51 gr. Observationes inclinationis acus magneticæ sequenti laterculo conclusas exhibere placet: ubi notandum, primum meridianum per urbem *Callao* ductum subintelligi, nisi expresse contrarium moneatur; latitudinem determinatam esse ex altitudinibus meridianis Solis ut plurimum, interdum per æstimationem nautarum; longitudinem

vero huic ſemper deberi; utramque reſpondere meridiei, acus vero inclinationem meridiei, ſi nulla hora adſcripta eſt, alias illi horæ, quæ adſcribitur, conſequenter in caſu poſteriori non exacte conſtare de loco, ubi navis hæſit, cum inclinatio acus magneticæ obſervata.

Dies A. 1710.	Latitudo.	Longitudo.	Inclinatio acus magneticæ auſtralis.	Hora obſervationis.
d. 17 Jan.	13°. 42'	2°. 27'	7°. 14	
19	14. 53	5. 52	22. 40	
20	15. 11	7. 31	24. 0	
21	16. 16	7. 4	26. 30	
22	17. 10	7. 34	28. 0	
23	18. 10	7. 52	30. 45	
24	19. 11	. 48	32. 30	
25	20 50	9. 34	36. 0	
26	22. 30	10. 1	38. 15	h. 10 mat.
			39. 0	5 veſp.
27	4. 0	10. 28	41 30	5 veſp.
29	27. 35	13. 2	44. 0	
30	29 2	11. 43	46. 0	
d. 2 Febr.	32. 20	8. 19	49. 30	
3 h. 5.	35. 43	6. 2	53. 30	h. 4 veſp.
6	35. 48	4. 27	54. 15	
8	36. 33	4. 0	55. 30	
9	36. 50	2 ab Urbe Conceptionis verſus Occaſum.	55. 45	
10	37 0	1. 0	55. 0	
14	in Urbe	Conceptionis	55. 45	
20	ibidem		55. 35	
d. 1. Mart.	ibidem		55. 25	
4 usq ad 11	ibidem		55. 45	
d. 20. Apr.	in Urbe	Coquimbo	47. 20	
23	ibidem		47. 20	
24	ibidem		47. 30	
d. 9 Jan.	in Urbe	Ilo	27. 45	

Subitæ mutationis, quam in inclinatione acus magneticæ in urbibus *Conceptionis* & *Coquimbo* obſervavit, ventis tribuit Cl. Autor. Obſervationes haſce peculiari inſtrumento inclinatorio inſti-

inſtituit: affert vero etiam alias nonnullas, quas ope pyxidis magneticæ obtinuit. Hac nempe via in urbe *Conceptionis*, quæ ſita eſt in regno Chili, inclinationem acus magneticæ d. 1 Martii reperit 6° 20′, quam anno ſuperiori deprehenderat 6° 30′, ut adeo intra annum acciderit mutatio 10 minutorum. Eandem in urbe *Coquimbo* d. 24 Aprilis notavit 5° 25′; in valle *Ylo* regni Peruviani d. 9. Junii 3° 45′. Priori in loco declinationem acus magneticæ invenit 10° 10′ vel 15′, quæ ante annum fuerat 10° 20′ vel 25′, ut adeo variatio annua ſit 10′, quam Academici Pariſienſes per plurimorum annorum obſervationes 11 circiter ſcrupulorum conſtituerant. Ceterum cum Noſter eandem variationis annuæ quantitatem & in declinatione, & in inclinatione obſervaverit, operæ pretium facient rerum naturalium ſcrutatores, ſi inpoſterum in hanc circumſtantiam accurata induſtria inquiſiverint. In urbe *Coquimbo* d. 23 Apr. declinatio acus magneticæ verſus ortum fuit 8° 32′; in valle *Ylo* d. 22 Jun. 6° 36′. Affluxum maris d. 22 & 23 Maji *Aricæ* in regno Peruviano dimenſus eſt 5 pedum & 4 digitorum. Didicit vero a Præfecto cænobii Franciſcanorum ejus loci, maximum contingere in æquinoctiis, paulo minorem in ſyzigiis, omnium minimum in quadraturis. Situm quoque geographicum urbium *Conceptionis* & *Coquimbo* in regno Chili; *Aricæ* & vallis *Ylo* in *Peruviano* multiplici ſæpiusque repetita obſervatione determinat. Statuit latitudinem urbium *Conceptionis* 36° 42′ 53″; *Coquimbo* 29° 54′ 10″; *Aricæ* 18° 26′ 40″ vel 38″; *Ylo* 17° 36′ 15″; longitudinem loci primi 75° 32′ 30″; ſecundi 73° 35′ 45″; tertii 73° 31′ 0″; quarti 70° 33′ 0″, primo nempe meridiano per urbem Pariſiorum ducto. Declinationes fixarum ſequentes obſervavit: d. 22. Febr. declinationem *Canopi* 52° 31′ 19″, d. 26 Febr. declinationem ſtellæ ſecundæ magnitudinis in pede auſtrali *Centauri* 58° 55′ 6″ & declinationem ſtellæ primæ magnitudinis in pede dextro anteriore ejusdem 59° 33′ 57″. Longitudines locorum per Satellitum Jovis eclipſes exploravit. Etenim d. 26 Febr. h. 3 8′ 41″ & d. 13 Martii h. 1 26′ 17″ juxta meridianum *Conceptionis* primus Jovis Satelles in umbram ejus ingreſſus; idem vero contigit juxta meridianum *Coquimbenſem* d. 16 Apr. h. 11 57′ 30″ & d. 21 Apr. h. 0 6′ 23″. Ex umbra Jovis egreſſus eſt juxta meridianum *Yloenſem* h. 9

2′ 4 59″.

24' 59". D. 19 Martii h. 10 33' 15" juxta meridianum *Conceptionis* Antares seu cor Scorpionis a Luna occultatum. Stella super disco lunari illuminato sub initium occultationis apparuit, nec ante disparuit, quam limbus Lunæ orientalis limbum stellæ orientalem attingeret. Emersio facta est h. 11 25' 11". Duravit adeo occultatio 51' 56". D. 26 April. h. 8 16' 28" satelles ♃ quartus; d. 28 Apr. h. 7 1' 4" (juxta meridianum scilicet *Coquimbensem*) secundus cum fixa in fronte scorpii conjunctus. Præter nubeculas in parte cœli australi conspicuas videntur quoque duæ maculæ nigræ in ramis roboris *Caroli*, quæ tandem cum via lactea confunduntur & quarum obscuritas ad lumen Lunæ evanescit. Alia præterea macula nigra triangularis prope pedem *Cruseri* comparet. Nec prætermittendæ a nobis sunt observationes barometricæ, quos Cl. Autor in urbe *Conceptionis* d. 27 Febr. instituit & d. 13 Martii repetiit. Tubum 32 digitorum & 11 linearum Mercurio probe repurgato replevit eoque inverso & Mercurio in vasculo stagnanti immerso altitudinem Mercurii 28 digitorum ac lineæ unius notavit. Admisit postea aeris duos digitos cum lineis tribus, tumque altitudo Mercurii fuit 24 dig. 4 lin. aere dilatato digitos decem cum lineis $7\frac{1}{2}$ occupante. Cum aeris digitos 4 cum lineis 4 admisisset; altitudo fuit 18 digitorum 2 linearum & aer dilatatus occupavit 13 dig. $7\frac{1}{2}$ lin. Admissis aeris dig. 6 lin. 11; altitudo Mercurii fuit 15 dig. aer dilatatus per dig. 16 lin. 7. Cum aeris admissi quantitas esset 11 dig. 1 lin. Mercurii altitudo erat 11 dig. 4 lin. & aer dilatabatur per dig. 20 lin. $2\frac{1}{2}$. Denique cum illa esset 17 dig. 3 lin. hæc erat 6 dig. 8 lin. & aer dilatatus occupabat dig. 24 lin. 7. In experimento posteriori, quantitate aeris relicti 4 dig. & totidem linearum existente, altitudo Mercurii erat 18 dig. 2 lin. aer dilatatus occupabat 13 dig. 10 lin. Illa existente 5 dig. 2 lin. ista erat 17 dig. 1 lin. hic occupabat 14 dig. $9\frac{1}{2}$ lin. Illa existente 11 dig. 4 lin. ista erat 11 dig. 3 lin. hic occupabat 20 dig. 6 lin. Illa existente 16 dig. 7 lin. ista erat 7 dig. 6 lin. hic occupabat 24 dig. 2 lin. Illa denique existente 21 dig. 7 lin. ista erat 4 dig. 5 lin. hic occupabat 27 dig. 2 lin. Notatu quoque dignum judicamus, quod in regno *Chilensi* in exiguo flumine *Flaraguete* ab incolis dicto prope oppi-

oppidum *de Peteguelea* inveniantur lapides signo crucis signatæ. Figura equidem irregularis est; sed, ubi crux visitur, ovalis. Formatur ea per intersectionem rectangularem diametri majoris & minoris atque sanguinis instar rubet. Nec minus notatu dignum est, quod in urbe Conceptionis fœminæ honestiores interdiu in publicum non prodeant hincque demum noctu in forum prodeant necessaria coemturæ. Ceterum obiter quasi notamus, monere Nostrum, quod ex solis altitudinibus Solis latitudo maris determinari possit; errent vero naucleri, qui ad stellarum altitudines confugiant, Sole interdiu non lucente. Tabulas motuum Solis dubio procul Autor observationibus suis annectere voluit, quia iisdem in observationibus suis, præsertim ad correctionem horologii, sæpissime est usus. Computatæ sunt ad Meridianum observatorii Regii Parisini ad annos & menses currentes. Forma tabularum in eo differt a consueta, quod epochæ seu radices motuum Solis supputatæ sint non tantum ad annos seculares, verum etiam ad annos singulos seculi præsentis & motus medii exhibeantur ad singulos mensium dies tam in anno communi quam bissextili: quo ipso calculus multum abbreviatur.

Plantas non modo describit, verum etiam æri nitidissime incidi curavit & usum medicum fideliter recenset, quem faciunt incolæ Americæ. Delineantur vero 1. Gramen Bromoides Catharticum, vulgo *Guilno;* 2. Tithymalus perennis, Portulacæ folio, vulgo *Pichua;* 3. Tithymalus foliis trinerviis & cordatis; 4. Hemeroçallis floribus purpurascentibus striatis, vulgo *Ligtu;* 5. Hemerocallis floribus purpurascentibus maculatis, vulgo *Pelegrina;* 6. Hemerocallis scandens floribus purpureis, vulgo *Salsilla;* 7. Salsa foliis radiatis floribus subluteis; 8. Bermudiana cœrulea phalangii ramosi facie, vulgo *Illea;* 9. Onagra laurifolia flore amplo pentapetalo; 10. Nicotiana minor folio cordiformi tubo floris prælongo; 11. Granadilla folio tricuspidi obtuso & oculato; 12. Granadilla pomifera tiliæ folio; 13. Polygala cœrulea angustis & densioribus foliis, vulgo *Clin-Clin;* 14. Solanum chenopodioides acinis albescentibus; 15 Solanum foliis quernis; 16. Alkekengi amplo flore violaceo; 17. Epipactis floribus uno versu dispositis, vulgo *Nuil;* 18. Epipactis flore

albo, vulgo *Gavila;* 19. Epipactis flore virescente & variegato, vulgo *Piquichen;* 20. Epipactis amplo flore luteo, vulgo *Gavilu;* 21. Rapuntii facie, foliis sinuatis, flore amplissimo, sanguineo & striato; 22. Bignonia flore luteo, foliis radiatis & elegantissime dissectis; 23. Oxys roseo flore erectior, vulgo *Cullé;* 24. Oxys amplissimo flore luteo; 25. Oxys luteo flore, radice crassissima; 26. Melongena laurifolia, fructu turbinato variegato; 27. Caryophillata foliis alatis, flore amplo coccineo, vulgo *Quellgon;* 28. Viola arborescens, origani acuto folio; 29. Rapuntium spicatum, foliis acutis, vulgo *Tupa;* 30. Panke Anopodophylli folio; 31. Llaupanke amplissimo Sonchi folio; 32 Bidens Mercurialis folio, flore radiato; 33. Bidens Artemisiæ folio, flore albo radiato; 34. Gratiola foliis subrotundis nervosis, floribus luteis; 35. Centaurium minus, purpureum, patulum, vulgo *Cachen;* 36. Conyza folio subrotundo, utrinque acuto, vulgo *Munga-Paki;* 37. Conyza frutescens, foliis angustioribus nervosis; 38. Conyza Africana humilis foliis angustioribus nervosis, floribus umbellatis, vulgo *Chilca;* 39. Malva lutea, calyce simplici, obtuso carpini folio, pediculis florum prælongis, vulgo *Ancoacha;* 40. Poinciana spinosa, vulgo *Tara;* 41. Polypodium radice squamosa, vulgo *Pillabilcam;* 42. Momordica fructu striato lævi, vulgo *Caigua;* 43. Cardamindum quinquefido folio, vulgo *Malla;* 44. Urtica Chiliensis ureus, Acanthi folio; 45. Jacobæa Leucanthemi vulgaris folio, vulgo *Nillgué;* 46. Periclymenum foliis acutis, floribus profunde dissectis, vulgo *Ytiu;* 47. Stramonoides arboreum, oblongo & integro folio, fructu lævi, vulgo *Floripondio;* 48. Pentaphylloides Alceæ minori folio, flore purpureo; 49. Capraria Peruviana, Agerati foliis absque pediculis; 50. Cynoglossum foliis nervosis acutissimis; 51. Bidens denique folio trinervi, lanceato, flore singulari & radiato. De harum plantarum usu Medico sequentia annotavit Autor. Infusum ex radice plantæ primæ purgat. Paratur intervallo unius noctis; mane ad ignem admovetur & ubi ebullit, per linteum urgetur ac maxime calidum hauritur. Tithymali utriusque vis itidem purgativa. Sexta usum præstat in morbis venereis. Nonam maximi faciunt Indi. Folia contusa

instar

inſtar cataplaſmatis applicantur, habentque vim reſolvendi & emolliendi. Conducunt diſſipandis tumoribus inveteratis & bubonibus. Polygala cœrulea diureticum præſtantiſſimum. Parant Indi infuſum intervallo unius noctis & mane hauriunt. Utuntur eodem contra lumborum dolores. Solanum chenopodioides eſt remedium præſens contra febrim, quæ inflammationem & alvi dejectionem extraordinariam cauſatur & ſexui ſequiori infeſta. Succus ex ramorum extremitatibus contuſis exprimitur & cum vitello, pauco alumine &c. permiſcetur. Ejusdem plantæ ſuccus collyrii uſum præbet Indis, quando dolor in oculis ſentitur viſusque aliquis defectus. Alkekengi admiranda præſtat in retentione urinæ & contra calculum. Quatuor aut quinque ejusdem fructus contuſi in aqua communi aut vino ſumuntur. Infuſum plantæ *Nuil* eidem uſui ſervit & ventoſitatem pellit. Nec alius eſt uſus plantæ agnatæ *Gavilu*, quæ decimum octavum occupat locum: altera vero ejusdem nominis, quæ loco vigeſimo exhibetur, ad lactis augmentationem utilis, unde fœminæ partu edito ſuccum ejus juſculo commiſcent. Decoctum plantæ vigeſimæ eſt apertivum: decoctum foliorum ejusdem diminuit fermentationem ſanguinis & bilem temperat. Melongena laurifolia in hortis creſcit & fructus delitiis ſerviunt inſtar melonum. Decoctum caryophillatæ aperit & reſolvit: idem judicium eſt de violæ arboreſcentis decocto. Rapuntium ſpicatum eſt planta venenoſa: ſi quis eam evellit & mox digitis oculos fricat, viſu orbatur. Odor ejus horrendos vomitus ciet. Foliorum plantæ trigeſimæ decoctum refrigerat tempore æſtivo. Radice utuntur ad tingendum colore nigro. Trigeſima prima eſt remedium contra hemorrhoides. Infuſum trigeſimæ quintæ eſt ſudoriferum, ſtomachum roborat, vermes necat, febres intermittentes & icterum pellit. Decoctum trigeſimæ ſextæ dolores colicas & dyſenteriam ſedat. Decoctum trigeſimæ nonæ eſt ſtomachicum prorſus egregium. Decoctum quadrageſimæ primæ obſtructiones diſſipat. Infuſum quadrageſimæ ſextæ contra febres intermittentes ſervit.

Leip.

Leipzigische Annales, von A. 661 N. C. G. biß 1714, durch M. Johann Jacob Vogeln.

h. e.

ANNALES LIPSIENSES AB A. P. C. N. DCLXI usque ad 1714; Autore M. JOHANNE JACOBO VOGELIO, Lipsiensi, Verbi Divini Ministro.

Lipsiæ, apud Frid. Lanckischii Hæredes, 1714, fol. Alph. 12 pl. 9

NOn equidem defuere, qui Lipsiæ nostræ fata literis consignata posteritati consecrarent, quippe Tobiæ Heidenreichii Chronica, 1635, & Zachariæ Schneideri, 1655, Germanico idiomate, Latino vero Davidis Peiferi Lipsia, 1689 (conf. Acta nostra ad h. ann. M. Mart. p. 121) typis vulgata Historiarum gnaris jam dudum innotuerunt. Sed cum multa ab illis prætermissa, aut levi, quod ajunt penicillo descripta, nec pauca ab isto tempore, quo illorum Chronica fuerant confecta, evenisse, silentio minime prætereunda, cerneret Autor patriæ suæ amantissimus, indefessa industria plurimis abhinc annis eo sibi incumbendum existimavit, uti superius jam memoratis, aliisque tum Saxonicis tum reliquis istorum temporum Scriptoribus probe invicem collatis, ex MSC. Höhlii, Dreheri, Schneideri, Peilikiorum, Seidelii & plurimis, insigni Senatus Lipsiensis benignitate ipsi communicatis, integros, quoad fieri potuit, Lipsiensium Annales, insertis, ubi opus videbatur, Actis & diplomatibus publicis, prelo excusos emitteret. Continentur equidem in illis haud pauca, quæ historiæ civilis cupidos nihil morabuntur, communi tamen Annalium methodo excusanda; sunt alia, quæ dubiis omnino destituta haud videntur.
p. 31. Namque Rudolphum I. Habspurgicum A. 1273 edixisse putat, ut instrumenta publica lingua Germanica conscriberentur, cum ab aliis jam dudum observatum sit, & ante Interregni Magni tempora sub Fridrico II Recessum Imperii Germanico idiomate fuisse exaratum, & postmodum regnante Carolo IV Auream Bullam Latina lingua fuisse consignatam. Ducem quempiam
914. Saxoniæ circa annum 1528 a Dithmarsis fuisse captum, Heidenreichio

reichio teste sibi persuadet, quod nullius usquam testimonio
comprobatum reperimus. Divi Johannis Friderici Electoris p. 199.
Saxoniæ inscriptionem sepulchralem, quam plerunque circum-
ferunt, privato studio elaboratam, pro vera venditat, cujus falsi-
tatem jam pridem ostenderat Celeberrimus Sagittarius in Hist.
Joh. Frid. p. 81. Sed in tanta rerum farragine ista vel lynceos ocu-
los effugere potuissent. Lipsiam quod attinet, Principem Bo- 2.
hemiæ Lybussam A. 710 arcem Liebiz nominatam circa fluvi-
um Plissam condidisse refert, quod aliis decidendum relinqui-
mus. Eodem in loco S. Bonifacius A. 724 idolum Flynz dictum
destruxit. Lipsia vero per matrimonium Suatanæ cum Wi- 4.
perto, Witekindi M. filio, in Saxonum potestatem ab ipso reda-
cta est, & A. 926 adversus Hunnorum invasiones muris circum-
data, iisdemque A. 927, rebellibus Sorabis, ab Henrico Aucupe
nudata. Paulo post 930 a Vandalis restaurata, & a Comite 9.
Gunthero vetustum Plissenburgum ædificatum. Cumque
Henricus II Imperator Diœcesin Lipsiensem A. 1018 Ecclesiæ 12.
Martisburgensi subjecisset, imo A. 1021 urbem ipsam Ditmaro
ejusdem Sedis Episcopo dono dedisset, litibus tamen circa fines
obortis, ista 1134 Conrado Marchioni, accepto vicissim Schkeu- 17.
dizio, est reddita, ab eoque munita, & duarum nundinarum pri-
vilegio donata, quas Marchiones Albertus Superbus 1190, Die-
tericus Exul 1268 & Fridericus Placidus 1458, tertiis insuper, quæ
circa novi anni initium frequentari solent, auctas, tandemque
Imperatores, Fridericus III (V) 1466, Maximilianus I 1497 &
1507 & Carolus V 1521, stapulæ jure etiam clementissime con-
cesso, imo & 1514 Pontifex Leo X confirmarunt. Exinde plures
cum finitimis Halensibus A. 1469, Erfurtensibus 1507, Num- 60.
burgensibus 1514 & Islebiensibus 1521 intercesserunt contro- 78.
versiæ, in quibus tamen omnibus Lipsienses victores fuerunt. 87.

Otto IV Imperator 1210 Lipsiam obsidione cepit, muros & 103.
arcem vero solo æquavit. Adversus Dietericum Exulem Lipsia 21.
1213, extructo cœnobio Thomano frænum suæ libertati injici ra- 22.
ta, in seditionem prorupit, nec ulla vi ad obsequium redigi po-
tuit, donec transactione, cujus copiam Autor ibidem exhibet,
turbæ istæ fuissent sopitæ. Sed brevi post tempore urbs fraude

bellica est capta, & ad officium redire jussa, quæ tandem res Dieterico exitio fuit. Hujus filii Henrici Illustris minorennis tu-
p. 24. telam quoad Lipsiam & terras Osterlandicas sibi vindicabat Episcopus Martisburgensis, qua tamen armis Landgravii Thuringiæ deterritus, mox semet abdicare est coactus. In bellis civili-
34. bus, summa animorum contentione inter Albertum Degenerem ejusque filios gestis, Lipsiam A. 1291 Episcopo Martisburgensi in filiorum præjudicium donavit Albertus. Eandem Adolfus Imperator A. 1297 occupat, ipso vero 1298 in pugna obtruncato, Lipsienses arreptis armis præsidium Nassovicum expellunt, ac
41. se suaque legitimis Dominis dedunt. A. 1327 Vandalorum lingua e judiciis eliminata, substituto in ejus locum idiomate Ger-
44. manico. A. 1345 Senatus Lipsiensis Consulto statutum, ne Clerici bona immobilia ipsis legata ultra 12 menses retinerent, cum metuendum, ne civitatis reditus nimis diminuerentur. Ger-
48. manos, qui Pragæ studiis litabant, injusto Wenceslai decreto exinde profugos clementissime susceperunt memoriæ nunquam intermorituræ fratres, Fridericus Bellicosus & Wilhelmus, atque A. 1409 inclytam hanc Academiam per tria, & quod excedit, secula hactenus felicissime florentem condiderunt, quibus-
63. 93. 188. dam postea Pontificum privilegiis, præsertim vero insigni Sere-
152. 243. nissimorum Patriæ Patrum liberalitate reditibus auctam, & Bi-
156. bliotheca decoratam. Celeberrimum JCtorum Collegium, quod Scabinorum dicitur, primordia cœpit anno 1420, cui anno
49. 226. 1572 Scabinatus Dohna Lipsiam translatus, junctus est, eumque
234. demum Augustus Elector 1574 reformatum, Electoris no-
66. mine judicare jussit. Supremæ Curiæ Provinciales, quæ Dresdæ & Eckartibergæ antehac floruere, 1458 a Duce Alberto III conjunctæ invicem fuerunt, illique sedes Lipsia, ubi imposterum jus diceret, statuta, quam deinde Mauritius & Augustus Electores peculiaribus Edictis in meliorem formam redegerunt. Circa Religionis dissidia ob nundinationem Tezelii (cujus corpus qui-
102. dem Lipsiæ sepultum, statuam vero Rüdigeri falso ipsi tributam
94. Autor existimat) primum exorta, Lipsiensium Theologi ci-
101. vesque, colloquio 1519 ibidem indicto, Luthero minime favere visi sunt, donec meliora edocti auspiciis Divi Henrici vere Pii

anno

anno 1539 inter A. C. addictos nomina profiterentur. Tumultu a rusticis per totam fere Germaniam excitato non defuerunt, p. 137. 182.
qui apud Lipsienses res novas molirentur, quibus severe punitis Dux Sax. Georgius reliquos facili negotio ad officium redire coegit. Crudeli isto ob religionis controversias exardescente bello, 1547 Lipsia eodem incendio correpta, & a Joh. Friderico Sax. Electore, quod Mauritius a partibus Imperatoris staret, arcta obsidione cincta est, quam nunciato Cæsaris adventu (hanc 174
enim veram irritæ obsidionis causam censet Autor Cl.) solvere necesse habuit. Judicio Ecclesiastico, quod Martisburgi olim juri dicundo vacaverat, Episcoporum potestate abrogata, locus 189.
1550 Lipsiæ assignatus. Conamina Reformatorum anno 1574 229. 259.
item 1591 & turbas adversus illos 1593 concitatas fusim enarrat, 278.
simulque Colloquii istius privati in Conventu Principum Evangelicorum 1631 Augustanæ Confessionis inter & Reformatorum 421.
Theologos, Saxonicos, Brandenburgicos atque Hassiacos, instituti enarrationem diligentem ex Facultatis Theologicæ scriniis petitam Autor subnectit. Bello Tricennali Lipsia quoque variis fortunæ casibus fuit agitata. Etenim anno 1631 a Tyllio Cæsarianorum duce capta, isto vero haud procul inde cum 450.
exercitu profligato, iterum ex hostium manibus erepta est, 1632 455.
eadem ab Imperatoriis occupata, sed Wallensteinio prope Lu- 480.
zenam pulso ab ipsis est derelicta. A. 1633 Holckio duce urbem 490.
quidem Cæsarei vi ceperunt, sed arce frustra tentata, exercitu- 506.
que Saxonico appropinquante, brevi post eadem excesserunt. A. 1637 Lipsia Bannerii ductu a Suecis incassum fuit impugnata, 536.
& 1642 Torstensohnii auspiciis atque præfectorum negligen- 583.
tia in Suecorum potestatem est redacta, ac 1650 demum legitimo possessori restituta. Tandem Lipsiensium fata Suecis in 983.
Saxoniam 1706 irrumpentibus ob oculos ponuntur.

INCLEMENTIA CLEMENTIS EXAMINATA, hoc est, BULLA CLEMENTIS PAPAE XI adversus P. QUESNELLII Observationes & Meditationes morales in N. T. protrusa cum fulmine: nunc recusa & gemina dissertatione discussa a JO. FRICKIO, S.T.P.

 Ulmæ,

Ulmæ, apud Dan. Bartholomæi, 1714, 4.
Alph. 1 pl. 4.

DUo in his Actis jam exhibuimus scripta, a Theologis Ecclesiæ Lutheranæ, *Jagero* & *Jenichio*, adversus Bullam CLEMENTIS XI famosam, qua *Quesnellii* Testamentum Novum fulmine percussit, edita; quibus nunc tertium addimus, Bullam ipsam Clementis sistens, & causas totius litis inde exortæ paulo distinctius evolvens. Parentem hicce fœtus agnoscit doctissimum *Jo. Frickium*, Theologum Ulmensem, qui amplis ubiq; digressionibus inspersis, eruditionem suam, orbi literario ex aliis meritis dudum cognitam, novo specimine, eoque exasciato valde, comprobavit, Jo. Baptistæ Dionysii commentariis anecdotis inter reliqua adjutus. Et primo quidem loco exhibetur in præsenti scripto *ipsa Bulla Clementis XI integra*, ad exemplum Parisiense Muguetianum, Gallico & Latino sermone recusa, & locis e Quesnellii Testamento sedulo allegatis locupletata. Prodiit exemplum istud Parisiense Muguetianum cum publica Cleri Gallicani autoritate. Sed cum in hoc exemplo omissa passim sint in Propositionibus Quesnellii quædam, quæ ad pleniorem sententiæ Quesnellii sensum cognoscendum faciunt: idcirco Cl. Frickius tum ex editione N.T. Quesnellii Parisina, tum ex alia Latino-Gallica, Romæ, ut titulus habet, impressa plura subinde, sub diverso tamen charactere adjecit, quæ ad sensus perfectionem facere videbantur. Subjecit quoque idem singulis propositionibus tum Scripturæ S. tum veteris Ecclesiæ testimonia quædam, ut pateret inde, quanta vis veritati & Ecclesiæ veteris orthodoxiæ illata per bullam illam Clementis, & quam injuria eadem sit in ipsam infallibilitatem Pontificiam. Post enarrationem Bullæ ipsius *duæ* sequuntur *Dissertationes Frickii* doctissimæ, quarum prior, historica, *causas Bullæ Clementinæ* uberius exponit, & arcana simul non pauca retegit, non omnibus nota. Posterior autem, dogmatica magis, *de ipsis fidei dogmatibus, in bulla Clementis damnatis*, tractationem pleniorem instituit, & speciatim doctrinam de gratia & libero arbitrio examinat, ac simul Instructionem Pastoralem XL Præsulum Parisiensium passim breviter excutit.

Disser-

Dissertatio *prior* historica IV Capitibus absolvitur. Et in primo quidem Capite parallelismum instituit Autor inter judicium Zosimi Papæ in causa Pelagiana præcipitatum & Bullam Clementis XI Papæ in causa Quesnelliana editam. Nimirum etsi Celestius & Pelagius ob evectas elatius liberi arbitrii vires, peccatum originis negatum, & gratiæ, salubriter nos moventis, necessitatem rejectam, gravissimæ hæreseos ab Episcopis Africanis postulati, & tum a duabus Synodis, Carthaginensi & Milevitana, tum ab Innocentio I Episcopo Rom. damnati fuerant: Zosimus tamen, Innocentii successor, utrumque reum, tum Celestium, tum Pelagium, cæco impetu Catholicum pronuntiabat, quod ille scilicet adulatoria submissione Romæ coram, hic autem per epistolam fidem orthodoxam mentitus fuisset. Sicuti proinde præcipitis illius sententiæ, pro Pelagio & Celestio latæ, exemplo Zosimus luculenter ostendit, quam facile, quamque turpiter falli possit ipse Pontifex: ita idem Clementem XI Papam hodiernum in causa Noallii Cardinalis & P. Quesnellii, a se damnatorum, novo exemplo comprobasse, Noster ex collatione causarum & motuum demonstrat. Etenim Ecclesiæ Africanæ, in retinendis & vindicandis, quibus tum gaudebat, privilegiis admodum tenaci, Ecclesia hodierna Gallicana satis respondet; nisi quod Episcopi quidam Gallicani paulo inconstantiores esse occipiant Episcopis Africanis. Celestium & Pelagium, vulpina vafritie indutos, Societas Jesuitarum, quæ nunc in Galliis est, refert. Eros & Lazarus, præcipui Pelagianæ hæreseos accusatores, in Noallio Cardinale & Episcopis ipsi addictis reviviscunt; qui tamen in Quesnellio & Gerberonio puniuntur & temeritatis postulantur. Sed in eo saltim Episcopi Gallicani ab Africanis discedunt, quod hi latam semel in Synodo Provinciali, Carthagine congregata, contra Celestium & Pelagium sententiam summa cum concordia tutati fuerint, nihil Zosimo, Papæ, cedentes; illi autem, quoad partem majorem, seu Regi, seu Societati Jesuitarum devoti, Synodum omnem aspernentur. Altero capite de libertate Ecclesiæ Gallicanæ, olim valida, nunc autem pene extincta Autor tractat. Describitur heic sub initium Privilegiorum Ecclesiæ Gallicanæ facies anti-

antiqua, quæ hæc erat, ut si gravis forte de fide quæstio in Gallia mota aut hæresis coorta fuerat, intra Episcoporum potestatem ac Synodorum Nationis aut Provinciarum sententiam inquisitio omnis, seculis bene multis, subsisteret. Probat hoc Autor exemplis variis, a Gerbasio jam in tractatu de caussis majoribus collectis, & simul tum ex Epistolis Caroli Calvi Imp. ad binos Pontifices, Hadrianum II & Joannem VIII, scriptis, tum ex Rescripto Synodi Duriacensis & Gerberti pro Synodo Rhemensi apologia demonstrat, quod si tum temporis cognitio causæ prima a Synodo Episcoporum Provinciali facta, & sententia semel dicta ab omnibus approbata fuerit, tum nihil efficere potuerit intempestiva Pontificis interpellatio. Dehinc ad tempora Regum Galliæ ex stirpe Capeti Noster progressus ostendit, quod, utut in causis fidei Ludovici IX & Caroli VII sanctionibus pragmaticis Paparum ambitioni obex positus fuerit, iisdem tamen impediri nullatenus potuerit, quo minus Ecclesiæ Gallicanæ libertas variis Pontificum artibus quotannis subrueretur & minueretur. Adjuvabat has artes ipsa Regum Galliæ inconstantia circa celebrem illam sanctionem pragmaticam, quæ A. 1434 Avarici Biturigum confecta, a Ludovico XI abrogata, a Ludovico XII restituta, sed sub Francisco I Rege Galliarum, per Concordata cum Leone X A. 1515 Bononiæ inita, penitus demum extincta fuit. In his Concordatis sartum tectumque quidem servatur Regibus Galliæ jus Regaliarum in nominandis Episcopis; sed in reliquas Ecclesiæ Gallicanæ libertates jus Pontifici omne pene in solidum vindicatur. Et cum aulæ Romanæ parasiti, maxime vero Jesuitæ, Episcopali eminentiæ atque potestati nunquam non infensi sint, eo quod superiorem ferre nequeant: inde factum esse Noster conjicit, ut vi istorum Concordatorum genus judiciorum Episcopalium omne in causis majoribus abrogatum, & contra Pontificis nutui & dominatui subjecta cuncta Jesuitæ omni semper nisu cupiant. Demonstrat id Noster prolixius ex motibus circa promulgationem & receptionem Concilii Tridentini in Gallia subortis, quam utut Episcoporum pars sat magna, a Jesuitis in partes pertracta, sæpius suaserit, tamen Curia Parisiensis, cujus magnum omni tempore fuit pro tuendis

Eccle-

Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus ſtudium, ſemper adhuc impedivit. Paulo poſt Perronii Cardinalis notatur levitas, cui, cum jura imperantium, oratione ſolenni in comitiis A. 1615 Pariſiis habita, legibus Rom. Pontificis ſubjeciſſet, Edmundus Richerius animoſe ſatis ſe oppoſuit, edito de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate libello; unde & Richerii & Richeriſtarum nomen hodie adhuc velut hæreticum traduci ſolet a Jeſuitis. Delatus inde ad Richelii, Mazarini & Marcæ tempora, triumviros hoſce ſermone quidem ſcriptisve libertatum Eccleſiæ Gallicanæ aſſertores, reipſa tamen jurium Epiſcopalium conculcatores valde inſignes fuiſſe, Noſter oſtendit. Egerunt ab eo tempore varios Jeſuitæ de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ triumphos; id quod ex hiſtoria Janſeniſmi recentiori & ex inſtituta in Hugonotas perſecutione, vires improbas denuo ſumente, fuſius Noſter deducit. Sed cum ad ſupprimendam Epiſcoporum in Gallia poteſtatem hoc maxime a Jeſuitis recentiori ætate excogitatum fuerit dogma: Pontificem non ſolum in quæſtionibus fidei, ſed & in quæſtionibus facti eſſe infallibilem; poſtremo loco Cameracenſium Archiepiſcopo nuper demortuo, Fenelonio, ſed tum, cum hæc ſcriberet, adhuc in vivis exiſtenti, Noſter indignatur, quod ex mollitie quadam inexcuſabili, & ut aulæ ſaltim Pariſinæ, per Telemachum ſuum offenſæ, gratiam rurſus, ope ſodalium Societatis Jeſu, aucuparet, Papæ omniſcientiam infallibilem, [illegible]*bus facti doctrinalibus*, quibus vero *facta hiſtorica* contradi[illegible]it, partim in Epiſtolis ſuis Paſtoralibus, partim in aliis ſcriptionibus bene multis defendere auſus fuerit. Capite ſubſequente tertio cauſas odii Papalis & Jeſuitici in P. Queſnellium & Noallium Cardinalem paulo diſtinctius Noſter exponit. Priusquam tamen has ipſas cauſas enarret, Cardinales Gallicanos cum aliis viris doctis & probis ſiniſteriora quandoque fata expertos eſſe, ex Rezii & Bullionii Cardinalium, nec non ex Baluzii, viri perdocti, exemplis noviſſimis ſub initium comprobat. Tum ad ipſas cauſas odii in Queſnellium Papalis & Jeſuitici enarrandas ſe accingit, quarum primam ex Notis Queſnellii in Leonis M. Epiſcopi Romani opera, A. 1676 ab eo edita, arceſſit, utpote in quibus Queſnellius inter alia Hilarii Arelatenſis

ad;

adverſus Leonem tuetur factum, quo cauſas Epiſcoporum, abs ſe in provincia ſua metropolitico jure ſemel judicatas, Romæ de integro examinari debere aut poſſe conſtanter Hilarius negat. Tametſi enim Petrus de Marca, Jo. Morinus, & Jo. Fileſaccus ſtrenue aſſerant, quod Hilarius ſe Leoni juſte non oppoſuerit, ſed præ arrogantia mentis ſibimet ipſi Pontificalem in Gallia autoritatem deſtinaverit: Queſnellius tamen autoritatem virorum iſtorum ab adornanda pro Hilario apologia ſe deterrere non paſſus eſt, in quinta ad Leonis opera diſſertatione, quod vetuſtiſſimum privilegiorum Eccleſiæ Gallicanæ adverſus appellationes tranſalpinas ſe in Hilario reperiſſe ſibi videretur. Incurrebat vero hac ipſa apologia Queſnellius Cenſorum curiæ Romanæ virgulam; & præterea eruditus aliquis ipſi quærebatur adverſarius, Chriſtianus Lupus, quem Auguſtinus Favoritus perſuaſionibus multis Romæ induxerat, ut ad Queſnellium una cum Gerbaſio & aliis quibusdam libertatum Gallicanarum vindicibus refutandum accederet. Verum cum Apologia nova mox edita cenſuram omnem facile disjiceret Queſnellius, odium inde Papæ & Jeſuitarum primum in ipſum exarſit. Alteram cauſam odii Papalis & Jeſuitici in Queſnellium Noſter a familiaritate ejus cum Antonio Arnaldo, Janſeniſtarum primipilo, nimia arceſſit, quem exul etiam factus ſemper coluit & defendit Queſnellius. Et cum multum ille quoque contulerit ad Hiſtoriam Congregationis de auxiliis gratiæ ab Auguſtino le Blanc editam: ea de cauſa magnam in Brabantia Jeſuitarum perſecutionem eſt expertus, in carcerem horum artibus ibidem detruſus; quæ omnia e Cl. Jenichii noſtri Hiſtoria & examine bullæ Clementis XI pluribus jam alibi memoravimus. Tertiam demum cauſam dedit Novum iſtud Teſtamentum Gallicum a Queſnellio cum ſubjunctis ſingulis verſibus notis moralibus vulgatum, quod velut opus venenatiſſimum Clemens damnavit nuper inclementius, utut iſtud per integros duos & quadraginta annos in Gallia, Belgio, Germania, & imo in magna Italiæ parte, absque ulla hæreſeos nota, late ubique fuerit diſſeminatum. Cur autem hocce Teſtamentum Pontifici ſummo & Jeſuitis adeo inviſum ſit, §. V hujus Capitis doctiſſimus Frickius

paulo

Digitized by Google

paulo specialius exponit. Inde ad causas odii Papalis & Jesuitici in Noallium Cardinalem Noster progreditur, quæ cum a Jenichio nostro jam quoque in Examine modo laudato detectæ fuerint, & ex Dionysii Commentariis Anecdotis Gallice scriptis jam orbi literario constent, id tantum hoc loco addimus, quod Tellerio, Confessionario Regio, & turbarum contra Noallium excitatarum autori primo & præcipuo, alios adhuc e Societate Jesu sodales, Danielem puta, Lalemandum, Germontium & Doucinum Frickius superaddat, quem postremum ad secretas cum Episcopis consultationes, adversus Noallium, Jesuitarum sodalitio parum faventem, instituendas, missum monet. Capite subsequente quarto de Pontificum in expediendis bullis decretoriis arte ac methodo, tum de instabili earundem apud Pontificios autoritate tractat. Tendit eo ars Pontificum recentiorum jam inde a Concilio Tridentino omnis, ut lites super rebus aut fidei aut disciplinæ ortas per bullas suas decretorias brevi manu vel expediant, vel penitus supprimant. Conquestus est hac de re inter alios ex ipsis Pontificiis graviter Jacobus Boonen, Archi-Episcopus Mechliniensis, in scripto A. 1649 edito, utpote in quo causas memorat, ob quas bullam Urbani VIII Anti-Jansenianam promulgare non posset. Sed displicuit hæc Boonenii querela non parum Cardinali de Aguirre, qui contra eos omnes desipere admodum dixit, qui Martini V Papæ Decretum spernerent, quo nulli fas esse a supremo judice seu Rom. Pontifice ad alium appellare, aut illius judicium in causis fidei declinare edicit. At non irreformabile esse Papæ in caussis fidei judicium Clerus Gallicanus A. 1682 solenni constitutione pronuntiavit, idemque Gerbasius, Cleri Gallicani interpres, articulo IV de causis majoribus pluribus probatum dedit. Dehinc plura Noster enarrat Constitutionum Papalium, a Pontificibus ipsismet spretarum, exempla, ut bullarum Pii V & Gregorii XIII, a quibus Clemens VIII & Paulus V discesserunt, quorum tamen decreta Urbanus VIII iterum nauci habuit. Huc accedit, quod ipsi Jesuitæ Clementem VIII collusionis alicujus imperitæ & periculosæ cum Calvinianis insimulare non fuerint veriti. Sed iidem quoque, cum non ita multo post Paulum V accinctum

viderent ad bullam in causa de auxiliis gratiæ edendam, magna cum ferocia Papæ ea de re per Claud. Aquavivam, Generalem societatis suæ, in os sunt oblocuti. Sic etiam Alexandri VII Decretum, Apologiæ Casuistarum Jesuiticæ A. 1659 oppositum, velut diabolica machinatione impetratum, & Innocentii XI bullam, quæ LXV Jesuitarum theses morales A. 1679 condemnavit, velut Jansenismi & Quietismi suspectam, Jesuitæ itidem ipsimet traduxerunt. Idem bullæ Innocentii X famosæ, contra V propositiones Jansenii editæ, accidit, cujus rei historiam ex Guilielmi de S. Amore Diario pluribus refert. Imo ipsius Clementis XI Papæ hodierni Constitutionibus Papalibus contra cultum Sinensium promulgatis Jesuitas fortiter se opposuisse, ex scriptis Jesuitarum Gallorum, in causa Turnonii Cardinalis emissis, constat. His enarratis ad Acta in conventu Cleri Gallicani circa bullam Clementis Anti-Quesnellianam Noster se convertit, ut & ad Instructionem Pastoralem XL Præsulum & ad Epistolam Conventus Parisiensis Circularem; ex quibus documentis omnibus, passim excerptis, varias & vaferrimas Cleri Pontificii, in obtrudendis bullis Papalibus, artes detegit. Addit quoque Epistolam Pastoralem Cardinalis Noallii integram; sed eandem variis ex capitibus in notaminibus subjunctis castigat. Et hæc omnia in Dissertatione priori Noster excutit.

In Dissertatione *posteriori* de ipsis capitibus fidei, in Bulla Clementina labefactatis, Frickius tractat, ita quidem, ut capite ejus primo, velut procemiali, vilipendium antiquitatis in Ecclesia Romana ob oculos ponat. Requirebatur olim in aditu summi Pontificatus professio fidei solennis, a qua vero, dudum spreta & extra usum posita, Pontifices hodiernos prorsus abire, ex causa tum Janseniana, tum Quesnelliana, Autor laudatissimus distincte demonstrat. Capite secundo dogma de gratia & libero arbitrio, per bullam Clementinam fœde impugnatum, Noster excutit, simulque bullam Pelagianismi prolixius accusat; id quod etiam Celeb. Buddeus in Dissertatione peculiari, Jenæ haut ita pridem habita, egit. Subjicit deinceps Autor articulos V, a Jansenistis, qui se Augustini discipulos nominant, A. 1663 ad pacem cum Jesuitis ineundam propositos, & ab eodem Alexandro ap-

pro-

probatos, qui vero bullam Clementis XI prorſus evertunt. Quibus articulis cum nihil difforme in meditationibus ſuis ad N. T. de gratia efficaci ſe attuliſſe Queſnellius dudum in apologia ſua teſtatus fuerit: inde cauſam Queſnellii contra bullam Clementis fortius agit, & ſimul Eccleſiæ noſtræ Evangelicæ de gratia efficaci doctrinam, dilucide exponit, & ex vero defendit. Capite tertio propoſitiones in bulla Clementis damnatas, quæ de fide, charitate & pœnitentia agunt, examinat, & ſimul tum in his, tum in aliis propoſitionibus damnatis doctrinam verbi divini puriorem rejectam & proſcriptam, perinde ac id etiam in Inſtructione Paſtorali XL Præſulum factum, ſtrictim graviterque oſtendit.

C. A. II. EMENDATIO LIBRI TERTULLIAnei *de præſcriptionibus adverſus hæreticos.*

INter Tertulliani libros omni tempore maximi fuit habitus, quem *de præſcriptionibus* inſcripſit *adverſus hæreticos*. Omnium aut maximum ei ſtatuunt pretium Romani Pontificis cultores, telum ſibi a Tertulliano ſubminiſtratum rati, quo proſterni ſine mora poſſint hæretici ad unum omnes. *Hunc librum*, univerſæ ſuæ ſectæ nomine inquit Bartholomæus Germonius *lib. I de veteribus hæreticis Eccleſiaſticorum codicum corruptoribus P. I cap. 5 p. 59*, *tanquam firmiſſimum adverſus hæreſes omnes clypeum Catholici doctores ſuſpiciunt.* Hoc conſilio Joſephus Maria Thomaſius in primo tomo *Inſtitutionum Theologicarum Patrum*, Romæ *A. 1709* edi cœptarum, principe loco exhibendum ſtatuit hunc libellum, uti, cum tomum modo memoratum hiſce in Actis producebamus, *A 1710 p. 337* monendum duximus. Nec dubitamus, doctiſſimos Viros, qui uno tempore in Italia & Gallia novam Tertulliani Operum editionem parant, omnia facturos, ut in primis hic ingenii Tertullianei fœtus integer ac nitidus prodeat in publicum, nulla fœdatus labe, nulla obſcurus ſermonis nebula. Ceterum cum laudatis modo Viris gratiſſimum fore videatur, ſi alienis curis ſubinde ſublevetur ipſorum labor, eorum, quæ dudum ad iſtum Tertulliani libellum annotavi, aliquam partem in lucem producere ſtatui. Di-

versi autem generis annotationibus liber iste egere mihi videtur, Criticis sive Therapevticis, Exegeticis (ob salebras sermonis,) Theologico-philosophicis sive Criticis realibus, ac denique Historicis. Therapevticæ seu Criticæ annotationes sunt per se ceteris minus nobiles, magis vero necessariæ. Maxima quippe dos cujuscunque libri est integritas: adeoque ante omnia mendæ sunt eluendæ, si de edendo aliquo autore cogitas. Ceterum quo quis obscuriore dicendi genere utitur, eo facilior corruptelis est aditus. Hinc mirum videri non debet, librum, de quo loquimur, multis modis esse a librariis pessime habitum ignorantia styli Tertullianei. Quibus codices MStos consulere & invicem comparare licet, haud dubie illorum ope multum caliginis nostro libello abstergere poterunt. Sed tamen magna vi judicandi opus est, ne sola antiquitas lectionis pro norma sit, sed regulæ artis therapevticæ, quas alio loco exposuimus. Cum itaque plus tribuendum sit τῇ δυνάμει κριτικῇ, quam vetustis membranis, nos, horum ne uno quidem gaudentes tamen confidimus, multa loca a nobis sanitati suæ restitutum iri, qui editionem Jacobi Pamelii & Jo. Ludovici de la Cerda, & supra jam memoratam Romanam Thomasii, ex qua textum hic exhibemus, præ oculis habemus. Erit, scio, ubi futuri hujus libelli editores, quibus codices manu exarati suppeditant, meam emendationem vel firmare vel corrigere possint. Legite igitur, *futuri Editores*, quæ jam proferam, ac sano utimini judicio.

Capitis primi altera pars pessime est a librariis habita. Thomasiana editio eam hunc repræsentat in modum: *Vane ergo & inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses valeant. Quantum si non fuissent! Cum quid sortitum est, ut omnimodo* (id est, *omnino.* Sic rursus infra cap. IX) *sit, causam accipit, ob quam sit. Hac vim consequitur, per quam sit, ne esse non possit.* Misere corruptum locum! Sed multo corruptior exstat in editione Pamelii, itemque in editione Cerdani. Utrobique enim hæc legimus: *Vane ergo & inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses valeant, quantum sunt, cum quid sortitum est, ut omni modo sit, sicut causam accipit, ob quam sit, sic vim consequitur, per quam sit, ne esse non*

possit.

possit. Quæso, quid sibi vult illud: *quantum sunt*, vel, uti vulgo legitur, *quantum sint?* Nec tamen ineptæ huic lectioni patroni desunt. Pamelius enim, Justus Calvinus, & Cerdanus par illud verborum feliciter interpretantur, si Musis placet. Rhenanus & codex Vaticanus habent: *quantum si non fuissent.* Pro quo Gelenius & Barreus ex ingenio rescribunt: *quantum non valerent, si non fuissent;* Latinius: *quantum si non sint.* Ego vero contendo, glossema hunc in locum irrepsisse, adeoque ejici oportere. Verba glossematis hæc sunt: *quantum si non fuissent.* Nimirum cum præcedant hæc verba; *plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses valeant;* ineptus quispiam lector judicans, *tantum* sequi oportere *quantum*, ista verba adjicere ausus est, quæ tamen ipsa corrupta videntur. Primitus namque sic scriptum fuisse credo: *quantum non,* scilicet valerent vel valituræ essent, *si non fuissent.* Ceterum hæc, quæ dixi, verba delenda esse, confirmat caput subsequens, ubi eodem modo Tertullianus scribit: *Ceterum nihil* (hæreses) *valebunt, si illas TANTUM valere non mirentur.* Ac paulo post: *ideo mirantur, quasi, quod TANTUM valeant, ex aliqua veniat veritate.* Proxime in *cap. 1* sequentia restituo sic, clausa post *valeant* periodo: *Cum quid sortitum* (a) *est, ut omnimodo sit, causam accipit, ob quam sit,* id est, exsistat. *Hac* (subaudi, *causa*) *vim consequitur,* (nempe illud, quod existere oportet,) *per quam fit, ne esse* (id est, exsistere) *non possit,* hoc est, ut non possit non exsistere.

Cap. II legendum sic est: *Mirum scilicet,* (ironice loquitur,) *ut* (b) *malum vires suas habeat! Mirum,* (scilicet *est.* Vulgo perperam legitur *nisi.*) *quod hæreses apud eos multum valeant, qui in fide non valent!*

Cap. V initio apparet, male legi *adjungat.* Aut *adjungit* scribendum, aut *adjugat.* Prius exhibent Pamelius & Cerdanus.

(a) Observa, hoc verbum hic usurpari passive. Aliis quoque verbis, quæ deponentia vocantur Grammaticis, sic abutitur Noster, ut *fungi* cap. 29; *contestari* cap. 20; *interpretari* cap. 40; *operari* cap. 29.

(b) Id est, *quomodo.* Sic rursus cap. III: *Mirum, ut probatus aliquis retro postea excidat.*

nus. Mihi præplacet posterius. Hoc enim verbo Lactantius etiam utitur. Ac solet Tertullianus rarioribus vocabulis uti libentius.

Cap. VI statim in limine offendunt lectores. Quare pro: *Nec diutius de isto*, legendum: *Nec diutius disputo.* Nimirum Tertullianus capite proximo ex dicto Pauli *1 Corinth. XI, 18, 19* argumentando & consequentiam nectendo probarat, hæreses esse malas. Jam subjungit alium Pauli locum, quo diserte in carnalium operum censum referuntur hæreses. Qui locus cum omni sit exceptione major, Tertullianus: *Nec diutius disputo*, inquit, *si idem est Paulus, qui & alibi hæreses inter carnalia crimina numerat.*

Cap. VII de Philosophia legitur, quod sit *materia sapientiæ secularis.* Rescribo *mater.* Statim enim additur, eandem (Philosophiam) esse *temerariam interpretem divinæ naturæ & dispositionis.* Philosophiam autem Tertullianus vocat *matrem sapientiæ secularis* eadem analogia, qua ceteri Patres *Ecclesiam* appellitant *matrem*, quorum loca magno numero indicat Gotfridus Arnoldus in *Historia nominis fraterni cap. VII.*

Eodem capite, ubi Philosophorum sententiæ, ex quibus hæreses ortæ, enarrantur, perperam legitur *intervenit* pro *invenit. Ubi*, inquit, *materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est: & ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus invenit.*

Cap. VIII ita vulgatum est: *Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur. Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset: & cum adhuc nec Petrus illum Dei filium pronuntiasset: cum etiam Ioannes de illo certus esse desisset. Merito ergo tunc dictum est:* Quærite, &c. Pro *desisset* repono *quæsisset.* Hoc enim exigit & sensus autoris, ad historiam *Matth. XI, 2, 3* respicientis & consuetudo ejusdem utendi hoc verbo. Lege vel solum *caput X*, ubi decies vox *quærendi* repetita exstat.

Eodem Capite mendosissima hæc lectio habetur: *Nationes* (id est, ethnici) *vero nunquam* (fuerunt) *penes Deum, nisi stillicidium de situla, & pulvis ex area, & foris semper. Itaque qui foris semper, quomodo pulsabit eo, ubi nunquam fuit? quam janu-*

am

am novit, in quam nec receptus nec ejectus aliquando? an, qui scit, se intus fuisse & foras actum, is potius pulsavit, & ostium novit? Me judice ita scripserat Tertullianus: *Nationes vero nunquam penes Deum, (nisi stillicidium de situla & pulvis ex area,) sed foris semper. Itaque qui foris semper, quomodo pulsabit eo, ubi nunquam fuit? quomodo januam novit, in quam nec receptus nec ejectus aliquando? Annon, qui scit, se intus fuisse & foras actum, is potius pulsabit ad ostium, quod novit?* Hujus correctionis rationes jam reddidi in *Parergis Criticis p. 55 sq.* quo Lectorem ablegatum volo. Unum hic addo. Cum puriori sermone dicamus *pulsare ostium*, & *pulsare januam*, quorum illud Horatius habet loco jam a me indicato, hoc Ovidius *Tristium III, 2, 23;* minus casta illa formula *pulsare ad ostium* utitur etiam Augustinus lib. XIII Confess. cap. 38, totum illud opus hisce finiens verbis: *A te* (o DEUS!) *petatur, in te quæratur, AD TE PULSETUR. Sic accipietur, sic invenietur, sic aperietur. Amen.*

Rursus *eodem Capite* legitur: *Et hoc erga illos* (Apostolos) *facit. Quod si nationibus* (hoc est, ethnicis) *destinati doctores Apostoli, ipsi quoque doctorem consecuturi erant Paracletum, multo magis vacabat erga nos: Quærite, & invenietis.* Quid *vacabat* hic sibi velit, ex scopo orationis apparet. Scilicet *vacabat erga nos* significat *non pertinebat ad nos.* Emendo jam hunc locum ita: *Et hoc erga illos si vacat, qui nationibus -- multo magis vacabit erga nos*, &c.

Capitis X extrema valde corrupta sunt. En verba, prout in editione Thomasiana exhibentur: *Ergo itaque nusquam, dum ubique convenior:* Quærite, & invenietis: *& velut si nusquam, & quasi qui nunquam apprehenderim illud, quod Christus instituit, quod quæri oportet, quod credi necesse est.* Delenda primum sunt illa verba: *& velut si nusquam, &.* Est enim varia lectio verborum, quæ in margine annotata ipsius orationis corpori adhæsit. Quippe in aliquo exemplari pro: *quasi qui nunquam*, exstabat: *veluti si nusquam:* quæ verba postea adhuc magis corrupta sunt, & ita repræsentantur in editionibus

nibus (c) Pamelii ac Cerdani. Deinde omissa est vocula negativa. Legendum enim sic est: *quasi qui nunquam apprehenderim illud, quod Christus instituit, quod quæri NON oportet, quod credi necesse est.* In hoc ipso enim *capite* prædixerat, *quærendam* esse veritatem Christi, sed, ubi inventa fuerit, tum non esse amplius quærendum, sed credendum. *Ad hoc*, inquit, *quæris, ut invenias, & ad hoc invenis, ut credas. Omnem prolationem quærendi & inveniendi credendo fixisti. Hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi. Hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque NEC QUÆRERE.*

Cap. XV ita rescribo: *Si hæ sunt illæ vires eorum,* (hæreticorum,) quod (hæc subaudi ex antecedentibus,) scilicet ad scripturas provocando nonnullos seducunt, *dispici debet, cui competat possessio Scripturarum,* &c. Videmus hinc, verba illa: *uti eas habere possint,* omnino delenda esse pro glossemate satis inepto.

Cap. XXIII sic legendum esse, series sermonis suadet ac persuadet: *Neque enim, si ipse se Apostolum de persecutore profitetur, sufficit nil absque examine credenti, quando nec Dominus ipse de se testimonium dixerit.* Respicit Autor orationem Christi *Joan. V,31: Si testimonium perhibeo de memet ipso, testimonium meum non est verum.* Pro *nil absque examine credenti* Thomasiana editio habet: *unicuique examinare;* Pameliana & Cerdana: *unicuique examinate.* Neutrum potest locum habere.

Eodem Cap. lege: *Nec Dominum propterea magnificassent, quia adversarius ejus Paulus obvenerat.* Vulgo legitur *præterea.*

Cap. XXVIII sub finem scribas *doctrinas* pro *doctrinæ.* *Variasse,* inquit, *debuerat error doctrinas ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

Hoc

(c) Pamelius & Cerdanus eodem modo textum Tertulliani ediderunt, hic illum secutus. Quare de utroque idem fero judicium, quod parum critici acuminis habuerint, certe non ostenderint. Ipsorum enim editio textum exhibet inemendatissimum: ut videatur ars critica ipsis plane fuisse incognita.

Hoc mendum tam leve est, ut primum suspicarer, esse typographicum. Sed *doctrina* legitur in tribus illis, quibus jam utor, editionibus. Sufficiant hæc præsenti loco; quæ supersunt Annotationes Criticæ sive therapevticæ, eas exhibebo Suppl. T. VI Sect. V.

JOHANNIS AB HAMM, EXERCITAtiones Philologicæ sacræ de Ara interiore ejusque mysterio.

Herbornæ, sumtibus Joh. Nicol. Andreæ, 1715, 8.
Plag. 20 ½.

Figura aræ suffitus breviter a Mose & Josepho descripta, Ju-
dæis vero, qui eandem delineant, nunquam visa, non potest
non nobis hodie esse obscura atque in quibusdam partibus in-
certa. Novam exhibet ejus faciem juxta antiquorum documen-
ta formatam Clar. Hammius. Materiam, ex qua ara illa con- p. 6.
structa est, lignum Sittim & aurum ex Scriptura monstrat, reje-
ctisque Rabbinorum fabulis de plantatis Jacobi in Ægypto ce-
dris, & palatiis ab Israelitis ex iisdem in deserto exstructis, asse-
rit cum Hieronymo, illa ligna in eremo fuisse obvia. Cornua
altaris prominentias cum Talmudistis appellat, ex quatuor ejus
angulis prodeuntes, rejicitque curvaturas ad cornuum taurino- 15.
rum vel arietinorum figuram factas. In quo recedit a Sacchi
sententia, quam Myrothec. II cap. 65 proposuit, & inde pro-
bavit, partim, quod cornua taurorum & arietum veteris religio-
nis insignia fuerint, partim, quod gentiles, qui Israelitarum mo-
rem imitati sunt in aliis, ex cornibus altaria construxerint, par-
tim denique, quod altaria gentilium, quæ inter ruinas conspi-
ciuntur, religionis notam in cornibus ostendant. Porro גגו 20.
tectum ejus non cum vulgato aliisque de craticula; sed cum Jo-
sepho, oculato hujus rei teste, de ἐσχάρα foculo intelligit, quem
Josephus super hoc altari stetisse refert. Coronam, quæ aram
hanc cingebat, recte cum cymatio Architectorum comparat, 22.
quo supremæ trabeationis partes tanquam cingulo vel fascia
striata ornare solent. Aram sic ornatam ante velum Sancti San- 25.
ctorum, non in ipso Sanctissimo, quod Augustinus putavit, sta-

p. 33. tuit, & Paulum, qui ad Heb. IX, 3, 4. θυμιατήριον post velum in Sancto Sanctorum ponit, non de ara suffitus, sed de thuribulo summi sacerdotis, ab aliis thuribulis distincto, & a sacerdote quinta vice ingrediente ex adyto reportato locutum esse affirmat. Sed remanet dubium, quare Paulus hoc thuribulum cum arca, quæ perpetuo in Sancto Sanctorum manebat, composuerit, & illud cum hac in adyto fuisse dixerit. Fortasse respexit Apostolus Lapidem in Sancto Sanctorum positum, cui summus sacerdos imposuit thuribulum, & quem Talmudistæ אבן שתיה *Lapidem fundamenti* appellant, de quo legimus in Joma cap. V fol. 54 b. & in Maimonide Hilchot Jom Haccippurim Cap. IV §. 1 col. 223 b. Videtur mihi, eum Lapidem jam in templo primo a Salomone fuisse positum, inter duos arcæ vectes: non enim verosimile est, thuribulum in terra fuisse collocatum. Paulus sane non secundum, sed primum templum respexit, in quo arca fuit, quæ in secundo defecit.

Pars secunda tradit personas adolentes, summum & gregarios sacerdotes, materiam, tempus modumque oblationis. Materiam oblationis explicaturus Hebræum נטף *gutta* modo cum Judæis de balsamo, modo cum aliis de myrrha interpretatur. שחלת altera suffitus species ipsi est *onyx*, *ungula*, de qua Dioscorides Lib. II c. 8. Onyx est Conchylii operculum, purpuræ operculo simile, in India reperitur, in nardiferis paludibus, itaque & odores suavissimos afflat, quoniam conchylia nardo pascuntur. Colligitur, postquam æstus paludes desiccavit. Præstat subalbus & pinguis, qui e mari rubro affertur, Babylonius niger est minor, ambo sunt boni odoris, cum suffiuntur, castorei odorem aliquem referentes. Tertia species est Galbanum חלבנה a חלב pinguedine. Hoc Judæi in Kerithot fol. 6, 2 aromatis speciem esse contendunt, sive resinam, quæ odoramentis suavibus immiscetur, ad indicium malos esse inter bo-
39. nos tolerandos. Sed nostro Clar. Autori non credibile videtur, DEUM inter gratissimi odoris aromata Galbanum graveolentis odoris ad suffitum sacrum adhibere voluisse. Ideo Exodi XXX, 34 וחלבנה סמים ita vertit: *& Galbanum aromatum seu aromaticum*, putatque adductas voces esse in regimine positas, uti

LXX

LXX & Vulgatus legerant: nec obstare Sakkephum, qui non semper distinguat. Sed aliis hæc accentuum & LXX Senum conciliatio durior videtur: licet enim Sakkephus non semper tantum distinguat, magis tamen semper distinguit, quam sequens Tiphcha, uti ex omnium locorum inspectione patet. Neutiquam tamen improbatur Clarissimi Viri sensus, galbanum enim aromaticum intelligendum esse docent ipsa DEI verba: *Sume tibi aromata* (v. g.) *guttam, onychen & galbanum, aromata* (alia) *& thus purum*, uti Raschi interpretatus est, cum Samaritano, Chaldæo ut & Syro, si unicum distinctionis punctum transponas. Cap. III part. II inquirit Clar. Vir in reliqua aromata, p. 69.
quæ suffitui sacro a Judæis in Keritot cap. I fol. 78, 1, Maimonide in Kele Hammikdasch 78, 1, Josepho B. J. L. VI c. 6 & L. VII c. 15 adduntur. Hæc a Judæis ex arbitrio & non ex præscripto 80.
DEI addita fuisse, nec stante Republ. Judaica perpetuo in usu fuisse existimat, quia supponit, in templo secundo, inprimis posterioribus temporibus, cum pleraque in cultu divino ruerent in deterius, multas ceremonias esse additas cultui divino injurias. Si vero perpendamus, Jes. XLIII, 23 & 24 & Jer. VI, 20 quædam illorum aromatum cum holocaustis conjungi, probabilis est conjectura, Prophetas non de unguento, sed suffitu sacro esse locutos, adeoque plura aromata fuisse addita; videtur, reliqua aromata in arbitrio Mosis fuisse posita, uti & pondus, quod DEUS non definivit. Cap. IV plura curiosa ex Judæorum traditionibus hausta proponuntur, quibus modus suffiendi & benedicendi illustratur, quæ ibidem, quia prolixiora, legenda sunt. Sect. II Cap. I explicat rationem, cur Levit. II, 11, 12 mel 116.
suffitui admiscere prohibitum sit, putatque hoc factum esse ob Idololatras, qui in Dæmonum sacris melle usi sunt, teste Maimonide More Nev. Part. III c. 46, Pausania in Eliac. prior. Ezech. XVI, 17, 19, Hesychio in voce χοη, Homero Iliad. ψ, Porphyrio de Ant. Nymph. Altera ratio, quod mel non satis aptum sit precum Symbolum, quia quotidianus ejus usus nauseam & fastidium parit: sed prior ratio prægnantior videtur. Perlustratis prolixe, quæ DEUS in ara suffitus offerre prohibuit, pergit sect. III cap. I ad expiationem ejus, qua ad munus summi

sacerdotis spectabat. Inter alias expiationis ceremonias hircus quoque offerendus erat. quem Deus ex ea ratione præcepit, ut eo magis gentium & Ægyptiorum sacra detestaretur. Hi enim Dæmoniorum cultui addicti ea sub hircorum forma adorabant, teste Maimonide in More Nevochim L. III cap. 46. *Ex Zabiis quidam fuerunt, qui Dæmones colebant, eosque existimabant habere formam hircorum, unde & Dæmones* שעירים *hircos appellarunt.* Reliqua mittimus, & pauca de mysteriis
p. 213 per aram ex nostri Autoris sententia significatis adducemus. Pars tertia exhibet ea, non ex Judæorum, sed Christianorum mente: Judæi enim hic nihil fere vident velamine Mosis velati, nisi quod Abarbanel in Legem fol. 197 dicat: *eorum, quæcunque in Lege occurrunt, cujuscunque sint generis, hunc esse scopum generalem, ut sint instar Libri sapientiæ superioris & doctrinæ divinæ:* Christiani autem, Apostolorum autoritate fulti, per aram auream Christum depictum esse credunt. Hebr. XIII, 10, Eph. V, 2, Apoc. VIII, 3. Hanc Allegoriam persequitur Clar. Vir, non quidem Scripturæ testimoniis, sed conjecturis nixus. Sic materia aræ, quæ partim aurea, utramque Christi naturam adumbrari contendit: conjunctio porro ligni & auri in ara conjunctionem divinæ & humanæ naturæ in opere intercessionis Christi designat. Simili modo aræ forma quadrata, sibique per omnia similis, Christum notat eundem esse heri & hodie & in secula, Hebr. XIII, 8. Cornua quoque altaris Christi naturam & potentiam notant, unde salvare ad perfectum potest, qui per ipsum ad DEUM accedunt, semper vivens, ut interpellet pro nobis. Hebr. VII, 25. Tectum aræ, quod aromata & prunas ardentes recepit, promtissimam Christi denotat voluntatem & amorem erga electos, quo plenus igne Spiritus & amoris Act. II, Cantic. VIII, 6, fidelium preces tanquam thymiamata recipit. Corona & vectes divinorum mysteriorum fuerunt Symbola. Corona enim dignitatem & præstantiam intercessionis Christi, vectes vero, quibus de loco in locum portari poterat ara, significant Christum suæ Ecclesiæ omni loco adesse. Reliqua mittimus B. L. ad ipsum librum remittentes, sufficit præcipua esse adducta, ex quibus libri dignitas æstimanda est. Hoc tantum addimus, applicatio-

nes

ſtes ejusmodi, quæ ſine Scripturæ teſtimonio fiunt, tam certas non eſſe, quam reliquas in ipſa Scriptura indigitatas. Conjecturæ ſunt, quæ ſi ſponte fluant, tolerandæ, ſin minus, deſerendæ erunt.

CASPARIS PEZOLDI, POLIATRI VRATISlavienſis, Obſervationes Medico-Chirurgicæ ſelectiores.

Vratislaviæ, apud Mich. Hubertum, 1715, 8.
Plag. 13.

CUm Ars Medica vel Hippocratis effato longa ſit, nil magis congruum eſt, & adæquatum, quam ſi præcipua, imo ex Baglivi ſententia, omnia, etiam minima & vilia viſa ſymptomata accurate deſcribantur; hinc aliorum clariſſimi nominis Medicorum exemplis monitus Autor, non ſine fructu futurum credidit, ſi aliquot obſervationes Medico-Chirurgicas cum Medica Republica communicaret, qualium enormem copiam ei ægri ſuppeditarunt, apud R.R.F.F. Miſericordiæ decumbentes, e quibus tamen ſelectiores numero XCIV nunc exhibet. Speciminis loco pauca excerpemus. In Obſ. IX arthritidis vagæ mentio fit in viro habitus craſſi & pinguis, in qua poſt 14 dierum vagas horripilationes æſtus incanduit, cum vaga horripilatione tamen interſtinctus, & dolores ubivis vagi duodecima quaque hora ingraveſcentes, & non tantum artus, lumbos, pleuram, & plantas pedum, ſed & oculos, qui ſpaſmo vago alternatim torquebantur, lobos aurium, naſi apicem, dentes, cum ſenſu frigoris in vertice, mentum, imo extrema unguium lancinarunt. In Obſ. XV commemoratur ſphacelus αὐτοκρατείᾳ naturæ curatus in puero 11 annorum, qui febre petechiali correptus poſt 8 dierum delirium & aliquot ſeptimanarum aphoniam maculam latam nigram in gena dextra haud procul a naſo refloreſcentem recepit, ſphaceli indicium; ſeparata tamen eſt ſponte dextra medietas naſi, maxillaque dextra ſuperior una cum omni cute carneque oſſa illa contegente, imo caro quoque nova citra miniſterium artis hiatum illum enormem replevit. Humores actu frigidos aliquando excerni, plures obſervarunt Autores, Noſter vero, prout in

Obſ. XXXVI teſtatur, in curam ſuſcepit ancillam, quæ poſt varios fœtores ſuſceptos, rapasque & olera in copia frequentius aſſumta, in cardiogmum pertinacem &, ſapore oris tetro cepas æmulante, atque cœliaca comitatum inciderat, hauſto vero emetico quater copioſe ſuburram frigidam evacuavit. In Obſ. LXII claviculam ſiniſtram carioſam Chirurgi ope exemtam commemorat, absque bracchii motu impedito. In Obſ. LXXXIV in ulceribus pedum carioſis ſucci cochleariæ uſum tam internum quam externum admodum deprædicat. Et in Obſ. XCI otalgiam cum auditus difficultate potiſſimum ſcarificatione in vertice ſublatam dicit.

FREDERICI RUYSCHII, ANATOM. ET BOtanices Profeſſoris, nec non Academiæ Cæſareæ Curioſorum Collegæ, Theſaurus magnus & regius, qui eſt X Theſaurorum Anatomic.

Amſtelædami, apud Joh. Wolters, 1715, 4.
Plag. 13 Fig. Tab. 3.

SI Bartholomæus Euſtachius, cujus Tabulæ Anatomicæ proximo a nobis ſiſtentur Menſe, ob indefeſſum ſtudium, quod in cadaveribus humanis tantum non infinitis diſſecandis olim conſumſit, accuratiſſimus etiamnum audit Anatomicus, multo magis Autor noſter propter inſigne artificium, quo minima mire replere novit vaſcula, horumque reptatum oculis luculenter exponere, Princeps Anatomicorum noſtri ævi meretur ſalutari. Quam innumera enim tali arte præparaverit, præparataque poſſideat, cum Epiſtolæ & Theſauri Anatomici ab ipſo adhuc evulgati, tum præſens, qui X inſcribitur, palam teſtantur. Ut alii tamen eorum inſuper compotes fiant, pulcherrima omnium inventorum ſuorum ſpecimina in unum digeſſit corpus, quod Muſæi Ruyſchiani Anatomici titulo inſcriptum venale nunc offert cum Catalogo ſcripto, in quo præter cadaverculum humanum ſingula organa a vertice in calcem usque contenta deſignantur, non alios ad Theſaurum iſtum in ædibus ſuis ſpectandum admiſſurus, quam de quorum facultate ac voluntate eum emendi ſatis conſtaret, emtori autem ſecretam quoque præparationem

Præfat.

tionem variorum liquorum, in quibus diversæ partes conservan-
dæ venirent, sub fide silentii, ut alia, revelaturus. Partes inter p. 1.
ipsas in Thesauro præsenti X asservatas omnium primum oc-
currunt pili, nunc in atheromate omenti cujusdam mulieris hy-
dropicæ in fasciculum sesquidigiti longitudine collecti ac mi-
croscopio plani visi, nunc ex Rosmari labio superiore decerpti &
radices non minus cavas, ac plumæ avium, exhibentes. Hinc, ubi
per corpus reticulare nulla vasa sanguinea dispergi ex eo patuit, 4.
quod hæc repleta cutem quidem, neutiquam vero corpus reti-
culare summa perfundant rubedine, in epidermidis lepra affe-
ctæ superficie interna reliquiæ papillarum cutanearum longe
evidentius, quam in sanæ, ostenduntur. Atheromatis porro, in- 5.
ter musculos colli bovis reperti, peculiaris innuitur substantia,
ab Autore nunquam in alio atheromate visa, flava videlicet,
molliuscula & nitens instar pinguedinis carnis bovinæ recenter
coctæ & adhuc calidæ, cum pilis densissimis, radices in dictam
substantiam figentibus, non autem fasciculatim & confuse, pro-
ut alias in atheromate, locatis; pilos autem nostri corporis efflo- 6.
rescentias haberi papillarum nervosarum eo minus dubitatur,
quo magis dolorifica illorum evulsio esse solet. Circa linguæ 11.
humanæ apicem postquam Noster Epitheliam separavit, nul-
lum corpus reticulare, sicuti in lingua bovina, potuit detegere, 12.
in palpebrarum facie interna innumeras papillas nerveas per-
pendens ab iisque palpebrarum inflammatarum sensibilitatem
exquisitam deducens. Vasis dentium probe prius repletis per 14.
substantiam dentium molarium serra divisarum nervi & vasa
sanguifera pariter, ac per alia ossa, observantur dispersa. Embryo 15.
humanus magnitudine pollicis ita repræsentatur, ut distincte ap-
pareat, quomodo artus successu temporis e corpore debeant e-
mergere. Lobulorum vero pulmonis humani divisio & forma 21.
monstratur diversa a forma lobulorum pulmonis vitulini; inte- 25.
gumentum e diverso, quo placentæ uterinæ facies uterum re-
spiciens obducitur, quodque in Thesauro V succosum sive vil-
losum dictum fuit, nil nisi productio censetur Chorii, utramque
placentæ uterinæ superficiem cingentis, nullasque vasorum san-
guineorum uterinorum cum placentæ vasis anatomoses admit-
tentis.

p. 25. 63. tentis. Glandulæ mesenterii, cum a vasorum repletione summam præ se ferant rubedinem, pro eorundem vasorum sursum & deorsum decurrentium æque venditantur compositione, ac substantiæ earum mollities, quam Veteres pro parenchymate habuerunt, ab extremitatibus vasorum sanguineorum succosis
35. derivatur. Renibus succenturiatis in corpore humano rarissime, si unquam, certam esse figuram consideratione non minus
36. 37. dignum reputatur, ac in renibus ipsis arteriarum & venarum extremitatibus summam intercedere differentiam tam inter se, quam ab extremitatibus dictorum vasorum in aliis visceribus.
41. Quoniam penis eodem erigitur flatu, qui per tubulum inter cutem & membranam cellulosam, quæ Dartos vulgo audit, introductum inflat scrotum, ejusdem membri virilis erectio, quæ in cadaveribus militum tempore æstivo in prælio interfectorum ac super dorso decumbentium sæpius annotatur, humoribus in
53. tunica ista cellulosa fermentescentibus adscribitur. Ab arteria cystica non solummodo vesicæ felleæ prospici, sed & maximum ramulorum numerum per hepatis substantiam distribui, qui perperam a nonnullis pro vesicæ biliariæ radicibus delineentur,
68. jucundo evincitur spectaculo. Tandem, præter alia ossa præternaturaliter constituta, os tibiæ exhibetur a carie crassius eaque ratione deforme factum, ut extrinsecus undique exesum, intrinsecus contra maxima parte solidissimum compareat.

D. NICOLAI HIERONYMI GUNDLINGII, Sacri Tribunalis, quod est in Ducatu Magdeburgico, Consiliarii Regii & P. P. Diatriba ex Jure Feudali atque publico de Feudis Vexilli, vulgo Fahn-Lehn.

Halæ Magdeb. in Officina Rengeriana, 1715, 4.
Plag. 18.

COnsultissimus Autor, qui scriptis elegantissimis jam pridem singularem nominis famam consecutus est, materiam de Feudis Vexilli ex Jure Feudali & Publico explicaturus, vestigia illorum tam in veteri Romana Republica, quam inprimis antiqua Gaermanorum gente invenit, ubi Tacito teste juvenes *scuto frameaque* ornabantur, qua occasione monet, per frameam

neam hastam intelligi, eamque vocem a monasyllabo *fram, frum, frumam*, quod apud Gothos primum significat, derivari probat, ac contra Cangium, Spelmannum, Pithœum & Lindenbrogium affirmat, frameam idem ac veterem vocem *bruniam* significare, quam alii per loricam, alii per galeam explicarunt. Ostendit postea, hastam apud veteres Germanos regiæ vel publicæ potestatis insigne fuisse, quod etiam apud alias gentes obtinuisse ex Justini L. XLIII c. III n.5 & Turnebi adverſ. LXXII c. XII observat. Ornabantur hæ frameæ flammula, Fahnen dicta, quam vocem *fanon* omne linteum & operimentum significare, probat. Talia autem vexilla honoris causa præcipuis ex nobilitate, & qui de republica bene merebantur, solebant præferri hinc *fan, fanins* Consultissimo Autori ortum esse videtur, quod veteri Gothorum lingua dominos notat. Quum itaque ejusmodi hasta vel vexillum potestatis signum fuerit, hinc symbolo hoc Reges Francorum, &, qui in eorum locum certo modo successerunt, Reges Germaniæ beneficia & majora feuda vasallis suis concessisse credit, quod nonnullis antiquorum autorum firmat testimoniis, ubi *Annalistæ Nazariani* inprimis verba ad a. IↃCC LXXXVII notanda, de Thassilone Bavariæ Duce scribentis: *Tassilo Ducatum, quem a Pipino Patre quondam acceperat, Victori filio Carolo reddidit cum baculo, regiminis ei prius attributi Symbolo, in cujus capite similitudo hominis erat, & effectus est Vassus ejus.* Addit Cl. Autor observationes dignas, quæ notentur. De Banni voce, de Vexillis, quibus in judiciis majores nostri utebantur, quorum loco hodie baculi adhibentur, unde stabli judicia Stab-Gerichte/ & exemplo Bohemiæ Regis ostendit, Reges etiam vexillo fuisse investitos, cum alias Otto Frisingensis & Guntherus in Ligurino illos solo gladio initiari testentur. Episcopos olim sceptro, hodie eodem, quo seculares, symbolo investiri notat, Marchiones quoque vexillo donari, contra Chifletium probat, cujus rationem, quod Dux Brabantiæ Godofredus apud *Butkenium* in *tropæis Brabantiæ* insidens equo cum gladio exhibeatur, ac Marchio Imperii nominetur, falsam esse ostendit, quum non omnes, qui cum gladiis in sigillis conspiciantur, gladio etiam investitos esse constet. Comites etiam

& Barones feuda vexilli tenuisse probat, Fürsten-Lehn & Fahn-Lehn maxime differre, post Schilterum observat, variaque de Baronibus, Banderetis, Banner-Herren/ semper freyen inspergit, quæ non morabimur. Equites quatenus tales feudis non vexilli, sed loricæ, clypei, equorum gaudebant, quæ indicio erant, milites ad edictum loricis, equis, clypeis suetoque armorum genere præsto esse debere, quæ uberius doctissimus Gundlingius explicat. Civitates autem liberas nec proprie feudum, nec allodium vocari posse existimat, licet non neget, quod hodie quibusdam civitatibus quædam in feudum concedi soleant. Ad quæstionem: quando insignia intexi vexillis cœperint? Dn. Autor sub Heinricis, Lothario II, Conrado III & sequentibus Imperatoribus, quum expeditiones in Terram sanctam susciperentur, & ex omni fere orbe, qua Christianus est, Principes ac nobiles concurrerent, factum esse respondet, ut varias imagines, figuras atque signa seligerent, ne tot nationes, tot domini, tot milites confunderentur. A quo etiam tempore plura vexilla in investituræ actu adhibita fuisse notat, ut Celeberrimo Autori credibile videatur, regiones singulas per appicta insignia fuisse notatas, ut sic symbolo concesso, res intelligerentur plenissime traditæ. Ex reliquis multis quæstionibus atque observationibus, quibus publicum atque feudale jus præcipue illustratur, duas tantum attingere liceat, quarum altera est p. 69: cur hodie Imperii Principes non eadem solenni pompa & vexillis inaugurari soleant, ac olim factum? ad quam Dn. Autor respondet, quod, cum olim omnes, qui regalibus & banno sanguinis investiebantur, ipsimet coram Cæsare comparere tenerentur, quod exemplis probat, hodie autem propria persona comparendi necessitas Principibus non amplius incumbat, & ob sumtus aliaque incommoda a consuetudine discessum sit, accedatque, quod nunc autoritas & eminens imperii character haud pati videatur, ut ipsimet genua inflectant, & tot regulis allegati, tot cæremoniis fatigati faciant, quæ illorum juribus sane eximiis certo modo contraria esse credantur, unde evenisse putat, ut solennis illa investituræ pompa hodie prætermittatur. Altera quæstio p. 79 de Vicariis Imperii agit, de quibus disceptatur: utrum quoque

feuda

feuda vexillo conferant, an minus? Et licet in eo omnes consentiant, Doctores Juris publici, feuda vexilli Principum solius Imperatoris collationi in Aurea Bulla esse reservata, quod tamen ad Comitum feuda attinet, illos in partes ire notat Cl. Autor. Fundamenti loco ponit, Comitum feuda fuisse vexilli, Fahn-Lehen/ in cujus fidem diploma post *Petrum Becklerum* in Descript. stemmatis Rutheni & *Lunigium* adducit, in quo duo notatu digna occurrunt, primum Comites fuisse vexillis investitos, alterum fuisse etiam illos investitos a Vicariis. Rudolphus enim Palatinus, Imperii post occisum Adolphum Regem Vicarius, Heinrico seniori & Heinrico juniori Ruthenis beneficia porrexit, & quod notandum, vexilli symbolo seu Bannerio investivit, quia autem Comitatus Rutheni territorium ad vicariatum Saxoniæ pertinet, inde Dn. Gundlingio concludendum esse videtur, soli Palatino Septemviro olim jus investiendi per vexillum tributum esse, quod Kœppenius in Observ. Feud. statuit & ex Speculi Suevici L. I c. 144 n. 1 confirmatur. Ad principalem autem supra adductam quæstionem Cl. Autor respondet; Investituram Comitum per Vexillum Vicariis Imp. non esse ademptam, quod uberius probat, non tamen negat, posse Cæsarem ex speciali mandato Vicariis jus investiendi feuda Principum concedere.

JO. BURCARDI VERPOORTEN J. V. D. ET Advoc. Ord. Schediasma de Investitura Allodiorum ejusdemque originibus, usu, & autoritate præsente.

Coburgi, apud Maurit. Hagen, 1715, 4.
Plag. 20.

AGit in Præfatione Cl. Autor de iis, qui antea de eadem commentati sunt materia. Initio operis jure naturali per sola verba serio dicta translationem dominii fieri posse existimat, quod contra dissentientes Kulpisium, Hertzium, Hahnium defendit; populos tamen ab hac simplicitate Juris naturæ recessisse docet, qui ipsius potius rei traditionem vel solennes verborum formulas usurpare maluerunt, ut hoc modo lites tutius effuge-

fugerent, quod Chananitarum Gen. XXIII, 9, 17, 18, Hebræorum porro, Græcorum & Romanorum moribus illustrat. Docta sunt, quæ de stipulationibus Romanorum in transferendo dominio necessariis affert, qua occasione multas Romani juris antiquitates erudite explicat, in quibus eruendis post Sigonium cum successu versatum esse illustrem Spanhemium tradit, quem rara eruditione & rerum gerendarum insigni peritia venerandum, non delirum Senem fuisse, cujus umbram non assequatur mirus sui admirator aliorumque procax contemtor Gronovius, pronuntiat. Ad Germanorum mores transiens, stipulationem solennem apud ipsos exulasse animadvertit. Quamvis enim in antiquis rerum translatarum tabulis apud Marculfum *stipulationis* mentio injiciatur, Romanam tamen stipulationem minus indicari, sed vel seriam promissionem, **Gelübde / Angelobung**/ denotari, vel formulam illam per Monachorum imperitiam fuisse adscriptam, credit, qui quum in Codice Thedosiano, in Galliis tum usu recepto, stipulationis mentionem fieri viderent, sed quid intelligatur, nescirent, rem bene se habere judicarunt, si instrumentis insererentur promiscue. Ulterius probat Cl. Autor ex Salicis, Ripuariorum, Alemannorum, Gothorum, Longobardorum Legibus, quid circa traditionem sive allodiorum investituram sit notandum, cui rei explicandæ, variorum seculorum diplomata, Saxonici etiam (vid. *Weichbild* art. 20, 55, 60, 61) & Suevici juris provincialis, c. 308, testimonia affert, & quæ contrariæ sententiæ Autores proferunt, destruit. Differentiam investituræ allodiorum a cessione Romana ostendit, & solennes ceremonias priscæ illius investituræ recenset. Adjecit Cl. Autor Appendicem, qua Epistolam Celeberrimi quondam Theologi Christiani Kortholti ad suum patrem W. Verpoorten D. & Gen. Superintendentem Duc. Coburg. d. 14. Nov. 1677 scriptam exhibet, quæ de corruptis Theologorum judiciis, qui inprimis B. Spenerum damnarunt, & veram fidem scholasticorum commentis turbarunt, queritur. Proponit deinde Autor noster conjecturam de origine generosissimorum Dominorum de Tungen, quos a veteri voce *Tuncknum, Tunginum*, quam idem, quod **Dinggraf**, qui præest judicio indicto

cto, gehegtes gebannetes Ding/ significare videtur, originem nominis trahere Cl. Autori probatur, postquam alias nobiles gentes ab officiis, quæ olim administrarunt, suis, e. g. *Voigte, Amtmann, Marschalck, Truchseß, Schencken*, nomina sua accepisse constat. Eruditione refertum est Cl. Autoris opus, qui non mediocrem Romanarum atque Germanicarum antiquitatum notitiam his plagulis prodidit, seque elegantioris literaturæ studium cum Jurisprudentia conjunxisse ostendit.

HERMANNI ADOLPHI MEINDERS, CONSILiarii Regii & Gogravii Ravensbergensis, JCti Bilefeldensis, Dissertatio de Judiciis Centenariis & Centumviralibus sive Criminalibus & Civilibus Veterum Germanorum, inprimis Francorum & Saxonum, vulgo von den Cent-Gerichten der alten Teutschen.

Lemgoviæ, impensis Heinrici Wilhelmi Meyeri, 1715, 4. Alph. 2.

Consultissimus Autor, postquam generatim de origine judiciorum ex Jure Naturæ & Gentium Cap. I disputavit, ex Tacito de M. G. c. 12 probat, quod majores nostri sua judicia p. 6.
publica & criminalia æque ac Romani olim habuerint. C. II indolem judiciorum Centumviralium explicat. Tacitus iterum testatur: *Eliguntur & Principes, qui jura per pagos vicosque* 11.
reddunt, Centeni singulis ex plebe Comites, consilium simul & autoritas adsunt. In quem locum Berneggeri, Lipsii, Cluverii, Rhenani & quorundam JCtorum explicationes adjecit; ipse vero 15.
putat, Centenos ex Plebe Comites fuisse populum circumstantem, ex qualibet familia, quibus centena constabat, ad assistendum Comiti & judicandum electum, ac adjunctum, qui tam in Civilibus, quam Criminalibus caussis adhuc seculo XV & XVI adhibebantur. Docet postea, Germaniam in Pagos & Cen- 17.
tenas fuisse divisam, & Cap. III contra Kirchmeyerum, Conringium & Reinesium disputat, qui non *Centenos* sed *certos ex plebe Comites* apud Tacitum legendum esse censuerunt, probatque, 31.
Centenarum & Centenariorum judicum usum antiquissimis jam

 tem-

temporibus apud Germanicas gentes obtinuisse, quod multis
p. 51. comprobat Scriptorum testimoniis. Cap. IV id egit Cl. Autor, ut formam centumviralium vel criminalium judiciorum explicet.
60. 1) Personæ illud judicium constituentes fuerunt Comes, Vicarii Comitum, id est, *Gogravii* & *Frigravii*, & Scabini sive Assessores, de quorum numero Autores dissentiunt. 2) Variæ obser-
66. vabantur formulæ & solennitates, quas Cl. Meinders explicat, qui 3) causas ad hoc Centumvirale judicium pertinentes enume-
72. 78. rat, quæ omnes criminales erant & severissime puniebantur. Sic lege Saxonum dispositum erat, *Qui caballum furaverit, morte moriatur*, quare illa merito a Wippone crudelissima nominatur. 4) Formam Processus ac sententiæ conceptionem & publica-
82. 87. tionem, quæ in conventu publico & adstante turba sive multitudine convicinorum vel Pagensium, quæ der Umstand olim
88. vocabatur, fiebat, descripsit. 5) Loca judicii, quæ *Placita* sive
92. *Malla* & *Mallobergia* vocabantur, exponit. 6) Tempus judiciis criminalibus olim præscriptum ex Legibus Carolinis designat, ubi L. III Capitularium cap. 83 constitutum fuit: *Quatuor tantum in mensibus, in anno, Missi nostri legationes suas exerceant, id est in hyeme Januario, in verno Aprili, in æstate Julio, in autumno Octobrio. Ceteris vero mensibus unusquisque Comitum Placitum suum habeat, & justitias faciat. Missi autem nostri quater in mense & in quatuor locis habeant Placita sua cum illis Comitibus,*
103. *quibus congruum fuerit, ut ad eum locum possint conveniri.* 7) Varias jurisdictionum mutationes & conversiones, quæ mutata Reip. Germanicæ forma acciderunt, denotat, quorsum inprimis referri potest, quod illa jurisdictio Episcopis & Abbatibus concessa fuerit, quod non sine magno Imperii damno accidisse, re-
104. cte Cl. Autor affirmat. Quinto Capite in specie de occultis Westphaliæ judiciis agit: illorum formam ex Ænea Sylvio, Tritheimio, Aventino & Turckio describit: eur *Vemica* dicta
117. fuerint? exponit: illa a Carolo Magno instituta fuisse negat, & modum in creandis scabinis, insinuandis citationibus, item abusus, ob quos illa sublata sunt, explicat. Cap. VI de moribus, formulis ac ritibus agit, quibus olim in expiando homicidio utebantur, notatque, apud Germanos Veteres homicidium capitale

non

non fuisse, quod ob vindictam privatam, Septentrionalibus gen- p. 141.
tibus Francis etiam & Saxonibus licitam, qui duello vel privato
bello, quod antiquitus *feuda* postea *diffidatio* dictum est, illatas
injurias ulciscebantur, factum esse notat. Vindicabatur autem, 142.
ut Cl. Autori observatum est, tale homicidium aut per propin-
quos & cognatos morte & interitu interfectoris vel mulcta. Il-
lum se vindicandi per duella & diffidationes modum Principes 143.
omni modo tollere & circumscribere laborarunt, quod exem-
plis nonnullis comprobatur: mulctarum vero triplicia genera
& modi fuerunt. Primum genus *Freda* sive *fredus* & *fridus* di- 159.
ctum, sive redemtio pacis publicæ, id est, mulcta sive compositio
pro pace publica, quæ Regi vel Civitati, quæ læsa erat, pende-
batur. Secundum erat mulcta domino occisi hominis pendi
solita, quæ *Manbota* vocabatur. Tertium genus mulctæ sive pœ-
næ pecuniariæ *Wergildum* appellabatur & proximis interfecti
hominis cognatis & consanguineis tanquam occisi pretium præ-
stabatur, quibus de rebus ulterius Consultissimus Autor agit.
Cap. VII varia antiquarum jurisdictionum genera exponit, si- 172.
gillatim de Veterum Gravionum, Comitum, & Judicum judicia-
ria potestate agit, & ex Carolinis LL. ostendit, fuisse eo jam tem- 190.
pore quosdam Episcopatus a Comitum & Missorum Regis juris- 198.
dictione immunes, suis subditis per Advocatos & Vice-Dominos
jus dicentes, qui illud officium nomine & jure Regio administra- 201.
runt; sed Episcopos nullos ante Brunonem, Ottonis M. fratrem,
Archi-Episcopum Coloniensem & Ducem Lotharingiæ secula- 204.
rem potestatem & criminalem jurisdictionem jure proprio ob-
tinuisse existimat; imo Caroli IV ætate adhuc multos Episco-
pos & Abbates eximia illa jura non habuisse, sed ex singulari Cæ- 219.
saris privilegio accepisse, variis probat diplomatibus. Cap. VIII 233.
brevibus repetit ea, quæ adhuc scripserat Consultissimus Autor,
quibus Dissertationem de Gograviorum ac Scabinorum officio 249.
ac munere, nec non de antiquorum judicum variis differentiis
addidit. Accedunt excerpta ex Codice antiquo civitatis Her-
vordiensis, vulgo Schöpfen Buch dicto, qui circa annum 1350 269.
conscriptus esse videtur, quæ suis doctis annotationibus Cl.
Meinders illustravit. Sequuntur Appendices II ad Dissertatio-
nem

p.299. nem de origine, officio, ac munere Gograviorum. Prima de juribus illorum in Episcopatu Osnabrugensi & vicinis regionibus agit, ostenditque, Westphaliæ Episcopos XIII seculo secularem jurisdictionem nondum exercuisse, sed ut singulare Cæsaris privilegium haberent, siquidem ea uti voluerint, necesse fu-
316. isse. Altera Appendix quæstionem tractat: utrum nomina & officia dignitatum, ut Principum, Ducum, Comitum Centenariorum sive Assessorum Romani a Germanis & Francis, an vero Franci a Romanis acceperint? quam, postquam Beati Rhenani, Freheri, Brummeri, Hertzii, Conringii aliorumque sententias adduxit, ita decidendam esse credit, quod ejusmodi dignitates a Romanis non acceperint Germani, quas plurimas antea
336. jam habuissent: interim Freheri opinionem speciem veritatis habere statuit, qui in æmulationem & imitationem Orientalium Impp. a Francorum Regibus Seculo IV vel V multa instituta recepta fuisse scribit.

JOHANNIS JACOBI GRYNÆI, THEOLOGI Basil. Epistolæ Familiares LXVI ad Nobilem Virum CHRISTOPH. ANDR. JULIUM J. U. D. & Consiliarium Noribergensem scriptæ, quas ex Tabulis Manuscriptis in lucem edidit, & variis scholiis illustravit M. SIGISMUNDUS JACOBUS APINUS.

Francofurti & Lipsiæ, apud Wolfgang. Michahelles, Bibl. Noriberg. 1715, 8.
Plag. 15.

PErmultum rei literariæ, & inprimis Historiæ Ecclesiasticæ interest, ut epistolæ a Clarissimis Theologis olim exaratæ sedulo colligantur, ac temporum injuriis, quibus obnoxiæ alias fuissent, subductæ, posterorum oculis exponantur. Qua opera jam defunctus est Cl. Apinus, qui J. A. Grynæi Theologi primum apud Heidelbergenses, tum apud Basileenses ad C. A. Julium Consiliarium Noribergensem scriptas epistolas in publicum prodire jussit. Uti vero ipse in dedicatione fatetur Cl. Editor, illarum collectionem celeberr. D. Joh. Jac. Bayero, Professori Medico in Academia Aldorfina, acceptam refert, in cujus etiam

etiam ſcriniis præter alia elegantioris doctrinæ monimenta plures Joachimi Camerarii ad Mich. Rhotingum epiſtolas nondum editas latere ait, quarum centuriam ſe propediem cum eruditis communicaturum pollicetur. His autem epiſtolis vita Grynæi ex Melchioris Adami vitis Theologorum deſumta præfixa eſt, ubi &, quæ ſcripſit quondam Grynæus, ordine ſuo recenſentur. Plurima, quæ in epiſtolis deprehenduntur, ingenium, mores & vitam Grynæi, præcipue autem non mediocrem, quam in ſcribendo uſurpavit, elegantiam, mire adumbrant. Et quamvis multa ubique domeſtica, uti in familiari literarum commercio fieri ſolet, inſpergit, non tamen pauca, quæ ad rei literariæ & Eccleſiaſticæ, præſertim reformationis Heidelbergenſis, cognitionem faciunt, ſimul ſuppeditat. Controverſiæ Euchariſticæ, quæ illo tempore magna animorum contentione agitata eſt, ubi meminit, magnum erga Calvinianos favorem, erga Lutheranos vero odium luculentis indiciis prodit, quibus ubiquitatem vice plus ſimplici exprobrat; Ep. 21 Hierophantas vocat, & Ep. 54 ἀμαθίας incuſat. Quantum & ex Ep. 24 conſtat, ipſe ſuppreſſo nomine de controverſia Euchariſtica ſcriptum promulgavit. Ep. 33 exemplo Eraſmi, qui vivus Bibliothecam ſuam D. Joh. a Laſco vendidit, libros ſuos viro cuidam bono, uti loquitur, vendere cupit, propterea, quod cum diverſi diverſos ab ipſo utendos acciperent, ſæpe fiat, ut ſeu oblivione, ſeu incuria pereant, præterea & viſus imbecillitas faciat, ut multi libri ipſi non ſint uſui. Epiſt. 84 ſq de diſputatione, quam A. 1584 Heidelbergæ de Controverſia Euchariſtica cum aliis ſinceræ religionis propugnatoribus habuit, aliqua ediſſerit, quibus ſibi victoriam, opponenti vero ſuo D. Marbachio ignorantiam attribuit. Ep. 56 in Tragœdia Guiſiana notatu dignum fuiſſe cenſet, quod eo ipſo loco caſtri Bleſenſis interfectus fuerit Guiſius, quo ipſa conjuratio de Perſecutione Bartholomæana pridem coaluerit, diesque emortualis in diem natalem Regis Navarræ inciderit. Non autem vano animi augurio Grynæus addit: Omnium judicio ſanorum Rex Franciæ eſt ἀπὸ ξυροῦ ἀκμῆς: Guiſiani ſubornabunt percuſſorem, qui glorioſum ducet Rege tanto occiſo occumbere. Illud enim A. 1589 factum,

cum Henricus Rex a Clemente Monacho Dominicano perfoderetur, Historiarum monumenta docent. Ceterum, si qua in his epistolis obscuriora & intellectu difficiliora occurrunt, Cl. Editor doctis, quæ ubique attulit, Scholiis ita explanavit, ut vix quicquam scrupuli legentibus relictum videatur. Unicum ut decerpamus, nempe ubi Grynæus Ep. 3. daß Cœlestinus [den Basel Stab zu der alten unmundirten Augspurgischen Confession neben andern habe drucken lassen;) ex Wagenseilio memorat, ita vocari Basileensium insignia, quæ mire torserint interpretes, quia Galli *un Estui de Crosse* ein Futter über einen Bischoffs-Stab/ Germani einen Fahr-Stachel/alii ein Ding/figura nigra, alii alio nomine appellaverint, cum tamen potius sit anchora seu hamus, quoniam, ut ex Christiano Urstisio refert Petrus de Andlo, Basileenses Piscatorum Imperii Romani officium habuerint. Ad reliqua Scholia, quibus tum Grynæum sibi in causa sua plus justo tribuentem refutat; tum & rem Historicam & Genealogicam, præcipue Noribergensium, illustrat, Lectorem ipsum ablegamus.

EXCERPTA EX LITERIS DIE III JUNII 1715 ad Collectores Actorum Eruditorum Lips. Parisiis missis, de corpore S. Firmini.

A Viginti circiter annis gravis orta est controversia inter Canonicos majoris Ecclesiæ Ambianensis ex una parte, & Abbatem ac Canonicos regulares sancti Acheoli juxta muros urbis Ambianensis ex altera parte, de loco ubi quiesceret corpus beati Firmini Confessoris & Episcopi Ambianensis. Tum litis initium fuit, cum anno 1697 novum altare Deo Optimo Maximo in Ecclesia sancti Acheoli exstructum est. Semotis ruderibus detecta est, quæ diu latuerat, cavernula, ibique deprehensi quinque tumuli lapidei, quorum alii cineribus & ossibus humanis pleni sunt, alii omnino vacui: ex illis unus est, cui superposita tabula lapidea quosdam exhibet characteres seu literas aliquam cum nomine FIRMINI similitudinem exprimentes. Canonici regulares hanc arripuerunt occasionem voce & scriptis asserendi, corpus Sacri Antistitis apud se asservari. Per-

antiquam

antiquam suam possessionem & cultum tempore immenso reliquiis in theca sancti Præsulis nomine insignita inclusis exhibitum objecerunt Canonici Ambianenses, eorumque causam editis in lucem libris suscepit Nicolaus Delestocq Presbyter, Doctor e societate Sorbonica, Ecclesiæ Ambianensis Canonicus Theologus, Illustrissimi Ambianensium Episcopi Vicarius Generalis. Tandem ut contentio omnis sedaretur, amputareturque in posterum disputandi materies, Illustrissimus Episcopus Ambianensis Petrus Sabatier, vocatis prius Canonicis sancti Acheoli, nec non primariis urbis viris atque ordinibus, iisque, quibus adesse libuerat, in chorum insignis Ecclesiæ congregatis die 10 Januarii anni hujus 1715 præfati *Firmini* thecam, quæ ab Acheolianis omnino vacua dicebatur, reclusit. Ex ea extractæ sunt Sancti Præsulis reliquiæ, quarum partem aliam conflant ossa integra, partem aliam ossium fragmenta & cineres inclusi in sindone alba panno serico Britannico undulato lineis candidis & cœruleis distincto circumcincta: quæ quidem universa magnitudine sua referunt volumen quoddam figuræ cylindricæ, cujus longitudo est duorum circiter pedum, diameter vero pollicum quinque. Circa volumen istud hæc erat veteris scripturæ inscriptio: *Hæ sunt reliquiæ Sancti Firmini Confessoris.*

Ex eadem theca deprompta est pixis lignea, qua continetur exemplar authenticum in pergameno integro, nec ulla macula vitiato, confectum anno 1279 die 16 Maji, quod fidem facit, dictis die & anno corpus Sancti Firmini Confessoris & Episcopi Ambianensis in hac capsa fuisse reconditum. Hujus instrumenti tenor hic est:

Universis præsentes literas inspecturis Guillelmus Archi-Episcopus Rothomagensis, Philippus Ebroicensis, Reginaldus Belvacensis, Guido Lingonensis, Robertus Bathoniensis, & Guillelmus Ambianensis Dei gratia Episcopi Eternam in Domino salutem. Noveritis quod anno incarnationis Dominice millesimo ducentesimo septuagesimo nono, decimo septimo Kalendas Junii, Pontificatus Domini Nicolai Pape tertii anno secundo, Reverendissimus Pater & Dominus, Dominus Simon etiam Dei gratia tituli sancte Cicilie Presbiter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, Excellentissi-

mis Philippo Dei gratia Franciæ & Edovardo Angliæ Regibus, Karolo Principe Salerni, filio Excellentissimi Regis Siciliæ & nobis præsentibus; nec non multis aliis Principibus Regnorum Franciæ & Angliæ, Abbatibus, Magnatibus, & Cleri & populi multitudine copiosa, Corpus beati Firmini Confessoris atque Pontificis Ambianensis quondam in præsenti theca reposuit, illa solemnitate adhibita, quæ consuevit in talibus adhiberi, in cujus rei testimonium ad perpetuam rei memoriam præsentes literas sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum ut supra.

Hæc & plura legere est in instrumento ab illis, quotquot præfatas reliquias lustraverunt & recognoverunt die 10 Januarii 1715 subscripto, quod publici usus factum est.

Unde patet, non minus juste quam pie ab Illustrissimo Episcopo Ambianensi die 12 ejusdem mensis dato in hanc rem solemni mandato edictum fuisse, ut quotannis pro more & instituto majorum dies 10 Januarii recolendæ translatarum reliquiarum beati Firmini memoriæ deinceps addiceretur. Quibus instrumentis victus religiosus Abbas sancti Acheoli Petrus Del'etoille chirographo suo, a duobus Tabellionibus Regiis die 23 Januarii anno 1715 excepto, rem totam approbavit, atque addidit, sibi multum displicuisse, quæcunque adversus Clerum Ambianensem, maxime vero Canonicorum Majoris Ecclesiæ ordinem vel dicta vel acta sunt, quibus forte læsa est, quæ iis debetur, reverentia.

LA PRATIQUE DU THEATRE PAR L'ABBE D'AUBIGNAC.

i. e.

USUS AC LEGES THEATRI, AUTORE Abbate d'AUBIGNAC.

Tomi III.

Amstelodami, apud Io. Frid. Bernhard, 1715, 12.
Alph. 2 pl. 3.

Res

REm politioris literaturæ amatoribus gratissimam fecit Amstelodamensis Bibliopola, quod Celeberrimi Abbatis d' Aubignac opus de Theatri legibus ac usu, hactenus raro obvium, recudi fecit. Composuit illud quondam Autor jussu Cardinalis Richelii, elegantioris litteraturæ egregii promotoris, qui de hoc laboravit, ut dramata Gallica, quæ antehac mire degeneraverant, ad antiquorum ludorum exemplum componerentur. Interim ipse librum hunc non nisi majoris operis prodromum esse profitetur, quod lucem quidem non vidit. Quatuor ille libris absolvitur, quorum primo generalia de suo proposito exponit, & antiquorum regulas, quibus in ludis theatralibus componendis & repræsentandis utebantur, recenset, simulque ostendit, quomodo veritati fictiones debeant immisceri. Secundo libro docet, qua ratione ipsa historia, quæ in Dramate tractatur, elaborari possit, cujus prima virtus, ut veritati similis esse videatur, per intervalla nimium non interrumpatur, nec tempus nimis longum eligatur, quo res accidisse fingitur, quod secundum quorundam opinionem ultra id spatium, quod inter Solis ortum & occasum intercedit, protendi non debet; quæ pluribus explicat. Libro tertio & quarto de reliquis, quæ in Dramate consideratu digna sunt, ut de varia ejus divisione, de personis agentibus, de repræsentationibus, loquendi modis, Theatri dispositione & quæ id genus alia sunt, edisserit, quibus Examen prioris Tragœdiæ Sophoclis, quæ Ajax nominatur, item Criticam Gallici Dramatis *Panthee* dicti, & dissertationem de optimo Gallicum Theatrum ordinandi modo adjecit.

Secundam hujus editionis partem constituunt doctissimi Menagii observationes in tertiam Terentii Comœdiam, *Heavtontimorumenos* dictam, quibus ostendit, contra Aristotelis in libro de Poetica observationem, qua ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου Tragicos & Comicos Autores suum opus absolvere debere docet, Comœdiam illam duorum dierum spatium complecti: quandoquidem in primo & secundo actu vesperæ cœnæque mentio fiat, & insequentis diei actum ordiatur hoc verbo senex *Lucescit.*

Tertia Pars duas Abbatis d' Aubignac dissertationes in eandem Comœdiam exhibet, quibus in eo laborat politissimus Autor, ut probet, spatium, quo ejusdem comœdiæ fabula peragi potuerit, non ultra decem horas complecti, nec in regulas antiquorum hoc loco impingi, quibus alias observationes lectu dignissimas adjunxit.

JO. FRIDER. WEIDLERI, MATHEM. PROF. Publ. Extr. Exercitatio de Phosphoro Mercuriali, præcipue eo, qui in barometris lucet, & ejus rationibus, una cum Schediasmate, in quo Apollonio Pergæo promotæ doctrinæ Curvarum Gloria vindicatur.

Witembergæ, apud Viduam Gerdesianam, 1715, 4.
Plag. 11½.

IN duo capita tractationem suam dividit Cl. Autor. Capite primo historiam phosphori Mercurialis tradit & phænomena ejus recenset: altero rationes eorum reddere conatur. Historia ex his Actis abunde nota. Nimirum A. 1675 *Picardus* forte fortuna deprehendit Mercurium barometri in tenebris lucentem. Ex intervallo *Johannes Bernoulli* data opera phosphorum Mercurialem parare docuit. Modum cum non satis caperent Academici Parisienses, *Dutallius*, Medicus Parisinus, sæpius iterato cum successu experimento *Bernoullium* publice defendit in Novellis Reip. literariæ Viri doctissimi *Bernhardi*. Sinistre de invento judicavit *Hartsœkerus*, cui responsum est obiter in Actis A. 1711 p. 321. Barometris lucidis reddendis insudavit quoque Cl. *Polenus* & apud Anglos industrius *Hauksbejus* phosphorum *Bernoullianum* imitatus. Rationes redditurus primum contra ingeniosissimi *Bernoulli* theoriam disputat, repetens ea, quæ olim *Morinus* contra materiam subtilem objecerat *Cartesio* & negans pelliculam ex aere Mercurio contractam motum materiæ subtilis impedire posse, quia tantum superficiei imminet, non totam Mercurii substantiam pervadit. Ipse hypothesin suam his verbis enunciat: *Lucula a Mercurio in tenebris concusso diffusa*

fusa originem suam unice ducit a repercussione serierum aetherearum sive radiorum lucis, impetum directum vel saltem nisum ad eundem, qui a violenta pressione siderum, praecipue Solis, proficiscitur, superstitem semper etiam in tenebricosis locis conservantium. Non autem explicat, cur stante hypothesi sua, phosphorus Mercurialis fortius luceat in cellis subterraneis, quo lumini Solis atque stellarum aditus omnis praecluditur, minime autem in luce diurna, Solis praesertim meridiana. Antequam ad hypothesin suam accedit, lucis naturam explicare conatur, quam cum *Cartesio* globulis aethereis acceptam fert, aliqua tamen cum differentia. Neque enim corpus aethere subtilius admittit, sed interstitia omnia inter globulos aethereos, seu elementum *Cartesii* secundum, vacua imaginatur. Praeterea perinde ac *Hartsækerus* elemento suo secundo globulis aethereis absolutam duritiem & levitatem assignat, a Deo in prima creatione ipsis tributam, cujus adeo aliam rationem non reddit, praeter voluntatem Dei. Similiter iisdem motum vertiginis adscribit, per rectas, ut ait, quaquaversum lineas continuatam, itidem a nutu Numinis solo pendentem. De istiusmodi hypothesium valore dictum est alibi in his Actis A. 1713 p. 311. Ceterum Noster hac occasione de Sole agit & illorum hypothesi applaudit, quibus maculae planetae circa Solem rotati visae sunt, ut scilicet defendere possit, Solem ex puro aethere compingi. Commemorat quoque experimentum *Hauksbeji* de globis evacuatis & rotatis lucentibus, quod praeeunte in Gallia *Polynierio* instituerat & de quo diximus in Actis A. 1709 p. 237.

Schediasma, quod dissertationi subjungitur, est programma, quo lectiones publicas significavit ad Professionem Mathematum nuperrime promotus. In eo *Apollonium* defendit contra *Vossium*, qui fretus autoritate *Pappi* asseruerat, ipsum a discipulis *Euclidis* multa de Conicis accepisse, & inprimis contra *Heraclium*, qui teste *Eutocio*, perhibuit, *Archimedem* primum consignasse elementa Conica, *Apollonium* vero, cum sciret, ea nondum edita esse ab Autore, involasse in ea & pro suis venditasse: quod probabile visum fuerat *Guidoni Ubaldo* aliisque.

Putat

Putat enim, *Archimedem* ſublimiora & magis præclara in Geometria daturum fuiſſe, ſi *Apolloniana* ſciviſſet.

TENTAMEN ASTRONOMICO-PHYSICUM, quo nova inventio de vero Planetico-Solari ſyſtemate palpabili modo demonſtrando proponitur, eaque ſimul occaſione ipſis ſenſibus evidentiſſimæ quædam demonſtrationes exiſtentiæ Dei & creationis ac conſervationis univerſi exhibentur; Autore A. M. SCHMIDT.

Lunæburgi, literis Sternianis, 1714, 4.
Plag. 3.

NOn ignotum eſt rerum naturalium curioſis experimentum *Merſenni*, quo globus plumbeus e tormento perpendiculariter erecto diſploſus in terram non iterum recidiſſe fertur. Id minime probabile videtur Noſtro, qui ſibi perſuadet, ob motum vertiginis Telluris globum verſus occidentem decidiſſe, adeoque ejus veſtigia in plaga occidentali convenienti intervallo quæri debuiſſe. Hoc adeo experimentum commendat, ut cum multa circumſpectione iteretur ad motum vertiginis Telluris comprobandum. Exiſtentiam Dei probat primum per motum planetarum curvilineum a gravitatione in Solem pendentem, de quo dictum jam eſt in Actis A. 1710 p. 459. Addit deinde argumentum alterum ab elaſticitate aeris petitum. Ex ea enim, cum mundus ſit finitus, ſequeretur momentanea univerſi cœli diſploſio, niſi ens aliquod omnipotens ac ſapientiſſimum, hoc eſt, Deus id cohiberet. Ceterum Cl. Autor promittit novam gravitatis & motus theoriam, in quo ab aliis obſcurius tradita clarius ſit explicaturus.

LECTORI.

Proſtat Supplementorum Tomi VI Sectio IV, quam proxime etiam quinta excipiet.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno M DCC XV.

TABULÆ ANATOMICÆ CLARISSIMI VIRI, Bartholomæi Eustachii, quas e tenebris tandem vindicatas Præfatione Notisque illustravit JO. MARIA LANCISIUS, Cubicularius & Archiater Pontificius.

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1714, fol. Alph. 1 plag. 20 Figur. Tab. 47.

ANatomicos inter, qui seculo decimo sexto inclaruerunt, Bartholomæus Eustachius, Sancto-Severinas, Medicus & Philosophus, tanto majorem nominis meruit celebritatem, quanto majus studium, cum in brutorum, tum in hominum pene infinitorum corporibus incidendis, multos per annos Romæ collocavit, quantoque fidelius plura observata cum publico in Opusculis suis Anatomicis communicavit. Hæc siquidem, Renum structuram, officium & administrationem, Auditus organa, Examen Ossium, Capitis motum, Venam, quæ ἄζυγος Græcis dicitur, aliamque, humerariæ propaginem, atque Dentes pertractantia, postquam Venetiis A. 1563 in 4 lucem primum aspexissent, tam avide ab artis anatomicæ cultoribus excepta fuerunt & distracta, ut Petrus Matthæus Pinus, Urbinas, quem vivus laborum suorum socium esse voluerat, alteram eorum editionem Venetiis pariter A. 1574 in 4 paraverit, sed partim Autoris Annotationibus ex Hippocrate, Aristotele, Ephesio, Aretæo, Galeno, Vesalio, aliisque, quorum opera in scribendo adjutus fuerat, partim Tabulis nonnullis anatomicis, Renum potissimum conformationem, tria ossicula auditus cum aliquo mallei musculo, brachii vasa

ſanguifera & dextrum cordis ventriculum dilucidantibus locupletatam. Nihilominus & hujus exemplaria quoniam dudum defecerunt, omnes, qui laudata Euſtachii Opuſcula rariſſima, lectu tamen digniſſima, fruſtraneo quæſiverunt auſu, plurimum Clariſſimo Hermanno Boerhaave debent, quod primam eorum Editionem, a Nobiliſſimo Hotton obtentam, Lugduni Batavorum A. 1707 elegantibus typis in 8 exſcribi atqne ex altera Figurarum Tabulas, in Bibliotheca Cl. Ramazzini repertas, non minus ac Lealis Scriptum de Partibus ſemen conficientibus in Viro, addi curaverit. Aſt cum Euſtachius non ſolummodo de Renum ſtructura Cap. 16 Tabularum ſuarum anatomicarum, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo ære inciſarum, mentionem injecerit, ſed & ſub Opuſculorum frontiſpicio Lectorem ſex & quadraginta Tabulas æneas librumque de Diſſenſionibus ac Controverſiis anatomicis propediem ſperare juſſerit, multi quidem incredibili deſiderio Tabulas haſce videndi merito flagrarunt, an voti tamen ſui unquam compotes futuri eſſent, tantum non deſperarunt. Et certe jactura commendatarum Tabularum æque ac libri de Controverſiis anatomicis etiamnum deploranda veniret, niſi Illuſtriſſimus Lanciſius eaſdem apud Rubeorum familiam adhuc latentes ſumma Summi Pontificis perſpicacia & autoritate ex ſtudioſiſſimi Pini capſis in lucem duobus abhinc annis protrahere, ac protractarum impreſſioni, quam hic ſiſtimus, anno elapſo Romæ abſolutæ, multum inſuper ſplendoris doctiſſimis ſuis epiſtolis & notis, itemque Fantoni & Morgagni literis, adjicere contendiſſet. Ex quibus omnibus, immortalem Euſtachii gloriam decantantibus, pauca ſolummodo referre hic liceat, quorum præter alia primum inventorem aut ſaltem delineatorem Euſtachium extitiſſe, tum Opuſcula ejus anatomica, tum præſentes Tabulæ, aperte loquuntur, etiamſi nonnullorum iſtorum inventionem alii poſtmodum ſibi tribuere fuerint anniſi. Quemadmodum enim ille omnium conſenſu glandulas renibus incumbentes, quas Caſſerius poſtea Renes ſuccenturiatos, Thom. Bartholinus Capſulas atrabilarias, & Whartonus Glandulas ad plexum ſalutarunt, de Renum ſtructura cap. 6 cum earum ſitu primum con-

consignavit, ac in epistola de Auditus organis meatum, a caverna tympani sive conchæ in narium cavitatem latiori foramine terminantem, ideoque Tubæ Eustachianæ titulo a multis insignitum, primus indigitavit, ita & tertium ossiculum auditus, quod stapedem appellant, multo ante, quem Fallopius inventionis ejus laudem in Johannem Philippum ab Ingrassia referret, Romæ non paucis se ostendisse atque in æs incidendum curasse, in laudata de Auditus organis epistola commemorat, externum una musculum, in majorem mallei apophysin insertum, exacte primus describens ac in Tab. 7 duabus Figuris exprimens. Equorum adhæc venam albam & aquei humeris plenam, quæ posterius a vena jugulari interna ostio semicirculari oriatur, nec longe ab ortu in duas partes scindatur, paulo post rursus ita coeuntes in unam, ut hæc nullos ramos diffundens juxta sinistrum vertebrarum latus, penetrato septo transverso, deorsum ad medium usque lumborum feratur ibique latior effecta magnam arteriam complectatur, dum in Antigrammate 13 Tr. de vena sine pari detegit, quid aliud innuit, quam ductum thoracicum atque receptaculum lumbare in equis primum a se fuisse visa, multo post a Pecqueto accuratius in canibus observata. Renum porro membranam propriam in horum cavo introrsum reflecti, atque vasorum ramos excipere exceptosque per omnem renum ambitum suffulcire, de Renum structura cap. 17 distincte non minus, ac substantiam, quæ in gibba renum cernitur, perquam tenuissimis ac visum propemodum effugientibus vasorum ramulis ubique haberi refertissimam, caruncula vero sive papillas ex canaliculis resultare pilorum instar subtilissimis, lotium in pelvis tubulos percolantibus cap. 7 scite annotavit, totamque Renis humani conformationem internam in Tab. I Figura 1, arteriarum vero venarumque ramos, & pelvis tubulos Fig. 2 adumbravit. Sepositis tamen Tabulis 8 prioribus minoribus & Bartholomæi nostri Opusculis etiam anatomicis adjunctis, ex reliquis 39 Tabulis figuras nunc totius corporis humani, nunc singulorum ejus viscerum, nunc vasorum sanguiferorum & nervorum, nunc musculorum & ossium, eleganter repræsentantibus, quæ in Tab. 12, 16. 17, 18, 27, 29, 35, 37, 40, 41,

 42 &

42 & 46 Lancisio & Morgagno celeberrimis potiora fuerunt visa, haud gravabimur attexere. Nempe in Tab. 12 Fig. 3 & vesiculas seminales, & deferentium vasorum cum iisdem conjunctionem, & duos seminis in capite, ut vocant, gallinaceo meatus perspicue depicta primus dedit, in Figura 7, qua vesicularum dictarum sedes a posteriori parte ostenditur, vesicæ urinariæ simul fibras monstrans, quas de Renibus cap. 13 dixerat crassas, fere carneas, variasque, quoquoversum distributas, ut intuentibus multarum tunicarum speciem habere viderentur. In Tabulæ 16 Figura 3 præter auriculam dextram, cavam superiorem a jugulo reducem, ventriculum dextrum per longum sectum, attentione maxime dignas Illustrissimus Lancisius duas censet valvulas, alteram majorem, quam seculo ante Lowerum Eustachius demonstravit, & alteram minorem, orificio venæ coronariæ admotam, cui lauditissimus Vir insignem in Tractatu, quem de motu cordis pollicetur, adjudicabit usum. Tabulam 17 & 18, quas consideratione omnium dignissimas Morgagnus reputat, attentius lustrantibus ac in Tab. 17 Fig. 2, 4 & 6 studiosius examinantibus haud difficulter patescet, Eustachium haud latuisse medullæ oblongatæ duo genera processuum cum cerebello commissorum, inferiores videlicet, a Varolio postmodum sibi adscriptos, atque superiores, a testibus juxta Willisium ad cerebellum protensos, cum ipsis nervis patheticis ab hisce prodeuntibus, nec ipsum præteriisse duplicem processum choroideum ac nervorum opticorum circumductionem veramque originem, tametsi Ridley duplicem ab utroque latere processum choroideum a nemine ante se observatum fuisse perhibeat, dictamque nervi optici incurvationem cum exortu vero Varolius itidem sibi adscribat. In Tabula vero 18 Fig. 1 & 2 accuratius excutientes, ibi non modo portionem duram nervi acustici, sed & hujus post inflexionem, quam in aquæ ductu subit, cum chorda tympani, a pari quinto proveniente unionem, demumque cum hoc eodem pari conjunctionem, hic autem decem nervorum parium intra cranium egressum ex medulla, reperient, licet Eustachius non nisi septem, priscorum lingua utens, in Opusculis dixerit. In Tabulæ 27 Figuris 2 & 4 ex mutuæ vaso-

vaſorum meſaraicorum ad modum arcuum communicationes tam eleganter occurrunt expreſſæ, ut vix melius a Joh. Henrico Pauli in Anatome Anatomiæ Bilſianæ exhibitæ fuerint. In Tab. 29 primus omnium Euſtachius occipitales pinxit muſculos, quos Fallopius a reliquis omnibus Anatomicis ſcribit eſſe prætermiſſos. Tabula 35 maſtoidæos muſculos, & duplicem habere originem, & ſic in duos utrinque dividi poſſe, ut Euſtachius adverſus Veſalium in Opuſculo de motu capitis ſcripſerat, dilucide oſtendit, prout ea, quæ adverſus eundem de duobus capitis muſculis, quos complexos vocant, in proximis ſuperioribus periodis attulerat, a Tab. 37 confirmantur. In Tab. 40 ea cernere licet, quæ Euſtachius in Examine Oſſium a ſe præſtita enarravit, *Nonne*, inquiens, *ſoluto prius oculo in ſingulas ſui membranas, quod vix animus capere poteſt, foramen nervi viſorii Tibi & aliis, vel multis reclamantibus, ante oculos ſexcenties poſui?* quasque venas & arterias *a cerebro per intimiorem nervi viſorii ſubſtantiam trajici ac inde in retinam oculi tunicam diſpenſari* in Libri de multitudine (quem librum Euſtachius cum ſuis Annotationibus ad Erotiani vocum Hippocraticarum Collectionem Venetiis A. 1566, in 4 emiſit) Capite 32 affirmavit. Cl. Morgagnus ipſe lætatur, quod Euſtachius in Fig. 5 & 12 Tab. 41 veros muſculorum ſterno- & hyo-thyroidum indigitaverit terminos, quos primus innuiſſe ſibi viſus erat in primis ſuis Adverſariis Anatomicis, a nobis in Actis A. 1708 p. 29 recenſitis, quodque nec diſſimili a ſe ratione unam itidem glandulam thyroideam cum appendice per thyroidis faciem ſurſum ſæpe protenſa in Fig. 5 & 8 dictæ Tabulæ propoſuerit, muſculosque pariter arytænoideos, ſe invicem decuſſantes, in Fig. 1 & 2 Tabul. 42 adumbraverit. Quibus demum addere juvabit, in Fig. 3 Tab. 46 Cranium delineari, Sutura ſagittali deſtitutum, ceu cujus defectum Euſtachius in oſſium examine frequenter a ſe detectum fuiſſe aſſeruerat. De cetero quomodo ſingulæ partes in Tabulis, quos gradus, tum perpendiculares, tum transverſales ambiunt, ope Regulæ, ex charta vel ære conſtruendæ, rite ac promte queant inveniri, Franciſcus Soldatus Lectorem uberius docet in ſuis Monitis, cum generali Tabularum Indice non mi-

nus hisce præpositis, ac sub calcem earum specialis rerum & verborum Index deprehenditur.

JOANNIS MARIÆ LANCISII PHYSIOLOgicæ animadversiones in Plinianam Villam nuper in Laurentino detectum, in quibus tum de novis aggestionibus, circa ostia Tiberis; tum de ibidem succrescentibus arenarum tumulis; tum denique de herbis, & fruticibus in recens aggesto littore suborientibus disseritur.

Romæ, ex Officina Franc. Gonzagæ, 1714, fol.
Plag. 7 Tab. æn. 1.

ELegantissimæ Doctissimi Lancisii dissertationis, de fungorum origine, recensum nuper M. Junio dedimus, cum Illustrissimi Comitis Marsilii exercitatione de eodem argumento. Cum utraque conjunctim edita est hæc de villa Pliniana jucundissima tractatio, in qua abundantes fructus offert, quos ex antiquitatis absconditæ penu, non minus, quam ex naturæ retecto sinu collegit. In prima ejus parte ipsius Plinii tuetur fidem, qui Laurens suum, vel villam in Laurentino sitam, Libro II epist. 17 tam docto penicillo, tamque elegantem delineaverat, ut Claudius Minoe qui in ejus epistolas commentaria scripsit, autorem mordere clanculum non vereatur, quasi nimio villæ suæ studio captus, in ea dilaudanda verum supergressus sit, quibus etiam addidit, nullam ejus superesse faciem. In utroque dissentientem habet celeberrimum Lancisium, pium & doctum civis olim sui patronum, dum non solum loci amœnitatem, in quo Laurentina sita fuit, atque ichnographiam, quam D. Jo. Ambrosius Mazzenta ex sola epistolæ lectione adornavit, quæque in Summi Pontificis bibliotheca asservatur, pro ipso allegat; sed nuper manifesto detectas in prædio Marcelli Sacchetti, Hierosolymitani ordinis apud Clementem XI Oratoris, Plinianæ villæ reliquias profert, quæ adeo exacte cum illa vera Plinii villa congruunt, tam loci distantia, ab Autore indicata, cum ab Urbe, tum Ostiensi colonia, & proximo vico, quem Piastra hodie appellant; quam præsertim trium atriorum, totidemque porticuum,

cuum, & arcuum, nec non duarum turrium, & cubiculorum numero, aſpectuque, ut omnem plane (ſi poſt tot injurias tam diu ſepultæ & diſtractæ reliquiæ ſingula tam clare poſſunt prodere) dubitandi cauſam removeant. Quod vero ita aſſerenti poterat impedimento eſſe videri, id ipſum ad pandendum novum eruditionis variæ theſaurum occaſionem præbet. Plinius nimirum de ſua villa teſtatus eſt, *triclinium, ſi quando Africo mari impulſum ſit, fractis jam ac noviſſimis fluctibus leviter allui*, cum in præſenti ſexcentis ferme paſſibus a litore remotum ſit; ad quæ Autor erudite monet, quod pari modo ipſamet Oſtia, cum litorali quondam via, usque ad Laurentum, ante urbem conditam ad Plinii ætatem, Tyrrhenis undis pulſata ſit, quæ hodie longiſſimo a mari intervallo diſterminata eſt. Sed ita par paribus comparaſſe non ſufficit acutiſſimo Philoſopho, unde ad ipſam de Tiberinis aggeſtionibus, earumque cauſis, diſputationem accedit propius, & equidem non generatim diſquirit, cur litus ad Tiberis utrinque oſtia diuturnitate ævi quævis incrementa capiat, & mare a ſe longius repellat? Id enim ubique fere locorum, in quibus flumina mari committuntur, propter terræ colluviem fieri, compertum eſt. Neque hic cauſa inveſtigatur, cur idem litus ad orientem magis, quam obverſam plagam producatur, cum hoc ventorum, diverſa vi ſpirantium, impulſui diverſo tribuendum eſſe, manifeſtum ſit. Sed id examine dignum viſum eſt, cur illa incrementa, quæ apud priſcos minima fuerunt, inſecutis & noſtris præcipue temporibus ſingulis annis contingant maxime? Ad quod in principio notatur, etiam ante Romuli conditoris Urbis ætatem aggeſtiones Tiberinas factas eſſe, quod tam ex ingenio ſoli probatur, per quod lapſus eſt per varias declinationes fluvius, & adeo ſemper aliquid limoſarum ſordium traxit, & ad maris oſtium demerſit; quam ex hiſtoricorum fide, qui Oſtienſium ſalinarum ad mare antiquiſſimam mentionem faciunt; & ipſa Oſtia, quæ inde nomen habet, ad maris oſtium primum exſtructa, & mox inde aliquanto remota fuit. Sed hæc litoris incrementa admodum ſunt exigua, ſi cum illis contendantur, quæ recentioribus temporibus ſucceſſerunt. Pius namque V Pontifex litoralem turrim,

rim, S. Michaelis dictam, ad fluctuum ictus trans Ostiam exstrui jussit, quæ nunc centum quinque & quadraginta annorum intervallo passibus plus mille a mari abest: et ædes a Sacchetti majoribus, ante hos octoginta saltim annos in Laurentino excitatæ, medio a mari & stagno Ostiensi intervallo, nunc duplo longius a mari dissitæ sunt, sicuti has omnes litoris mutationes ex descriptione oræ Ostiensis ac Laurentinæ una cum litoralibus aggestionibus, quam Autor in ære exhibuit, patet. Unde colligere promtum est, quod, si pari copia litoris incrementa olim, ut nunc, facta fuissent, Romæ fundamenta non in continente, verum in mari posita esse oporteret, quod historicorum omnium constanti narrationi est contrarium. Ut igitur tandem omnes difficultatis tenebras dispellat doctissimus Lancisius, certa diversitatis incrementorum litorum principia constituit, quorum primum petitur ab inæquali alveorum inclinatione & aquæ altitudine, quæ diversæ fluviorum velocitatis causæ existunt, quam diversa limi allati copia sequitur. Secundum, a recto vel obliquo cursu, qui iterum ad celeritatem vel tarditatem motus aquarum diversam, & ad præcipitandas magis vel minus terreas partes in mare facit. Tertium principium a duritie vel mollitie telluris, per quam fluvius meat, desumtum est. Hinc enim vel plus vel minus terrestrium corpusculorum secum ad maris ostia vehere necessum est. Quartum ab ipsa diversa defluentium aquarum vi & velocitate acceptum est; quoniam ex ea terrenæ partes vel longius a litore in mare propelluntur, vel propius ad ostium subsident. Quibus positis demonstratur, recentiori ætate impeditum esse Tiberis profluvium, quia non olim, uti nunc, antequam in mare se effunderet, in duos alveos divisus fuit, unde per angustiores limites fortius urgeri debuit, & fortior sordium in mare propulsio fieri. Et quando quidem a Claudio fluvius divaricatus est, diligenter cautum fuit, ut, quæ in diviso flumine prope litus subsidissent corpora, coarctatis faucibus intra maris sinum velocius & rapidius propellerentur; quæ vero opera a longo nunc tempore plane negligitur, & Tiberis fauces, sine lege laxatis ripis, aquas in mare emittunt. Tiberis deinde curatores solerter id olim agebant,

ut

ut recta fluvius decurreret, cum e contrario posteriori ætate hujus rei nulla cura habita sit; unde fluvius per tot mæandros nunc procurrit tardius & multo remissius. Tertio minor olim cœni copia ad mare per fluvium allata fuit, quando nec ager maritimus nec montanus aratro subactus est, abundante prisco ævo, aliunde adducti frumenti copia, sicut prolixis antiquitatis testimoniis Autor probat, quæ neglecta agri Italici cura, magnam partem duravit ad seculum XVI, quando restituta opera, major luti copia, ex terra vomere diffracta, & molli cum fluvio ducta in mare est, & stillantes in sulcos inæquales & terram resolutam pluviæ plus cœni eluerunt, & per fluvium in mare confuderunt. Quæ ratio ita manifesta est, ut ex montanis oppidis spectare hodienum per montes loca liceat, quæ olim non fuerunt conspicua, ea tantum ex causa, quod montes vomere incisi pluviarum diluviis imminuti sint. Hæc ita contemplanti novum se obtulit industria sua dignum argumentum. Accidit nimirum, ut per novum litus hinc inde terrei assurgant tumuli, in quibus mox variæ germinant plantarum species, ab illis diversæ, quæ solo inquilinæ sunt. Tumulorum itaque origo tribuitur non solis ventorum turbinibus, sed aquæ immersis & ex ea ad litus iterum ejectis arborum stipitibus, ramis, & radicibus, quibus affluens limus adhæresċit, & extuberat, quod tumulorum effossione detectum est. Herbarum prima progenies in terra nova fieri observata est, tres circiter annos a fluctibus relicta, & in his eruca marina folio latiore Jo.Bauhini, & gramen spicatum, nunquam non priores solent subolescere, & sic demum in locis a maris oris remotioribus promiscue post exactos annos plures aliæ, inter quas & Africana reperta est, imo post lustra sequuntur etiam frutices, & tandem robustiores annosæ arbores. Quæritur inde ex quo herbæ istæ, cum exoticæ, tum primigeniæ, in arido & effœto litore, ortum & alimentum capiant? & ulterius, quam obrem plantæ, quæ majori intervallo abundis distant, diversæ, a prioribus naturæ sint? Duo ergo posita sunt botanicæ principia; primum, nullam plantam nasci absque suo semine, vel plantæ frusto, quod seminis loco sit; alterum, semen, vel semi-nalem plantæ partem, edere fœtum non posse, nisi ubi congruum alimentum, ex phlegmate plus minus salino-volatili-oleoso,

inveniat, unde nec omnis terra quasvis plantas, ſed ſibi congeneres gignit & alit. Semen igitur plantarum, & quidem exoticarum ex Africa ab avibus, vel intra ingluviem contentum, vel pennis implicitum, eo deferri aſſertum eſt. Indigenarum vero ſemina, vel radicum & ramorum, tumulos excitantium, rimis occultata; vel a ventis advecta; vel ferarum pellibus & avium pennis involuta, ad novam terram afferuntur eidemque immiſſa, & nutrientem ſuccum nacta, fœcundantur & creſcunt. Ubi dubium quidem moveri poterat, cur nempe ſemina, per has vias allata, non repente, ſed pars annis tribus poſt, & pars integris exactis luſtris, demum in plantas abeant? cum tanto intervallo temporis luto inhærentia putredinem trahere credenda ſint? ad quod reſpondet Autor primo, attendendum eſſe ad celebriorum Botanicorum obſervationes, quibus cognitum eſt, plantarum quarundam ſemina, in plures annos ſervata, integra permanere & fœcunda eſſe, unde nil mirum ſi plantarum ſemina cum Tiberi in terram delata, in lignorum corticibus latentia, poſt trium annorum decurſum fœcundentur & creſcant: ubi tamen id prætermittendum non foret, an ſic naſcentia ſint ex eorum ſeminum numero, quæ cortice duro tectæ ſunt & pulpa gaudent, macerationi minus cito obnoxia: igitur alia conjungenda eſt experientia, qua diſcimus, non paucos fructus arena obvolutos a corruptione immunes præſtari, quod ad ſemina arenæ literali immerſa facile applicare licet. Imo fieri etiam poteſt, ut tardior poſt tres annos proventus non primo ſemini debeatur, ſed noviſſime allato, quando terra nova Sole cocta, aquis diluta, & brutorum excrementis ſtercorata, fertilitatem indepta eſt, & quidem diverſis plantis, diverſa proportione, poſt annorum vices congruam, quod per ſingulas quidem ſpecies novam ſuppeditare poſſet inquirenti materiam.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Sciences. Année 1711.

h. e,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1711, cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis.

Amſte-

Amstelodami, apud Petrum de Coup, 1715, in 12 maj.
Alph. 1 plag. 1 Tab. æn. 13.

IN *Physica generali* experimentum singulare primo loco occurrit, quod *Philippi de la Hire* atque filii ipsius industriæ debetur. Tubum scilicet recurvum, cujus brachium majus hermetice sigillatum erat 24, minus vero apertum 3 digitorum, aqua ita implevere, ut quatuor digiti superiores in brachio longiori ab aere dilatato occuparentur, aqua ultra libellam ad altitudinem 16 digitorum & 9 linearum elevata, atmosphæræ pondere $27\frac{1}{2}$ dig. Mercurii seu 384 digitis aquæ æquivalente tunc temporis, baroscopio indice. Cum aer aquæ superficiei in brachio minore incumbens densior esset incluso, probabile ipsis videbatur, quod cum aqua permisceri & inde per crus longius ascendere, sicque aqua in eodem contenta deprimi deberet. Enimvero præter expectationem tribus mensibus elapsis aqua per 4 lineolas ascendit & d. 26 Decembris (tubus autem implebatur d.16 Mart. 1710) integro digito altior deprehensus: interea vero temporis nihil mutationis accidit aeri incluso a pondere atmosphæræ atque calore ipsius. Experimentum Illustris *Leibnitii*, quod in Actis A. 1711 p. 11 retulimus, ad probandam corporum in fluido descendentium gravitationem imminutam excogitatum, cum successu repetiit de *Reaumur*, probaturque applicatio ejus ad reddendam rationem, cur aer tempore pluvio levior sit quam sereno. In Actis ejusdem anni p. 499 jam notatum est, *Leibnitium* hanc unicam phænomeni rationem non agnoscere, utpote toti decremento ponderis atmosphærici tempore pluvio non satisfacientem. Imo nobis persuasum est, ipsum vaporum descensum sæpissime aeris levitati deberi: quem in finem *Wolfius* sequens excogitavit experimentum. Pauculum spiritus vini accendit & flammæ aditum in campanam vitream concedit, ut particulæ, in quas vi ejusdem dissolvitur spiritus, per aerem intus contentum dispergantur: quo facto campanam ad antliam aptat & aerem ope ejusdem dilatat. Vix densitas ejus minuitur, cum exhalationes spiritus in nebulam coeunt ad fundum successive descendentem. Et, si aer exhaustus rursus intruditur, nebula statim disparet & aeri incluso pristina

redditur ſerenitas, mox tamen iterum turbanda, ſi aliqua aeris portio denuo ſubducitur. *Maraldi* obſervationes quasdam barometricas, a *Scheuchzero* in montibus Helvetiæ factas, expendit. *Reaumur* multa cum induſtria obſervavit, quomodo diverſæ conchyliorum ſpecies certis corporibus adhæreant. E.gr. conchylium, quod Galli *Oeil de Bouc* ſeu oculum hirci appellant, baſi admodum plana ipſis lapidibus politis adeo fortiter adhæret, ut nonniſi pondere 28 vel 30 librarum inde ſeparari poſſit. Firmitatem adhæſionis adſcribit glutini ex corpore ejus egredienti. Contra ſtella marina 1520 pedibus inſtructa a corporibus, quibus adhæret, ſeparari nequit, niſi pedibus diſruptis. *De la Hire* junior experientia convictus defendit, conglaciationem aquæ non eſſe terminum fixum frigoris: obſervavit enim, globo thermometri aquæ in glaciem abeunti immerſo, ſpiritum adhuc ulterius deſcendere, ſi a conglaciatione frigus intenditur, & contra eundem in eodem ſtatu permanere, dum aqua conglaciatur, ſi jam ante majorem frigoris gradum fuerit expertus, quam qui ad aquam conglaciandam requiritur. De *Reaumur* novum detexit purpuræ genus, veteribus incognitum. Conſiſtit autem in granis ovalibus tres lineas longis & unam lineam atque amplius craſſis, liquore quodam ſubluteo plenis, quæ certis quibusdam lapidibus adhærent, ubi ordinarie *Buccinum* Pictavienſe, notum a pluribus annis purpuræ genus, congregatur. Si grana illa in linteo albo confundantur & linteum poſtea aeri libero exponatur, trium aut quatuor minutorum intervallo elapſo maculæ purpureæ in eodem notantur. Granula iſta in autumno colliguntur, & ova piſcium Noſtro eſſe videntur. *De la Hire* obſervat, nivem liquatam redire ordinarie ad quintam vel ſextam altitudinis partem: quæ tamen noctu inter 13 & 14 Februarii A. 1711 decidit, ad duodecimam rediit. *Hombergius* Autor eſt, quod materiæ, quæ in foco ſpeculi vel vitri cauſtici funduntur & inſtar luminis fulgidi apparent, videantur ſuis cum coloribus per vitrum fumo infectum. *De l'Isle* attendit inceſſui culicis ob exiguitatem vix viſibilis, eamque in charta intervallo dimidii ſcrupuli ſecundi lineam trium digitorum percurrere notavit, ita ut in tam exiguo & vix perceptibili temporis ſpatio pedem

pedem 540 vicibus moverit. *De la Hire* nonnulla colorum phænomena recenset, v. gr. quod corpora luminosa, veluti Sol, rubida appareant per vitrum fumo infectum transpicienti.

In *Anatomicis Winslow* detexit, quod vasa secretoria in glandulis lanugine admodum tenui vestiantur, cui primas in filtratione partes tribuit. Supponit autem, a prima formatione lanuginem istam imbutam esse liquore quodam particulari, veluti bile, si bilem separare debent. Et hinc vasa secretoria particulæ panni vel gossypio comparat, quæ oleo imbuta nonnisi oleum attrahit. Liquorem separatum per canales excretorios ex glandula exire statuit. Idem deprehendit, cor non esse musculum unicum, sed ex duobus minimum componi, ita ut quilibet ventriculus cum sua auricula ab altero separari possit, pariete intergerino in duas laminas divisibili. *Littre* in 40 cadaveribus masculinis gonorrheam virulentam examinavit. Reperit autem sedem ejusdem vel in vesiculis seminalibus, vel in prostatis, vel in glandulis *Cowperi*. Ob priorum viciniam gonorrheam plerumque compositam invenit: sed *Cowperianæ* cum longius inde distent, malum difficilius cum iisdem communicatur. Tertiam gonorrheæ speciem rarissimam statuit minusque noxiam, & quæ facile curari possit. De hac ex professo nunc agit: de reliquis tractationem accuratam promittit. *Jeaugeon* memorat Scrotum adeo prodigiosæ magnitudinis, ut ad 60 librarum pondus accesserit. *Fauvel* chirurgus ostendit Academiæ Regiæ fœtum sine cerebro, cerebello & medulla spinali, qui duas a nativitate horas vixit & sacro lavacro aspersus. Idem in ovario fœminæ hydatides tantæ magnitudinis monstravit, ut ovula mentirentur? Duo operarii fossam reparantes ob fœtorem putridum visu orbati, quem ipsis intervallo 24 horarum restituit *Chomel*, usus liquore spirituoso ex thymo, lavendula, salvia, serpyllo, amaraco & rore marino (floribus pariter ac foliis in aqua mellita maceratis) in balneo sabuli destillato & postea oleo essentiali retento rectificato, tum externe, tum interne singulis horis quatuor elapsis applicato. Gossipium eodem liquore maceratum cum inderet auribus Surdorum, non neglecto, ut ante, usu interno, auditum intra octo dierum spatium restituit.

tuit. *Littre* uno ictu findens capita canum fugentium flomachum plenum reperit lacte quodam acri & coagulato, quod adeo coagulatum conjicit per fermentum quoddam naturale illius visceris. Et hinc digestionem sola trituratione absolvi negat. Aquam etiam in ventriculis cerebri & in pericardio deprehendit: unde eam usibus naturalibus inservire statuit, nec morbis adscribendam esse ejus originem concedit. *Lemery* observans, quod variolæ prodire nollent, ægrum balneo calido immisit: quo facto, magno numero eruperunt.

In *Chymicis Boulduc* analysin tradit radicis *Mechoacan*, quæ vi purgandi gaudet atque ex nova Hispania in Europam defertur. Reperit autem, quod duodecies plus salis, quam resinæ contineat, nec salia, nec resina adeo purgent, nec adeo leniter, quemadmodum radix ipsa. Remedium hoc majorem in praxi usum mereri credit. *Lemery* filius præcipitationum chymicarum rationem declarare conatur. Contendit autem, in omnibus dissolutionibus metallicis particulam acidi dissolventis quamlibet esse exiguum quoddam telum, altero sui extremo particulæ metallicæ infixum. Hinc in nonnullis dissolutionibus, ubi telum istud non adeo firmiter infixum, qualibet exigua aquæ agitatione separationem fieri posse; in aliis vero opus esse alcali, ut acido eripiatur spolium. Fingit particulam metallicam uni extremo teli infixam esse globulum majorem, quam qui poros alcali subingredi possit. Quare dum liberum teli extremum in eos adigitur, globulos tandem per continuum alcali impulsum adeo protruditur, ut teli extremum alterum relinquere cogatur. Idem novas coralliorum solutiones instituit. Cum enim ea in aceto vini destillato atque in Spiritu Veneris, qui est acetum vini particulis quibusdam volatilibus & sulphureis cupri impragnatum, solvere soleant: ipse eadem solvit in Spiritu vitrioli, aluminis, salis, nitri. In casu posteriore calor & effervescentia major fuit, quam in priore. In usum tamen medicum solutionem priorem commendat, quia acetum destillatum & Spiritus Veneris non omnem exhauriunt virtutem alcalinam, quæ coralliorum unica est. Corallia in spiritu vitrioli dissoluta speciem quandam vitrioli formant. Si oleo tartari præcipitantur,

tur, in pulverem album admodum subtilem subsidunt, qui cum acidis fermentat. In eodem multæ particulæ ferreæ deteguntur ope cultri magnetica virtute imbuti. Sed operæ pretium faceret *Lemery*, si aliis experimentis doceret, particulas a cultro attractas esse re vera ferreas. Quid si enim præter ferreas adhuc alias traheret magnes nobis nondum cognitas? Addit chrystallisationem palingenesiæ similem. *Renaume* observavit, gallas esse præsentissimum contra febrem remedium. Commendat eas ob virtutem adstringentem eo potissimum in casu, quando fibræ ventriculi sunt nimium laxatæ aut irregulariter tensæ: in altero autem, quando non sufficiens quantitas bilis cum chylo permiscetur, chinam chinæ præfert. *Hombergius* confirmat, se gallis sæpius cum successu usum esse: *Boulduc* tamen asseverat, se sexies in tertiana & quartana easdem frustra ægris exhibuisse. *Lemery* uterque, parens scilicet atque filius, itemque *Godofredus* notarunt, quod ventrem moveant, quodque febris earum ope fugata redeat nec nisi chinæ chinæ cedat. *Hombergius* denique prolixius nunc edisserit, quomodo ad novum suum phosphorum (cujus in Actis Anni superioris p. 198 facta est mentio) pervenerit, destillando scilicet fæces alvi. Notatu dignum est, quod, cum earum uncias 10 vel 12 (quantum nimirum est pondus una sede ejectarum) in balneo Mariæ exiccaret, nonnisi uncia una remanserit, etiamsi præter aquam limpidam & insipidam, odoris tamen fæcium tenacem, nihil decesserit. Ceterum in analysi materiæ istius maxima usus est circumspectione, eumque in finem conduxit homines quatuor, robustos, juvenes ac sanitatis integræ, eos extra hortum & ædes, ubi cum ipsis per tres menses commorabatur, egredi non passus, nec permisit, ut quicquam cibi vel potus caperent se inscio vel invito.

In *Botanicis Godofredus* junior accuratius examinat *tubera subterranea testiculorum forma* (Galli *Truffes* appellant) quæ neque radicem, neque filamenta, neque caulem, neque folia, neque flores, neque semina habent, adeoque plantis prorsus dissimiles videntur, licet inter eas a Botanicis referantur. Inquirit adeo in structuram & principia chymica eorundem, ut similitudinem cum plantis detegat. Priori instituto inserviunt microsco-

croſcopia, poſteriori analyſes chymicæ. *Marchant* cum acer ſerra deſecari juſſiſſet menſe Februario, pars caudicis reſidua per æſtatem multum ſucci nutritii effudit. Circa finem menſis Auguſti 25 circiter tubercula in ima caudicis baſi obſervavit, quæ cum usque ad finem Novembris creviſſent, contra vim frigoris per hiemem obtexit & menſe Martio A. 1709 cum portione ligni ſeparavit. Hanc vegetationem ad quamnam plantarum ſpeciem referret, ſub initium dubitavit. Enimvero poſtquam advertit, magnam inter ejus ſtructuram & lithophyton (quæ planta marina eſt) conformitatem intercedere, niſi quod grana in cavitatibus reperiret, quæ in lithophyto vacua ſunt; lithophyton terreſtre digitatum nigrum appellat. *Parentius* exemplis arborum cortice denudatarum & per quinque fere annos folia & flores protrudentium probare nititur, cortici parum aut nihil in nutritione plantarum tribuendum eſſe. Addit eundem in finem argumenta quædam alia. Ad ſingula reſpondet *Renaume*, ſententiam receptam defenſurus. Sed prolixum nimis foret omnem controverſiam recenſere. Miramur tamen, quod *Fontenellius* tracheas plantarum & arborum in dubium vocet, cum in vite vel oculus nudus easdem diſtinguat, nedum armatus. *Godofredus* junior pulveri ſtaminibus adhærenti fœcundationem ſeminis aut fructus ſtylo concluſi adſcribit, ſtamina membro virili, pulverem liquori ſeminali & ſtylum ſeu piſtillum vulvæ æquiparans. Rationum, quas adducit, fortiſſima hæc eſt, quod grana ſint infœcunda, ſi ſtamina reſerentur, antequam pulvis in ſtylum decidere potuerit. De *Reamur* flores & ſemina detexit in fuco ſeu Alga latifolia dentata *Raji*, quam *Tournefortius* in Inſtitutionibus Botanicis inter plantas refert flore ac granis deſtitutas. Flores ex foliis erumpentes cernuntur menſe Junio & Julio. Iis decidentibus foliorum extremitates intumeſcunt a liquore viſcoſo granis rotundis pleno, quæ ſunt capſulæ ſimili liquore repletæ & alia granula minora, verum fuci ſemen, continentes. *Parentius* adverſus *Magnolium* probat, ſuccum nutritium in plantis utique non modo aſcendere, verum etiam deſcendere, quemadmodum *Perrault* inprimis ac *Mariottus* operoſe oſtenderunt. *Fontenellius* commemorat mala aurata, quo-

quorum partes aliquæ reliquis interjectæ ſunt citreæ. *Hombergius* vero autor eſt, ſe in hortis *Wilhelmi* Magni, Electoris Brandenburgici, vidiſſe poma, quæ ſimili modo fuerint ſimul pira.

In *Algebraicis* occurrunt *Rolliana* de conſtructione æquationum meditationes. In *Geometria Bomie* Tractricem examinat, quam centrum gravitatis navis deſcribit, ſi mediante chorda ab homine juxta littus paſſu æquabili progrediente ad idem attrahitur. Hanc proprietatem peculiarem habet, quod tangens ejus ſit conſtans, nempe chorda, qua navis adducitur, & arcus, ſi ſumantur in progreſſione arithmetica, ſint ſemiordinatarum reſpondentium logarithmi. Præterea tractrix per logarithmicam rectificabilis & ab hac rectificatione quadraturæ hyperbola pendet. Quodſi eandem deſcripta ſupponatur, logarithmica & catenaria per puncta deſcribi poterit. Spatium inter tractricem & ejus aſymptotum (quæ littus eſt in deſcriptione ſuperiori) æquale eſt quadranti circuli tangente tractricis deſcripti. Solidum ex rotatione tractricis circa aſymptotum genitum eſt æquale quadranti Sphæræ, cujus radius eſt tangens tractricis. Hæc quidem ſine demonſtratione recenſentur a *Fontenellio*, nec nova ſunt dudum quippe a Viro illuſtri *Leibnitio* in Actis A. 1693 p. 387 & ſeqq. propoſita. Abbas de *Bragelonne* quædam de quadraturis Curvarum, quæ ad ſeries infinitas reducuntur, meditatus; ſed ea tantum indicantur, non exhibentur.

In *Aſtronomia Maraldi* parallaxin Lunæ eadem methodo ſcrutatus eſt, qua celeberrimus *Caſſini* in Martis parallaxi inveſtiganda uſus, expoſita in Actis A. 1685 p. 470 & ſeqq. Reperit autem parallaxin horizontalem Lunæ tempore obſervationis ſub æquatore 54′ 55″: qua occaſione *Fontenellius* rationes phyſicas triplicis inæqualitatis motus lunaris ex motu ætheris vorticoſo reddere conatur, perinde ac variationum diſtantiæ Lunæ a terra. *De la Hire* vires penumbræ corporum a Sole illuminatorum examinat, quas per ordinatas ſingularis cujusdam curvæ exponit. *Caſſini* filius obſervationes planetarum & fixarum a Luna occultatarum variis in locis factas & in Diario Eruditorum Pariſino, Tranſactionibus Anglicanis atque Actis hiſce Eruditorum relatas inter ſe comparat & differentias horarias meridianorum inde determinat. Deducit tandem Pariſiis occidentalius eſſe

Londinum $9' 55''$ & observatorium Grenovicense in Anglia $9' 25''$; orientaliores vero Noribergam $35' 2''$, Lipsiam $40' 0''$, Dantiscum 1 h. $4' 43''$. Differentiam horariam meridianorum Avenionensis & Londinensis elicit $19' 40''$, Avenionensis vero & Parisini $10' 0''$. *De la Hire* A. 1710 d. 20 Sept. conjunctionem Veneris & Cordis Leonis observavit, quæ accidit h. 9 matutina, minuto sexto, differentia declinationum Veneris septentrionalioris atq; Reguli existente $20' 30''$, quæ per tabulas ipsius esse debebat $20' 23''$, egregie adeo cum cœlo consentientes. *Cassini* filius varias observationes recenset, quas R. P. *Feuillée* in India occidentali fecit, a nobis jam mensibus superioribus hujus anni commemoratas. Occurrunt denique *De la Hire* utriusq; *Cassinorum* atque *Maraldi* observationes eclipsis Solis, quæ contigit d. 15 Jul. 1711, atque Cassinorum Maraldi aliorumque observationes eclipsis Lunæ, quæ accidit d. 29 Jul. ejusdem anni.

In *Acustica Sauveur* sive *Salvator* objicit nonnulla contra Dn. *Henslingii* Systema Musicum in Miscellaneis Berolinensibus descriptum & suum in Commentariis Academiæ Regiæ ante publicatum eidem præfert.

Denique in *Mechanica* de *Reaumur* experimentis factis docet, quod chorda ex pluribus filamentis contorta minus pondus sustinere possit, quam summa ponderum a singulis filamentis sustentatorum, quodque decrementum cum crassitie chordæ crescat. Comparet ibidem analysis *Bernoulli* de viribus centralibus, quam promisit in Actis A. 1713 p. 77 & in qua errores *Newtonianos* in Principiis Philosophiæ naturalis Mathematicis corrigit: sub finem appendicis loco adjicitur causa erroris a nepote ipsius *Nicolao* detecta & in Actis hisce loc. cit. p. 94 jam indicata, nempe ignorantia calculi differentio-differentialis. *Newtonus* tamen, qui monitus errorem agnovit, causam aliam assignat, nempe quod tangens in schemate non rite ducta fuerit, nec concedit, quod termini seriei loc. cit. adductæ ex ipsius opinione successive differentiales omnium in eodem ordine graduum exprimere debeant. Sed nostrum non est decidere hanc litem. *Varignonius* profundas de resistentia medii meditationes adhuc ulterius continuat. Qua occasione *Fontenellius* a priori ostendit *Gallilaeanum* de gravitate Systema.

Sub

Sub finem Commentariorum extat Scriptum *Nissollii* de quibusdam novis generibus plantarum, quod a societate Regia Montepessulana ad Academiam Regiam transmissum. Genera ista quatuor sunt, Coriaria, Jasminoides, Ficoidea, & Parthenia strum. *Coriaria* est genus plantæ, cujus flos ex decem staminibus componitur, quæ ex fundo calicis in quinque partes usque ad basin divisas egrediuntur. Stamen unumquodlibet duo habet capita. Refertur huc *Coriaria vulgaris & rhus myrthifolia Monspeliaca*. Ad genus secundum spectat *Jasminoides Africanum Jasmini aculeati foliis & facie*; ad tertium *Ficoidea procumbens portulacæ folio*; ad quartum *Partheniastrum Americanum ambrosiæ folio*: unde Botanices periti characteres, quos constituit, facile colligent.

A. 1711 duo decessere Socii, *Ludovicus Carre* sive *Quadratus* & *Claudius Bourdelin*. Prior erat rustici filius, natus d. 26 Julii A. 1663. A patre studio theologico addictus, sed invita Minerva. Quare cum parens sumtus necessarios filio parum morigero subministrare amplius nollet; ad *Malebranchium* confugit, qui ejus in scribendo opera usus. Ab eo Mathesin & Metaphysicam racentiorum didicit per septem integros annos. Victum quæsivit postea Mathesin & Metaphysicam docendo: inprimis sequior sexus ejus institutione usus. Progressus aliorum Mathematicorum non sine mœrore contuitus, dum ipse de pane lucrando sollicitus eorum vestigia premere non poterat. A. 1697 *Varignonius* eum sibi fecit Adjunctum. A. 1700 edidit librum de primis calculi integralis lineamentis, relatum in Actis A. 1701 p. 280. Mox locum inter Associatos, tandem inter beneficiarios adeptus. Per 6 postremos vitæ suæ annos valetudinarius fuit, stomacho officio suo non amplius fungente. Cumque deessent ad vitam necessaria, *Chauvinus* Parliamenti Consiliarius inopem hospitio suo dignatus. Duabus ante obitum horis Vulcano tradidit litteras, quas a fœminis acceperat. Obiit autem d. 11 April. 1711. In locum ejus successit *de Reaumur*. Posterior natus est A. 1667 d. 20. Jun. Parens ejus fuit *Claudius Bourdelin* Chymicus beneficiarius in Academia Regia Scientiarum. Celeberrimus *du Hamel* educationi ejus præfuit. A. 16

Pindarum & Lycophrontem ex Græco in Gallicum ſermonem tranſtulit & proprio Marte Opus Conicum *Philippi de la Hire* intellexit. A. 1692 Doctor Medicinæ creatus eſt. Non panem quæſivit ex Medicina, cum ex paternis bonis laute vivere poſſet: unde pauperibus ipſe ſolvit numos pro remediis pharmacopolæ ſolvendos, nec a ditioribus recipere voluit, quod ipſi debebatur. Poſt pacem Riſwicenſem in Angliam iter fecit & in Societatem Regiam adoptatus eſt. A. 1699 inter Aſſociatos in Academia Regia Scientiarum locum obtinuit. In Hiſtoria Anatomica inprimis excelluit. A. 1703 Medicus ordinarius Conjugis Ducis Burgundiæ atque A. 1708 *Bourdelotio* mortuo Archiater ejusdem factus. Immodicus potus *Caffé* ipſi tandem hydropem pectoris adſcivit, qua die 20 Aprilis A. 1711 extinctus. Locum Botanici aſſociati obtinuit *Godofredus* junior.

AN ACCOUNT OF SOME ROMAN URNS, &c.

id eſt,

RELATIO DE QUIBUSDAM URNIS ET aliis Romanorum reliquiis, nuper prope portam Epiſcopalem effoſſis, admixtis brevibus de antiquo & hodierno Londini ſtatu obſervationibus, per modum Epiſtolæ ad CHRISTOPHORUM WREN, Militem, Ædificiorum Regiorum ſupremum directorem, perſcripta.

Oxoniæ, e theatro Sheldouiano, 1712, 8.

Plag. $3\frac{1}{2}$.

HAbet id commune cum maximis antiquisſimisque fere urbibus Londinum; quod origo ejus obſcura eſt. Veriſimilis Cl. Woodwardo, autori hujus epiſtolæ, B. Stillingfleeti conjectura videtur, Romanis eam tribuentis; ſed ſubita ſub iis incrementa habuerit oportet, quoniam Tacitus jam *copia negotiatorum & commeatuum maxime celebre* vocat A *XIV, 33*. Nec ab illo tempore quicquam de ſitu & magnitudine urbis certis documen-

documentis constat, cum ante industriam *Stovvi*, cujus habemus Conspectum Londinensem (*Survey of London)* nemo talem principi Urbi operam impenderit. Opportune itaque Ingeniosissimus *Woodvvardus* conjiciendo supplendum defectum hunc putat ex reliquiis Romanorum, quæ frequentes inprimis, post funestissimum anno 1666 incendium, cum civitas splendidius restauraretur, repertæ sunt, & adhuc subinde effodiuntur. Multas collegit Nob. *Wrenius*, multas ipse in Museo suo servat, quod naturæ artisque cimeliis instructissimum possidet. Felix ejusmodi detectio argumentum huic dissertationi dedit. Anno enim 1711 M. Aprili prope portam Episcopi, cum novis ædibus fundamenta quærerentur, incidere opifices in pavimentum ex latere coctili, rubri, albi, & lutei coloris, cujus latitudo X pedum erat, longitudo autem finiri non poterat, quod per terram infra vicinas ædes excurreret. Infra, ad duos circiter pedes stratum ex luto occurrebat, in quo urnæ sepulchrales eximii operis variæque magnitudinis inveniebantur, ac una cum iis simpulum, ac patera ex terra rubra tenuissima, vasculum, quod lacrimatorium appellant, globuli aliquot annulique, & fibula ex ære cum nummo Antonini Pii. Prope pavimentum vero ad eandem fere altitudinem ossa humana, quæ ignem passa non erant, effodiebantur. Eadem occasione pars muri, ut locum ædificio faceret, disjecta est. Ille quidem sub Eduardo IV 1477 constructus est, sed inferior pars duravit ex muro, quo Constantinus M. urbem cinxisse creditur. Describitur hic illa, eaque occasione ostenditur adversus nonnullos, qui cum Gothofredo Monomuthensi ad antiquos Britones opera ejusmodi referunt, eam gentem, æque ac reliquas, barbaram olim, & ante Romanorum tempora ab omni ejusmodi cultu ac præsidio fuisse destitutam, ipsamque Druidum sapientiam tantam, ut vulgo creditur, non fuisse. Tum vero conjicit Nobilissimus Autor, quoniam urnæ illæ intra murum sint, veteres autem extra urbem cremare suos soliti fuerint, Londinum Antoninorum certe tempore non eo usque in Orientem protensum fuisse. Simili ratiocinatione, quod eo loco, ubi nunc Divi Pauli magnifica ædes est, varia sacrificulorum supellex imaginem Dianæ, animalium-

que, quæ immolari illi solebant, præferens, horumque etiam ossa & cornua sæpe effossa sunt, traditam vulgari assertione opinionem, quod Dianæ ibi templum fuerit, confirmat. In præfatione ad *Cl.Th. Hearne* refellit, quæ in notis ad Itinerarium Antonini nuper de situ Londini commentatus est *Galeus*, antiquitus scilicet urbem eam cis Tamesin fuisse, qua nunc oppidum *Southvvork* est, Londino instar suburbii adhærens. Sed ut ille Ptolemæum hac in parte sequitur, ita Noster Taciti autoritatem opponit, & reliquis etiam argumentis occurrit. Verum hæc discussio hominibus in iis locis agentibus relinquenda est.

AN ACCOUNT OF A ROMAN PAVIMENT lately found at Stunsfield in Oxford-Shire.

i. e.

RELATIO DE PAVIMENTO ROMANO, nuper invento in agro Stunsfeldensi in Comitatu Oxoniensi sito, quod mille guadringentorum annorum esse probatur; Autore JOANNE POINTER, A. M. Collegii Mertonensis, quod Oxonii est, Capellano, & Rectore Slaptonensi in Comitatu Northantoniensi.

Oxoniæ, apud Ant. Peisley, & Londini, apud J. Morpheu, 1713, 8.
Pl. dimidiat. 6.

Pag. 1. ANno $17\frac{11}{12}$ d. 25 Januarii st. v. in agro Parochiæ Stunsfeldensis, quæ est in Comitatu Oxoniensi, duobus milliaribus Anglicis a pago *Woodstock* dissito, rusticus agrum aratro findens vomere incidebat in lapides quosdam, & ex his protrahebat urnam, ulteriusque postea inquirens non ultra duos pedes sub terra inveniebat pavimentum tessellatum, longitudine pedum triginta quinque, & latitudine pedum viginti, quod hic repræsentamus.

Su-

Superficies ejus plana est & lævis, composita ex parvis lateris & lapidis particulis, quantitate circiter tesseram æquantibus, quarum aliæ tamen majores sunt, aliæ minores sex coloribus, cœruleo nimirum, rubro, flavo, cineritio, albo & fusco a se invicem distinctæ, ordine dispositæ, & in strato calcis, pedis circiter crassitudine, fornicato opere nixo, arctius conjunctæ. De hoc pavimento *Cl. Hearnius* in Volumine octavo Itinerarii Le-

rii Lelandi plenius egit, idemque figura eleganter expreſſum exhibet. Sed cum ille minus dextre quædam expoſuiſſe viſus ſit, Cl. *Pointer* calamum contra illum, non indicato tamen ejus nomine, arripuit, & ſua etiam de pavimento illo obſervata ſcripto, quod præ manibus habemus, declaravit. In eo autem cum Hearnio conſentit, quod pavimentum ſit Romanum, obſervans, Romanos quondam Imperatores teſſellata ejusmodi & ſectilia pavimenta circumtuliſſe, & ſuper illa prætoria ſua ſtruxiſſe. Illa ſi ex minoribus marmoribus quadratis nativorum colorum fuerint compoſita, appellata eſſe λιθόστρωτα i. e. *teſſellatis lapillis ſtrata*; ſi vero ex minoribus laterum
p. 3. ſegmentis artificioſe pictis & politis, *pavimenta teſſellata*, vel *Opera Muſiva*. Obſervat præterea, quod prætoria illa tecta fuerint lateribus & lapidibus ſectilibus, & parietes illorum ex ligno & gypſo exſtructi, horumque interiora teſſellatis picturis ad imitationem pavimentorum adornata. Prætorium autem Stunsfeldenſe pariter ejuscemodi parietes habuiſſe & lapidibus ſectilibus tectum fuiſſe, colligit ex variis particulis picti gypſi in interiori parte fundamenti inventis, & magna copia lapidum ſectilium, ligni aduſti, calcis & clavorum particulis miſtorum,
4. inter rudera reperta. Alia etiam tentoria fuiſſe cum prætorio iſto contigua, ex muris circumcirca repertis auguratur. Cavitates autem ab unaquaque pavimenti parte ſeſe offerentes, quas Hearnius canales dixerat ad calorem ex hypocauſto ſubterraneo ad quodvis conclave deducendum inſervientes, Noſter non in alium uſum fuiſſe exiſtimat, quam ut inſigerentur illis inferiora erectarum partium lateralium, quæ parietibus præcipuum fundamentum præbuerint, vel ad minimum partes quædam ligni, quibus fabrica niteretur. Rem vero notatu dignam, ab Hearnio autem parum animadverſam, Noſter pronunciat, quod pavimentum Stunsfeldenſe nigro, integro & exareſacto tritico ſupra dimidium pedem, & nonnullis in locis ad pedem fere co-
5. opertum fuerit; illudque a Romanis, Britanniam linquentibus & reditum forte in illam ſperantibus, ex granariis, quæ Romanorum tentoriis adjuncta eſſe ſolebant, petitum, & ad præſervandum pavimentum ſupra idem repoſitum fuiſſe exiſtimat. Ipſum autem frumentum per tantum temporis ſpatium præſervari potuiſſe

uiſſe putat eodem modo, quo arbores ſubterranei, nuces cum fructibus, aliaque ejuscemodi in aliis locis ſub terra præſervata ſint. Numos in urna pavimento adjuncta non extitiſſe, con- pag. 6.
ceſſerat Cl. Hearnius, obiter autem hac occaſione dixerat, Romanos non ſolum circa A. 418 ſed imprimis etiam A. 476 numos in Britannia defodiſſe. Sed Noſter probabile eſſe conclu- 7. 8.
dit, utique numos in urna extitiſſe, a ruſtico autem eo celatos eſſe, ne Domino prædii illos tradere cogeretur. Rariſſimum enim imo inauditum eſſe, urnas vacuas fuiſſe erutas, & ruſticum præterea, ſi vacuam illam, prout profeſſus fuerat, inveniſſet, non ita celeriter cum illa domum properaſſe. Numos autem jam 9.
inde a tempore Veſpaſiani in Britannia conditos eſſe aſſerit, eamque in rem adducit verba ex Thomæ Brownii Diſſertatione de Sepultura urnarum (*of Urn-Burial*) & Mortoni Naturali Hiſtoria Comitatus Northantonienſis, qui tamen id ſaltem innuunt, quod Veſpaſiani, aliorumque poſt illum viventium Imperatorum numi in Britannia inventi ſint. Ritum vero condendi numos in urnis, quem a naulo Charontis in eadem urna cum reliquiis demortui repoſito derivat, apud Romanos circa idem tempus initium habuiſſe conjicit, quo corpora cremare cineresque illorum & oſſa iisdem recondere cœperint, adeoque juxta Plinium Lib. VII c. 54 A. U. C. 676 i. e. A. 74 ante Chriſtum; deſiiſſe autem A. C. 306, quo tempore Macrobius Sat. VII, 6 corpora mortuorum non amplius combuſta eſſe referat, vel certe diutius non multo duraſſe. Nec cum Hearnio ſibi perſuadere poteſt Cl. *Pointer*, quod Romani ſaltem in ſpem reditus numos in 10.
Britannia defoderint. Potius in memoriam Romanæ potentiæ, 11.
qua victrices legiones in illam deduxerint, illud factum eſſe credit. Et pavimentum Stunsfeldenſe non ad præfectum aliquem 12 ſqq.
Theodoſii, ut Hearnius opinatus fuerat, ſed Allecti pertinuiſſe, Noſter exinde colligit, quod Allectus a Diocletiano A. C. 287 in Britanniam miſſus in his partibus egerit, & ſtationem ſuam ſex tantum vel ſeptem milliaribus Anglicis a loco illo diſſitam habuerit, quo pavimentum inventum ſit; id quod Autor ex Camdeno, Gibſono, Ploto, Kenneto probat. Porro obſervatis quibusdam contra Hearnium de elegantia & opifice hujus pavimenti,

ad præcipuas figuras in illo conſpicuas ſeſe confert, oſtendens, nec humanam figuram eſſe Apollinem Sagittarium, nec animal monſtrum aliquod, uti Hearnius explicuerat, ſed Bacchum potius cum panthera ſua hic repræſentari, quod nimirum Veterum deſcriptiones, quibus Bacchus ut juvenis imberbis, nudus, hedera coronatus, una manu cantharum, altera thyrſum tenens, pantheram tanquam vini amatorem ſibi dedicatum habens, & primus denique triumphi ſolemnia docens, delineetur, exacte figuris iſtis reſpondeant, & eædem figuræ tanquam triumphi Symbola ad præfecti cujusdam victorioſi prætorium bene ſatis accommodatæ ſint. Tandem alia quædam ejuscemodi pavimenta in his aliisque Angliæ regionibus inventa doctiſſimus *Pointer* ex variis Autoribus diligenter recenſet.

AN EXPOSITION OF PROPHETICAL BOOKS of the Old Teſtament &c.

i. e.

EXPOSITIO LIBRORUM PROPHETICOrum Veteris Teſtamenti cum obſervationibus Moralibus; Autore MATHÆO HENRY, verbi divini Miniſtro.

Londini, apud Jo. Laurentium, & reliqu. 1712, f.

Alph. 9.

SAlutare eſt illud commentandi genus, quod in lingua vernacula Sacrorum Librorum ſenſum non modo explicat, ſed & poriſmata Moralia, ædificationem fidelium promoventia, eruit, probat & illuſtrat. Magni habentur apud nos Vinarienſia, Wurtenbergenſia & Oſiandrina Biblia, hoc ſcopo ſcripta, ſed majori dicendi copia. Ad finem eundem contendit in Anglia doctiſſimus & ſacrarum literarum peritiſſimus Matthæus Henry, cujus Expoſitionem Pentateuchi, Librorumque Hiſtoricorum & Poeticorum Vet. Teſtamenti in Actis Anni 1713, pag 337 ſequ. recenſuimus. Nulli dubitamus, quin ejus egregii labores tam concionatoribus, quam auditoribus ac lectoribus grati & accepti ſint futuri. In præſenti Tomo omnes libros Propheticos quatuor majores & duodecim minores ea methodo explicuit, ut cuivis capiti præmittat contenta in partes diviſa,

visa, deinde subjiciat particulam textus, ex Bibliis Anglicanis autoritate Regis Jacobi approbati. Porro addit explicationem ex optimis commentariis, non sine judicio collectam, cui tandem subjungit porismata fuse explicata, variisque Scripturæ locis probata & illustrata. Singulis libris præmittit brevem tum vitæ Prophetæ, tum libri & contentorum enarrationem, quæ Lectoribus lucem præfert. Ut de ejus methodo paulo clarius constet, breve sed obscurum satis caput evolvemus, & breviter delineabimus, quæ ibi prolixius leguntur. Sit hoc Cap. XVIII Esaiæ, in quo DEUS de populo terram alis obumbratam inhabitante conqueritur. Partes ejus quatuor constituit. 1) comminatur ille mala populo DEI v. 1, 2. 2) vicini excitantur, ut eventum expectent v. 3. 3) Deus, qui aliquandiu populum suum non curare visus est, tandem hostes vult percutere. v. 4, 5, 6. 4) hoc cedet in Dei gloriam. Textum ipsum ab Interpretibus in varios sensus tractum duplici modo interpretatur. Primo, refutata illorum opinione, qui terram alis abumbratam de Ægypto accipiunt, aliorum sententiam adducit, qui Æthiopiam Arabicam ilia metaphorica phrasi appellatam esse contendunt, quod plerisque vero simillimum non sine ratione est visum. Istius terræ Regem eo tempore fuisse Thirhakum cum pluribus statuit, qui Israelitas sub suæ umbræ alas recipere, & Regis Assyriæ, qui illos infestabat, terram invadere cogitabat, 2 Reg. XIX, 9. Sed licet ille Assyriæ Regem per suos legatos provocaret; Deus tamen ejus consiliis non annuit, quia Judæos alia ratione eripere & Hierosolymam liberare constituerat. Nam exercitus Assyriacus DEO exercituum in sacrificium erat offerendus per angelum a DEO missum, non per Thirhakum suo consilio pugnantem, v. 7. Quamvis vero hanc explicationem Clar. Vir laudet, conjecturam tamen doctissimi Lightfootii, quam in Chronic. V.T. produxit, non præterit. Hic vaticinium contra Assyriacam terram exhiberi existimat, connectendum cum ultimis tribus versiculis antecedentis capitis. Assyriam ad fluvios Arabiæ desertæ Euphratem & Tigrim sitam fuisse constat; eandem putat vocari terram alis obumbratam, ut respiceret ad ea, quæ supra Cap. VIII, 8 Deus dixerat, Regem nempe Assyriæ, alas suas

expansurum esse super terram Immanuelis. Quamvis hæc explicatio pluribus difficultatibus prematur, laudanda tamen est Cl. Viri modestia, quod sententiæ conceptæ tam tenax non sit, ut aliorum explicationes prætermittat, vel rigorose examinet. Explicato generali totius capitis sensu, ordine partes supra indicatas persequitur, & ex omnibus porismata eruit. Sic pergit: Ad terram, quæcunque ea sit, convulsam & dilaceratam per aquam mittuntur nuntii bellum indicturi, v.2. Ex quo sequentia porismata eruit: 1) populum, alias terribilem, posse convelli & devastari per fluvios suos, ex quibus mercatores & œconomi lucrum expectarant. 2) Nationes, quæ aliis fuerunt terribiles, fatali rerum concursu posse irruentium vicinorum spolium fieri. 3) Principes plerumque aliorum terris inhiare, cogitantes nationem aliis terribilem esse vindicandam. 4) Populum quidem Dei conculcari & devastari, sed vastatores eundem semper terribilem invenire. Populus DEI prosternitur; sed non destruitur. Ulterius ex versu 3 sequentia eruit consectaria: 1) Æthiopes & Assyrii ceperunt consilia, ex quibus sibi multa promittunt; sed videamus, quid DEUS de iis dicat: Ille super montibus vexilla erigit, tubaque clangit, hostibusque Ecclesiæ bellum indicit. Ubi monendum, hoc quidem porisma sequi ex sensu, quem Clar. Vir v. 3 conceperat; sed si verba illa rectius inspiciantur, non tam de Deo, quam potius de Tirhaka sunt capienda, qui Ægyptiis auxilia laturus vexillum in monte erigit, tuba clangit, omnesque vicinos ab Assyrio afflictos attentos reddit, ut Salvatorem adventantem prospiciant, & eventum felicem exspectent. Hæc de Deo intelligi non possunt, de quo in sequenti v. 4 dicitur, quod in habitatione sua illa omnia quiete conspecturus, hostemque alio modo, nempe per angelum prostraturus sit. Hoc si observasset, etiam sequens porisma ad v. 5 retulisset: totus mundus consideret, omnes terræ incolæ adspiciant vexilla, audiantque tubam, & observent divinæ providentiæ opera. Concurrant omnes ad Deum audiantque ejus verbi tubam sonum certum edentem. 3) Deus per prophetam significat populo suo, quod, licet quandoque videat uresse rerum contingentium

spectator,

ſpectator, nihilominus opportuno tempore apparitums & hoſtes contriturus ſit. Plura hic adducuntur, quæ non perſequimur, perrecturi ad aliud vaticinium docte explicatum. Cap. LXIII Eſaiæ, quod in quibusdam Eccleſiis noſtris tempore paſſionis prælegitur, & de Chriſto patiente ſenſu literali explicatur, noſter doctiſſimus Interpres, uti par eſt, in ſenſu literali, de Idumæis, in myſtico vero de ſpiritualibus hoſtibus interpretatus eſt. In expoſitione literali hoſtes ſunt Idumæi, qui lætati ſunt, cum Judæi per Chaldæos deſtruentur, Pſ. 137, 7, & qui interfecerant omnes, qui ea tempeſtate perterriti in Idumæam confugerant, Obad. XII, 13. Additur porro, hoc vaticinium eſſe impletum, licet nullibi legatur, Idumæos eſſe victos: idem enim Jeremias prædixit XLIX, 13: *Bozra devaſtanda erit*. Hoc ſenſu ſpectat vaticinium ad Judæos, quibus per Jeſaiam eſt traditum; ſed quia Idumæa uti Babylonia in Scriptura eſt typus omnium hoſtium Eccleſiæ, ideo etiam de his in ſenſu myſtico eſt accipiendum. Uti præceptum de non frangendis oſſibus agni paſchalis Ex. XII, 46 in ſenſu literali de eodem intelligitur: ſic in ſenſu myſtico in Chriſto, Joh. XIX, 36, quem adumbrabat ille agnus, eſt vere impletum. Hinc noſter Clariſſimus Autor dicit, victoriam Idumæorum adumbrare ſpiritualem victoriam per gratiam Dei in Chriſto ab omnibus ſpiritualibus hoſtibus reportatam. Similiter verba Cap. VI Hoſeæ v. 1, ex Ægypto vocavi filium meum, literali & myſtico vel prophetico ſenſu Noſter interpretatur. Hæc verba, inquit, impleta dicuntur de Chriſto Matth. II, 15; habent ergo illa duplicem ſenſum, hiſtoricum de evocatione Iſraelitarum ex Ægypto, & propheticum de eductione Chriſti ex eadem. Prior eſt typus poſterioris, & ſpecimen inſigne amoris divini, quo populum ſuum complexus eſt, quem etiam eo comprobat, quod filium ſuum, quem Judæi expulerunt, in Judæam revocat. Ex eadem hypotheſi explicat Cl. Autor Dan. XII, 2: multi dormientium in terra pulveris expergiſcentur, hi ad vitam æternam, & illi ad opprobria & contemptum ſempiternum. Hæc interpretatur in ſenſu literali de Antiocho. Cum Deus, inquit, populum ſuum ex perſecutionibus eripit, eum quaſi reſuſcitat. Sic reductio Judæorum ex Ba-

 bylonia

bylonia ſub viſione reſurrectionis præfiguratur Ezech. XXXVII. Simili modo liberatio Judæorum ab Antiocho, aliæque reſtaurationes Eccleſiæ in ſtatum feliciorem, ſunt reſuſcitationes mortuorum in vitam. Multi qui in pulvere obſcuritatis & calamitatis dormierunt, reſurgent, quidam in hanc vitam, honorem & ſolatium, quod durat in æternum; quidam, qui poſt reſtitutionem revertuntur ad priſtinam malitiam, reſurgent in dedecus & contemptum. Deinde literali ſenſui addit duos myſticos, α) reſurrectionem Judæorum & gentilium, Chriſti, Michaelis adventu futuram. β) Reſurrectionem univerſalem adhuc futuram. De priori ita loquitur: Cum princeps noſter Michael apparebit, ſuumque Evangelium prædicabit, multi dormientes in pulvere tam Judæi, quam gentiles reſurgent ex Gentiliſmo & Judaiſmo; ſed quia ſemper hypocritæ admixti ſunt fidelibus, quidam reſurgent ad vitam, quibus Evangelium eſt ſapor vitæ ad vitam; alii ad contemptum, quibus Evangelium eſt ſapor mortis ad mortem. Poſteriorem ita propoſuit: neceſſe eſt, ut hæc intelligantur de reſurrectione univerſali. Multi, qui dormiunt in pulvere i.e. omnes quorum maxima multitudo eſt; vel multi eorum, qui dormiunt in pulvere, reſurgent in vitam, multi quoque ad contemptum. Hunc ſenſum probat partim teſtimonio Judæorum, qui hunc locum de univerſali reſurrectione interpretantur; partim verbis Chriſti, qui ad hoc vaticinium reſpexit, cum de reſurrectione ad vitam & damnationem loquitur Joh. V, 28, ut & verbis Pauli, qui de Judæis teſtatus eſt, quod reſurrectionem juſtorum & injuſtorum expectent. Act. XXIV, 15. Non improbanda erit hæc methodus, ſcimus enim, vaticinia Iſraelitis eſſe data, ex quo conſtat, quod ad eosdem ſpectent in ſenſu literali; quia vero prophetæ de Chriſto teſtati omnes ſunt, neceſſe eſt, ut facta hiſtorica, a Prophetis prædicta, typi ſint futurarum rerum ſpiritualium. Senſum literalem plerumque urget ſcopus & nexus: myſticum vero explanant N. T. Scriptores, qui myſteria œconomiæ divinæ optime ex divina revelatione cognoverunt.

JOAN-

JOANNIS CONRADI Schwartz, *ELOQ. ET Græc. ling. P. P. O. in Gymnas. Casimir. Miscellanea Philologica, & Theologica.*

Coburgi, apud Paul. Gunther. Pfotenhauer, 1715. 8. Alph. 1 plag. 3.

DOctissimus Autor horum Miscellaneorum, cujus jam alias, ut meretur ejus præclara eruditio, in Actis nostris mentionem fecimus, repræsentat nobis primo loco *Germanicum Cæsarem*, sua cura perpolitum, cum ei jam inde a Grotio, cujus hic notæ recusæ sunt, rejectis tantum imaginibus, in earumque locum substituto Schikardi astroscopio, nemo medicam manum, qua tantopere indigebat, ex instituto admovisset. Ipse igitur, cum in appendice præfationis hæc carmina Germanico Drusi filio dicasset, & Nicolaum Heinsium aliud cum Rutgersio sentientem refutasset, Aratum, & cœlum ipsum, & veterum scriptorum testimonia, fundamenti loco substernens, conquisitis etiam doctorum virorum, Guil. Morelli, Hadr. Turnebi, Josephi Scaligeri, Claudii Salmasii, Jani Vlitii, Casp. Barthii & Jani Brouckhusii, fugitivis, & alieno plerumque loco productis notis, ad eum interpretandum accessit, duplici potissimum ratione usus: nam & obscura ex Mythologis explicavit, & corrupta modeste, nec sine necessitate, ex ingenio restituit. De notis quidem illud monendum est, esse quam brevissimas, noluit enim, quæ in lexicis reperiri possunt, obtrudere, aut aliena attexere, sed contentus fere fuit, fontes indicasse, ex quibus hujus vel illius fabulæ historia limpidius, quam ex vulgaribus libellis, hauriri queat, id enim magna ubique diligentia præstitit. Adeo pleræque ejus notæ mythologicæ sunt. Exempla luculenta occurrunt p. 8 de Attide, p. 15 de Ariadne, p. 20 de Icaro, p. 27 de Boote, p. 31 de Myrtilo, & alia. Nonnunquam immiscet etiam aliquid ad observationem rituum antiquorum pertinens, ut p. 4 pro audace habitum fuisse annotat, qui sidera curiosius intueretur, & p. 23 navigationem aureo seculo ignotam fuisse, & p. 26 veteres nefas existimasse, occidere bovem aratorem, & p. 61 horas veterum æstate longiores, breviores autem hieme fuisse. Alicubi singulares

res vocabulorum quorundam significationes ex intima Latinitate primus depromit, quemadmodum p. 190 eleganter monitum est ab eo, quod *a* ponatur in comparationibus, & quod *utensilibus* significentur alimenta, vel res ad vitam sustentandam conducibiles. Quibus exemplis præter cetera antiquitatem Latinæ versionis Irenæi demonstrare voluit. Ex emendationibus unam maxime notabilem proferemus, quæ p. 55 extat. Nam cum in veteribus editionibus versus 267, 268, sic legerentur:

Cum primum agricolam ventus supereminet auster,
Et cum surgit hiems ponto, fugienda peritis.

& neque Grotius sciret, quid sibi vellent, neque Salmasius, qui post longam & tædiosam in Exercitationibus Plinianis ad hunc locum disputationem nihil tamen extricare potuit, ipse sic eos emendat, & distinguit, Arati vestigia secutus:

Cum perit, agricolam vellens supereminet æstas,
Et cum surgit, hiems ponti fugienda peritis.

Loquitur autem Germanicus de Pleiadibus, quas *perire* dicit, cum occidunt, *surgere*, cum oriuntur. Rationes emendationis ipse reddit in subjectis notis copiosius. Possent alia complura adduci, sed jam apparet ex his, quæ dicta sunt, doctissimum Autorem non levia subsidia ad scriptorem hunc explicandum attulisse. Allegat passim in notis ea, quæ ad Scriptores rei rusticæ scripserit, quorum ab aliquo tempore novam editionem procurandam in se suscepit: quod ut quam primum effectum reddat, maxime eum rei litterariæ causa rogatum volumus. Adjecit ingeniosam amuleti cujusdam Basilidiani, quod ex Sponio desumsit, item gemmæ & numorum aliquot in Thesauro Brandenburgico exhibitorum explicationem, quas studiosus Lector ipse non sine jucunditate evolvere poterit. Nos enim properamus ad Miscellanea Theologica. Primo loco occurrit explicatio loci Rom. X, 9, 10: *Quod si professus fueris ore tuo Dominum Jesum* &c. Ad hunc quasi lapidem offensionis offendere ait doctos & indoctos. Hos quidem, quod putent, Christo Paulum contradicere, cum latam adeo facilemque salutis viam dicat, quam ille Matth. VII, 14, 21, 22, 23 angustam multisque

septam

ſeptam difficultatibus pronunciarit. Doctos autem offendere, quod ad Romanos talia ſcripſerit Apoſtolus, quorum mores temporibus Claudii, quæ potiſſimum obverſata illi fuerint, peſſimos fuiſſe, idoneis plurimisque bonorum autorum teſtimoniis confirmat. Cogitare igitur doctos, ſi inter Canadenſes illa ſcripſiſſet Apoſtolus, gentem olim nullis fere vitiis inquinatam, non mirum fuiſſe, ſi tam pauca poſtulaſſet fidei capita vitæque præcepta. In tanta autem morum Romanorum corruptela de tam brevi religionis formula quid ſentiendum ſit, non apparere. Utrisque occurrere ſatagit doctiſſimus Autor, ex Hiſtoria Eccleſiæ illorum temporum oſtendendo, quam difficile, quamque periculoſum fuerit profiteri Chriſtianam religionem, in populo ad miraculum ſuperſtitioſo, novisque cultibus, Chriſtiano inprimis, nimium infenſo, vel eam ob cauſam, (plures enim allegat p. 239 ſq.) quod ſolennibus epulis & ſacrificiis, quibus curias ſingulas concordiamque adeo populi contineri, antiquitus inſtitutum erat, intereſſe Chriſtiani prohibebantur, tanquam communioni Dæmoniorum, 1. Cor. X, 14 ſeq. Emphaſes deinde reliquorum verborum diligenter evolvit Autor, &, quæ iis præcipiuntur, moribus Romanorum e diametro adverſari, ac denique ſummarium quaſi Theologiæ illis contineri, ingenioſe demonſtrat. Ut adeo neque indocti habeant, quod putent, Chriſto adverſari Paulum, neque docti, parum ad mores Romanorum accommodaſſe ſermonem ſuum, exiſtimare poſſint. In *fragmento demonſtrationis Theologicæ* id agit Autor, ut præſentiam realem corporis & ſanguinis J. C. in Cœna Dominica demonſtret, ſed quia longior eſt, quam ut huc transferri tota poſſit, niſi vero tota proponatur, plene intelligi non poſſit, notamus tantum, totam fere rem eo redire, Chriſtum eſſe antitypum agni Paſchalis, ſucceſſiſſe itaque tanquam ſubſtantiam & corpus in locum umbræ, & tam vere eodemque loco adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti, quam vere quoque loco adfuerit agnus Paſchalis. In Scholio ad definit. II & III de eo inprimis diſputat, non ex typo de antitypi ratione, ſed ex antitypo de natura typi judicandum. Exemplo hanc in rem utitur agni Paſchalis, allatisque quam plurimis vitæ paſſionisque Chriſti circumſtantiis, ſi-

mile quid in agno Paschali fuisse, inde conjicit: ex quibus duo tantum proferemus, quod forte pauci typum vel antitypum ibi quærant. Unum est: *Christus quum e cruce penderet, hoc fuit ornatus elogio JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Agnus quia perdentem Angelum & inimicos Jsraelitarum a noxia probibebat, & Jsraelitas suos tuebatur; regis officio rite functus est.* Alterum: *Jesu vestimenta in quatuor partes divisa sunt. Tunica ἄῤῥαφος integra mansit. Lana distincta fuit agni: pellis fere discissa non est.* In animo habet clarissimus Autor, omnes omnino παραςάσεις vitæ Christi, quæcunque a quatuor Evangelistis annotatæ sunt, hac ratione ad typum hunc, agnum nempe Paschalem, peculiari commentatione revocandi. In Scholio ad Axioma XIII, sanguinem Christi in verbis institutionis S. Cœnæ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης vocari ait, quod id esset novi instituti, ut sanguis biberetur, cum Judæis prohibitum fuerit. Disputatio, cui titulum fecit: *Muhamedes Gnosticus* prorsus egregia est. Retundit enim calumniam, quam vocat, Muhamedanam religionem ex Christiana, Judaica & Gentili esse commixtam, ostenditque, comparatis inter se Irenæi, ubi de Gnosticis agit, testimoniis, & Corani quibusdam locis, e Gnosticorum impuris fontibus Muhamedem & errorum prodigia & vitæ dissolutionem hausisse. Quæ sequitur commentatio agit de *unica humani generis stirpe Adamo*, ubi contra eos disputatur, qui gentes Americanas, Africanas & Asiaticas ab eodem patre descendere potuisse negant, quorsum *Hontani* inprimis locus ex Itinerario ejus exhibetur, ostenditurque, discrimen inter has gentes non esse tantum, ut non ab uno Adamo potuerint procreari. In *Specimine observationum ad Gussetum* palam facere voluit, quanta ex diligente lectione Scriptorum rei rusticæ Latinorum ad sacram etiam Philologiam utilitas redundare queat. Ex his igitur contra *Gussetum* probat, vocem אבוס non *aream*, in qua trituratur, sed vel *præsepe*, quod adhuc plerisque placuit, vel *horreum*, quæ ipsius propria est sententia, significari. Claudit agmen *Delectus precum* a B. *Casparo Neumanno* Germanice scriptus, a nostro Latio donatus, ut *auditores* viri doctissimi *Latinitatem ne corrumpant*, (quam ipse in

præfatione

præfatione instituti rationem affert) *si*, quod utilius putat, *Latine precari quam Germanice* malint.

INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ AD faciliorem veterum ac recentiorum Philosophorum lectionem comparatæ, Opera & studio V. Cl. EDMUNDI PURCHOTII.

Tomus IV.

Lugduni, apud Antonium Boudet, 1711, in 12 reg. Alph. 1.

POstquam acutissimi Philosophi Tomum I Supplement. T. VI Sect. III p. 118 seq. & Tomum II ac III ibidem Sect. IV p. 146 seq. perlustravimus, hoc loco, quæ reliqua sunt, addemus. Tomo quarto Cl. Autor scientiam moralem pertractat, quam in quatuor partes dividit. Parte prima de summo bono seu actuum humanorum fine disquirit: ubi primum varias Scholæ de bono distinctiones explicat & quæstiones ad examen revocat, num bonum ita appetatur, ut odio haberi non possit? num malum ita aversemus, ut ipsum amare nequeamus? utrum bona utilia & jucunda sint etiam vere bona, an vero solum bonum honestum seu virtus boni nomen mereatur? an denique utile dici possit, quod non sit honestum? Quæstionem primam affirmat, si bonum spectetur comparate ad nos; negat, si absolute spectetur. Ratio hæc est, quia voluntas odisse nequit, quod eam suaviter afficit. Eadem distinctione utitur ad quæstionem secundam decidendam. Bona jucunda & utilia, h. e. bona animi, corporis & fortunæ moraliter nec bona, nec mala esse statuit; sed eorum duntaxat usum bonum esse aut malum. Ad quæstionem quartam distinguit utile in id, quod ad aliud obtinendum conducit, & in id, quod meliores nos efficit. Posteriori sensu ad quæstionem negando, priori affirmando respondet. Succedit finium consideratio, ubi explicatis aliquot Scholæ distinctionibus probatur, finem ultimum omnium rerum esse Deum, quia ad ipsum res omnes ultimo referuntur. Unde rejectis Epicureorum, Stoicorum, Peripateticorum & Platonicorum de summo bono senten-

ſententiis, in ſolo Deo hominis felicitatem poſitam eſſe concludit, præſertim cum is mentem humanam ita complere poſſit, ut nihil ipſi ulterius optandum ſuperſit. Beatitudinem formalem in ſummo gaudio conſiſtere ſtatuit, quia eſt ſtatus, quo in ſummo ſuo bono viſo & amato tanquam ultimo fine acquieſcit. Digreditur duobus ultimis capitibus ad theologica nonnulla de beatitudine æterna per Chriſtum conſequenda, quæ non ſunt hujus loci.

Pars ſecunda, prolixior ceteris, actus humanos eorumque regulas replicat. Actum humanum cum *Thoma Aquinate* appellat eum, qui fit ab homine cogitato & conſulto agente. Diſtinguit hos actus more Scholæ in interiores ſeu elicitos & exteriores ſive imperatos. Actus interiores voluntatis enumerat 1 amorem boni & odium mali generatim; 2 conſultationem ſeu mediorum ad finem ducentium inquiſitionem; 3 electionem ſeu aſſumtionem unius medii præ alio ad conſequendum finem; 4 fruitionem. Circa actus imperatos varia diſquirit, nempe 1 quid ſit imperium & ad quam facultatem pertineat? 2 an voluntas moveat intellectum & viciſſim ab intellectu moveatur? 3 an voluntas appetitus ſentientis motibus & 4 an ſenſibus internis, imaginationi ac memoriæ imperet? Imperium cum Canoniſtis definit per actum ſuperioris aliquid intimantis; unde concludit, imperium includere & intellectum, quia id, quod intimatur, intelligi debet, & voluntatem, quia juſſio eſt voluntatis actio. Quoniam tamen vis impellendi præcipua in imperio, voluntati præcipuo jure imperium tribuendum eſſe Noſtro videtur. Quærit deinde, an omnis actus humanus ſit voluntarius & liber? Voluntarium definit per id, quod fit cum cognitione intellectus & propenſione voluntatis: involuntarium vero, quod fit vel vi, vel ignorantia. Unde infert, involuntaria eſſe, quæ per vim fiunt. Hanc autem voluntati inferri poſſe quoad actus interiores & proprios negat, quia hi ſemper cum propenſione voluntatis fiunt; largitur tamen, eam inferri poſſe quoad exteriores & imperatos, cum experientia id loquatur. In numerum involuntariorum refert, quæ fiunt ex metu gravi, quia fiunt voluntate repugnante: comparate tamen voluntaria cenſet, quatenus nimirum

rum fiunt ad majus malum declinandum. Concupiſcentiam, etiam quæ voluntatis conſenſum antecedit, voluntarium tollere negat, quia nec voluntatis propenſionem, nec intellectus cognitionem penitus adimit. Actum tum dicit liberum more vulgari, ſi ſic exercetur, ut ad libitum omitti poſſit & duplex libertatis genus conſiderat, libertatem nempe a coactione ſeu ſpontaneitatis & libertatem a neceſſitate ſeu electionis. Priorem homini competere probat, quia non poteſt cogi voluntas in actibus interioribus & propriis. Poſteriorem ineſſe, per experientiam ſtabilit & ad eam more ſolito indifferentiam contradictionis requirit. Progreditur inde ad bonitatem & malitiam actuum humanorum explicandam. Moralitatem actus vocat reſpectum ad ſuam regulam, per quam vel bonus, vel malus decernitur. Cum ea conferendum eſſe monet actum tum ratione objecti, tum ratione finis, tum ratione circumſtantiarum notiſſimo verſiculo comprehenſarum: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Regulam cum *Thoma Aquinate* duplicem agnoſcit, nempe legem æternam, quæ eſt ſumma Dei ratio vel ordo, quo cuncta ſapienter diſponuntur, & rationem humanam, quam utramque nomine legis naturalis comprehendit. Primaria hujus præcepta in amore Dei ſuper omnia & proximi propter Deum conſtituit. Unde de utriusque indole diſſerit & obvias apud Moraliſtas concluſiones de lege naturali tradit. Huic doctrinæ jungit alteram de conſcientia, quam vocat actum, quo applicamus ſcientiam noſtram ad actiones noſtras, & prolixe inprimis adſtruit, a vera ſolidaque morum ſcientia doctrinam probabilitatis ablegari debere, rationibus non tam philoſophicis quam theologicis uſus. Solenne enim eſt Noſtro Theologiam miſcere Philoſophiæ, nec hanc puram atque integram ſemper conſervat. Et ad priorem quidem ſpectat integrum de lege divina caput; quod vero de legibus humanis ſuccedit, de legibus eccleſiaſticis & civilibus hiſtorice tractat: mox tamen ex Inſtitutionibus Juſtinianeis ſubjunguntur ſelectæ juris notiones cum variis obſervationibus ad doctrinam morum ſpectantibus. Epilogi loco in parte ſecunda examinantur duæ quæſtiones, ſcil. an omnis actus humanus ita cum morum regulis conſentiat aut ab

iis discrepet, ut semper bonus sit, vel malus moraliter, nunquam indifferens? & num affectus animi disciplinæ moralis præceptis subjiciantur? Quæstionem priorem cum D. *Thoma* affirmat Autor, si sermo sit de actu humano individuo spectato, quia omnis actus sit vel propter bonum, vel propter malum finem, hancque sententiam contra *Scotum* prolixe defendit. Ad posteriorem duabus propositionibus respondet: nimirum omnes affectus animi non esse natura sua malos, nec proinde extirpandos, sed regendos, & intra rationis fines continendos, quia ad rectum finem ordinari possunt hominemque ad honesta munia obeunda inclinant; rectum autem affectuum usum in eo maxime positum videri, ut ii vel ratione temperentur, vel ad boni persecutionem fugamque mali comparate ad ultimum hominis finem adhibeantur.

Pars tertia in virtutum indolem inquirit. Virtutes in supernaturales seu infusas & naturales seu acquisitas distinguit. In illarum censum refert fidem, spem, charitatem, gratiam habitualem, dona Spiritus Sancti, fructus Spiritus, beatitudines Evangelicas a Christo prædicatas, consilia Evangelica de castitate perpetua, paupertate voluntaria & obedientia integra, donumque perseverantiæ: in horum numero sunt prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Virtutem definit Autor per habitualem amorem ordinis, & in virtutibus supernaturalibus explicandis Theologos, in naturalibus evolvendis *Aristotelem* sequitur. Quemadmodum vero philosophiam puram & castam non conservat, ita quoque ex Theologorum scriptis nonnulla de peccato cum originali, tum actuali inculcat.

Pars denique quarta officia hominis erga DEUM, erga seipsum, erga familiam, erga Remp. breviter recenset.

EXERCITATIONES SCHOLASTICÆ IN varias partes Philosophiæ, præsertimque in Aristotelis Metaphysicam, sive series disputationum Ontologicarum naturali ordine dispositarum, quibus præmissum est breve Compendium Philosophiæ. Opera & studio EDMUNDI PURCHOTII, *Juris Licentiati &c.*

Lugduni,

Lugduni, apud Antonium Boudet, 1711, in 12 reg. Plag. 18.

CUm singulas partes Philosophiæ *Purchotianæ* recensuerimus, inde haud difficulter judicare licet, quænam in Compendio Logicæ, Metaphysicæ, Physicæ ac Ethicæ contineantur. Nimirum ex opere prolixiori excerpuntur definitiones ac propositiones; omittuntur explicationes, illustrationes, probationes & disputationes, quamvis subinde rationes quædam assertorum indicentur.

Disputationes ontologicæ majorem libri partem sibi vendicant. Prima proœmialis est de Philosophia universe, ubi quæritur, 1 an apud nos exstet Philosophia? 2 an scientia, fides & opinio simul in eadem mente de eadem re consistere possint? 3 quænam sit causa efficiens Philosophiæ? 4 quænam causa materialis? 5 de unitate & distinctione generica, specifica, numerica & aliis adjunctis scientiarum, 6 num scientiæ speculativæ sint nobiliores practicis? Secunda est de ente generatim, an ens sit univocum respectu entis realis & entis rationis, respectu substantiæ & accidentis, respectu Dei & creaturæ. Tertia est de principiis entis, actu & potentia, essentia & existentia, natura & singularitate, distinctione graduum methaphysicorum in eodem individuo, existentia universalium, eorundem indole, & præterea disputatur, num universale sit genus respectu quinque universalium nempe generis, speciei &c. an in actuali prædicatione excidat sua universalis ratione, de genere & differentia, de substantia & subsistentia. Quarta est de causis entis, finali, efficiente, materiali & formali. Quinta est de proprietatibus entis, unitate, veritate & bonitate, relatione & oppositione. Epilogi loco subjiciuntur theses Philosophicæ ex Prolegomenis. Sed vix consultum judicamus, ut aliqua ex his ferculis scholasticis apponamus.

OECONOMIA JURIS CONSISTORIALIS, cum Decade Quæstionum exhibita a CHRIST. FRID. PLATHNER.

Goslariæ, impensis Joh. Christoph. König/ 1715, 4. Plag. 18.

Cum

CUm hactenus Consultissimo Autori in Jure Ecclesiastico hodierno haud pauca ex principiis inique perceptis hausta multaque a Pontificiis adhuc residua reperta fuerint, veritatis studio motus ex sanæ Philosophiæ & Jurisprudentiæ Universalis, Romanæ æque ac Germanicæ, principiis pro idea recte formanda hasce vigilias, ut ipse appellat, typis vulgandas curavit, unde nonnulla in medium adducemus. Electori Sax. nomen
§. 14. Defensoris Religionis Evangelicæ tribuit Autor, quod in primordio Reformationis strenue pro illa militaverit; sed num
24. curiæ usu idem receptum, nobis nondum liquet. Territoria Statuum Protestantium in *Secularia*, eaque vel ab initio vel ex post facto, & *Ecclesiastica*, vel stricto modo, quæ jure Postulationis vel Electionis ad ipsos pertinent, vel late, quæ uni familiæ incorporatæ, & denique *mixta*, in quibus Regimen quidem formam secularis præsentat, salvo tamen jure Capitulorum, exemplo Magdeburgensis Ducatus, distinguit, atque in Ecclesiastica, uti & in personas & bona Romanensium in terris Protestantium sita ter-
16. 25. ritorii Domino omnia jura competere statuit. Jus autem Consistorium habendi, atque ut Clerus in illo adhibeatur, libertatis & consilii, non necessitatis esse; at hodie Diaconos quoque admitti, licet præter Goslariam id nuspiam sibi apparuerit, demonstrat. Præsidis officium Politicis vindicat, dicto Salvatoris, qui
29. 26. discipulum alium alio superiorem esse prohibuit, & praxi suf-
29. fragante (nisi quod bellico Danorum Consistorio Theologus præsit,) eidemque sigillum plerumque concedi tradit, Clero
27. tamen ab hoc interdum haud excluso, debere etiam Politicos Assessorum numero in Consistorio vincere, cum maxima labo-
30. rum pars ipsos tangat: illos autem ex Clero non in rebus saltem fidei, sed & aliis voto decisivo, imo in spiritualibus Politicis
32. 33. prævalere. Actuarii munus maxime necessarium neque illud ab
34. 35. Assessore quodam expediri posse existimat; denique Pedelli officio modo æditutum modo nuncium Regiminis secularis de-
37. fungi notat, hoc tamen erroneæ observantiæ imputans. Principem utpote supremum coram Consistorio conveniri non posse dicit, licet monitio quædam Consistorialibus in Legibus ferendis competat, ne legi naturæ seu Scripturæ istæ renitantur; præterea

terea diſtinctionem inter Jura Epiſcopalia & Sacrorum refellit,
& potius inter Reſervata Gratiæ & jus ordinandum, quæ ad ſo-
lum Principem pertineant, ac ordinarie concedenda aut jure
jam ordinata, quæ a conſiſtorio nomine Principis peragantur, di-
ſtinguendum autumat; ſi vero illa quoque obſervantiæ forſan §. 38.
ſpecie ſibi tribuat Conſiſtorium, turbatæ ſuperioritatis circa ſa-
cra illud reum fieri, etſi in plurimis adhuc terris iſta incerta re-
periantur, quo tamen in genere provinciæ Saxonicæ ceteris
palmam facile præripiant. Inde cavendum eſſe Conſiſtoriis, ne
cancellos delegatæ Jurisdictionis tranſiliant, ſed talia potius ad
Principem deferant, ne ſuſpectum Principi vel partibus redda-
tur; denique errorem eorum, qui Conſiſtoria Proteſtantium 90.
in locum judicii Epiſcopalis ſurrogata credunt, notavit. Privi- 39.40.41.
legium fori Clero nec lege divina, nec Canonico jure, ſed Gratia
Principis conceſſum, hincque ſæpius idem ceſſare ſibi perſuadet.
Cum autem multæ cauſæ, quæ ſtricto jure ad forum Civ. perti- 36.
nent, ad Conſiſtoria referantur, vel ex inveterato Pontificiorum
principio, vel regulis juris Can. a noſtris moribus omnino alienis,
quibus ſummi ſæpe JCti falſo ſunt innixi, cauſas ſedulo monet eſſe 42 - - 45.
indagandas, de quibus tribunal Eccleſiaſticum hactenus judica-
verit, idque a recentioribus haud infelici ſucceſſu fuiſſe tenta-
tum, licet multa adhuc ſuperſint; interea cauſas Miniſterii cir-
ca conſcientiam probe diſcernendas, nec ad Conſiſtorium eſſe
trahendas. Appellationes a judiciis Eccleſiaſticis nec ad ſum- 54. 55.
ma Imperii tribunalia, neque apud Catholicos ad Pontificem, ex
caſu noviſſimo Hildeſiæ ſibi oblato, eſſe permiſſas demonſtrat.
Jurisdictionem gubernativam in cultu externo ſoli Principi vin-
dicat, etiamſi Princeps in multis propriæ Religionis principiis 58.
non conformiter vivat, *1 Petr. II.* Poteſtatem in Principem pro-
prium cenſura utendi, ſi crimen tantum ſit tranſiens, Eccleſiæ vel 59.
Miniſtro plane negat; ſin vero continuum & quod directo im-
plicet contradictionem cum fide, tutius eſſe ait, ut provinciam
plane relinquat, quam ſaucia conſcientia aliquid committat.
Vim denique compulſivam ex Matth. XIIX, unde Excommu- 61.
nicationem plerique derivant, perſuaderi ſibi non patitur. Inte-
rim Principes Proteſtantes Excommunicationem eam majorem

sibi reservasse, nec Consistoriis eam communicasse animadvertit. Addidit Autor Cel. ob affinitatem materiæ Decadem quæstionum, quibus olim a quodam (videtur is esse Andr. Fröling, Minister antea apud Goslarienses,) falsitates nonnullæ ipsi imputatæ fuerant. I & II Elenchum haud intempestive adhibendum tradit, cum regulæ prudentiæ haud obsint efficaciæ Spiritus; conf. lib. Autoris contra Andr. Frölingen exaratum sub tit. Verkappter und Ertapter Pharisäischer Buß-Prediger. Illum autem, cui falsa crimina a Pastore e suggestu sunt objecta, licet innocentia sua tutus sit, minime tamen esse obligatum, ut injurias illas alto velut supercilio contemnat. III Principem in Ministrum Verbi non ratione personæ solum, sed officii quoque jurisdictionem exercere statuit, ut tamen mandatis Dei vim non inferat. IV Pastorem ad Conciones etiam extraordinarias, in peculiari templo habendas, esse obligatum, licet in Vocatione nulla illarum mentio fuerit facta, ostendit. V Clericum cum Magistratu suo litigantem obstrictum putat, ut coram ipso experiatur, neque judicium delegatum sibi expetat, aut ad superius provocet, cum in præjudicium summorum Judiciorum idem tendere queat. VI Magistratum, quamvis vitam Christiano dignam haud vivat, jura sibi competentia licite exercere posse credit. VII Superiori in Republica potestatem non in corpus tantum civium, sed quodammodo in conscientiam quoque concessam esse censet, ita tamen ut, quæ in lege Dei circa cultum vel internum vel externum jam determinata sunt, ipsi mutare non liceat. VIII Clericum, ut leges publicas politiæ causa latas jussu Magistratus e suggestu populo publice prælegat, teneri existimat. IX Pastorem, superiori parere detrectantem, salario per certum temporis spatium privari posse putat. X Secundum temporum nostrorum statum Ministro verbi divini apud Protestantes sufficere vocationem Patroni externam legitimis modis acquisitam, nec internam seu divinam expectandam esse autumat.

NOVA LIBRORUM RARIORUM COLLECTIO, qui vel integri inseruntur, vel accurate recensentur. Fasciculus IV.

Halæ

Halæ, ex officina Rengeriana, 1715, 8.
Plag. 12.

CL. Editor de rarioribus libris hujusque raritatis caussis posthac commentaturus, prius Typographii rogatu Collectionem hanc a B. Groschupsio edi cœptam & a nobis in Actis A. 1710 pag. 255 commemoratam continuare, eique additis aliquot Partibus & Indicibus necessariis colophonem imponere constituit.

In præsenti Fasciculo principem locum occupat *Guil. Burtoni Historia Græcæ Linguæ*, rarissima huc usque in nostris regionibus & magni semper ab Eruditis æstimata. Nobis non immorari iis, quæ lucem antehac aspexerunt, sed pauca ex recens ab Editore additis observationibus delibare placet. De Burtoni quidem & opusculi, Londini anno superioris seculi quinquagesimo septimo exscripti, fatis plura sequenti Tomo tradere promisit Collector, cui ejusdem Burtoni Commentationem de Reliquiis Linguæ Persicæ inserere animus est. Hic interim ea, quæ ab Oratore aut brevius dicta fuerunt, aut perperam asserta, suis animadversionibus passim illustrat vel emendat, Litteraria etiam quandoque aliorum paroramata castigat. Sic quando l.c. pag. 606 (cohæret autem paginarum numerus cum Fasciculis prioribus Groschupsianis) Burtonus Homerum ipsum Iliadem in Libros per literas divisisse, Aristotelis autoritate nixus, negat. Editor Castelvetri meminit, qui in Comment. ad istum Stagiritæ locum contrariam tuetur sententiam, *non verisimile esse* ratus, *Homerum integros XXIV Libros continuo temporis nexu atque sine ulla distinctione aut intercapedine recitasse*. Nihilominus tamen Aristotelis asserto patrocinari putat Noster vetus proverbium, quo Græci hominem plus justo garrulum, μακρότερα τῆς Ἰλιάδος prolixiora Iliade loquentem appellarunt. Pag. 621 affirmat Anglus, inter antiquissimos vel posteriores etiam Græcos τοῦ γραικοῦ nomen nusquam nisi apud Lycophronem occurrere; verum Aristotelem ipsum L. 1 Meteorol. C. 14 hac voce usum fuisse, in notula docetur. Pag. sequenti Burtoni atque aliorum circa Sophianum ejusque Græciæ Tabulam errores notantur, & pag. 628 Plinii locum in aliquot Editionibus corruptum ex

melioribus Codicibus Collector restituit. Pag. 630 Crenius ipsi vapulat, ob iniquius judicium de Taubmanni in Plautinas comœdias Commentario, quem laborem tamen Clericus & alii Critici satis co nmendarunt, licet & Scaliger, durus in plerisque Germanorum censor, traduxerit. Pag. 635 ridetur mira Perionii Galli etymologia, qui vocem *maison* ἀπὸ τῦ οἴκε Græcorum derivare non dubitavit. Ibidem exponitur, quid & cujus illud Polyolbion sit, quod cum Seldeni Comment. Lond. 1612 forma majori lucem aspexit, pluribus qui Seldeni vitam & scripta recensent, ignoratum, certe non memoratum. Nec tacendi sunt, quæ p. 646 de celebri Spartanorum Psephismate, quo Timotheus solum vertere jussus est, referuntur. P. 650 mentio fit eruditissimi Commentarii, quem in obscurum Cassandræ scriptorem summo studio collegit Cl. Vir, Georgius Frid. Thryllitsius, aliquot præstantissimorum Wittebergensium & Augustanorum MStorum ope adjutus, quem tamen infra p. 760 inopino fato abreptum acerbe dolet. P. 663 de iis agit, qui Continuationem Operis Vossiani de Hist. Græcis & Latinis minati sunt, interque eos optima quæque a Clar. Wendleri conatibus exspectari posse e reliquis Viri eruditi lucubrationibus colligit. Illos etiam p. 682 refutat, qui Accursium Græca penitus nescivisse fingunt, rude illud: *Græca sunt legi non possunt*, celebri Juris Glossatori tribuentes: cum ipse bonus Vir ad Leg. 6 D. de Bonor. possess. (prævidens quasi & exprobraturus immeritam sequentis ævi calumniam) disertis verbis scripserit: *Græcæ literæ possunt intelligi & legi.* Celebre apud Britannos est Roberti Capitonis, vulgo Grossetest, Licolniensis Episcopi, nomen, nihilominus haud pauci scriptores in ejus sive nomine sive fatis hallucinati fuerunt, quorum errores p. 694 notantur, additis præterea de Baleo, æque ac seqq. paginis de Pitseo, Phrea Siculi Interprete aliisque observationibus quibusdam lectu non indignis. Burtonum etiam Lascares, Græcos exules, confundentem ex Magnif. Bœrneri Dissert. de Exulibus Græcis corrigit, & harum Dissertationum auctius recudendarum spem facit Autor. Sequitur *II Franc. Taurelli Dedicatio & Præfatio splendidæ Florentinarum Pandectarum Editioni* (Florent. 1553 f. 2. Volum.) *præmissæ*

præmiſſa, ubi de utroque Taurello, patre Lælio atque filio Franciſco, quæ reperire potuit, affert Collector, miratur vero etiam & conqueritur, quod tantorum nominum vix ulla apud Literarios Scriptores memoria exſtet. Pag. 721 omnes eruditos cimeliorum Juridicorum poſſeſſores obteſtatur, ut ne notitiam pleniorem libri rariſſimi, quod Ant. Auguſtinus *de Nominibus Pandectarum propriis* conſcripſit, ipſi vel publico potius invideant; fruſtra ſiquidem eundem per duos & ultra annos in inſtructiſſimis librariis a ſe quæſitum fatetur. Eamque notitiam eo gratiorem ſibi fore addit, quod fata τῶ πανδέκτυ Juſtiniani peculiaribus olim Diſſertationibus exequi in animum induxerit. Hos Taurelli labores excipit pag. 737 *III Joh. Chifletii judicium de fabula Joannæ Papiſſæ*, quam Antw. primum anno 1666 excuſam, cum vix unicam chartæ quater plicatæ philyram repleat, integram Lectori exhibet: de ſuo tamen ob rationes ſonticas parum aut nihil adjecit. Ceterum facilis eſt conjectura, Chifletium, qui Pontificius & Clericus erat, omni ope eo niti, ut omnem hanc de Joanna relationem falſitatis atque abſurditatis argumentis quibuscunq; convincat. Sellulæ etiam iconem addit, cui Pontifex recens electus inſediſſe fertur, ad experiendum, an vir eſſet armisque ſexu ſuo dignis inſtructus? Hinc *IV* Librum inſipidum pariter ac improbum, quem ſub *Clavicularum Salomonis* titulo Veſaliæ A. 1686 in 4ta forma excudit Andr. Luppius, homo ipſe in fanatica molimina pronus, brevi recenſione perſtringit, aliqua ſimul perverſi ſcripti deliria, & deliriorum ſpecimina ſubjungens. De parente vero fœtus, ſi Diis placet, egregii accuratius diſquiritur in *Epiſtola* laudati ſuperius *Thryllitii* ad Autorem noſtrum brevi ante obitum ſcripta, quæ ſcilicet quintum ultimumque hujus continuationis locum ſibi vindicat. In illa Cl. Thryllitius operoſe oſtendere conatur, Autorem Clavicularum neque Salomonem Iſraelitarum Regem, neq; alium antiquiorem fuiſſe; ſed libellum vel ab ipſo Luppio vel ab alio impoſtore plane novitio ſuppoſitum probat. Editor varia hinc inde monita addit, hocque Germanicum opuſculum ab antiquiore Latino Clavicularum libro Geſnero aliisq; citato, probe diſtinguendum eſſe p 773 hortatur. Præterea Catalogum etiam ſcriptorum Alchymicorum Veterum in vetuſto Bibliothecæ Rhedige-

rianæ, quæ apud Wartislavienses est, MSto contentorum inserit. Hunc, cum Editor ex ipso Codice ad verbum excerptum testetur, huc quoq; vel eo nomine transscribendum duximus, quod in non paucis ab illo differat, quem Morhofius L. I c. 11 Polyh. exhibuit. Habentur vero in eo sequentia: 1) Stephani Alexandri L. de Arte Chrysopœiæ, cum ejusdem Epistola ad Theodorum it. Praxes variæ atque doctrina ad Heraclium Imperatorem. 2) Pelagii Philosophi de divina hac & S. Arte. 3) Ostani Philosophi ad Pethasium de S. hac & divina Arte. 4) Democriti Physica & Mystica. 5) Synesii Philosophi Scholia in Democriti librum. 6) Anepigraphi Philosophi de divina Dealbationis aqua. 7) Item Patefacta de auri successione. 8) Zosimi divini & Christiani Philosophi de Virtute cœlesti divinæ aquæ, de Instrumentis & Camino, de Auri linea recta, &c. 9) Lexicon Chrysopœiæ ad ordinem literarum. 10) Olympiodori Philosophi Alexandrini Commentarius in Zosimum. 11) Anepigraphi Pappi & Hierothæi Philosophorum de Arte sacra. 12) Heliodori Philos. jambi ad Theodosium M. de Mystica arte Philosophorum. 13) Theophrasti Philos. Iambi de eadem divina Arte. 14) Hierothæi Philos. jambi de eadem Arte. 15) Archelai demum Philos. jambi de eadem sacra Arte.

GRAMMATICA GRÆCA EX ALIIS ACCUrato ordine ac sollicito quorumvis examine collecta inque Sectiones & Capita, & hæc in Quæstiones ac Responsiones digesta, ad usus Gymnasii Ratisponensis Poetici, ab ejusdem Rectore ac Prof. Publ. GEORGIO HENRICO URSINO, Spirensi, nunc in alia etiam Gymnasia & Scholas recepta.

Norimbergæ, sumtibus Wolffgangi Mauritii Endteri, 1714, 8. Alph. 2 plag. 2.

QUæ sint Clarissimi Autoris singularia in Græcam & Latinam linguam merita, ex ipsis his Actis haud obscurum est. Edidit hujus seculi anno quinto Dionysii Orbis Terræ Descriptionem, commemoratam in Actis A. 1706 M. Januario: quam lucubrationem antecesserunt Institutiones plenissimæ Linguæ Latinæ, recensitæ M. Januario A. 1701, quas ipse in Compendium non contemnendum redegit anno altero. Hæc quæ nunc iterum

rum cum Græcarum literarum amantibus communicatur Grammatica, primum laudata eſt M. Jun. A. 1691. Cujus cum exemplaria prope diſtracta eſſent, W. M. Endter, Bibliopola Norimbergenſis, novam Editionem ſuſcipere ratus, & Autoris opera, qui humanis rebus A. 1707 d. 10 Sept. vale dixit, fruſtratus, præter inſignem illum Philologum M. Joh. Conradum Hagendorn, Gymnaſii Noribergenſium illuſtris Con-Rectorem, compellavit non ſolum Clariſſimum & Reverendiſſimum Georgium Nicolaum Kœhler, Rectorem tum Lycei quod eſt in Onoldini Principatus Metropoli, jam vero Circuli Eccleſiaſtici Suobacenſis Decanum digniſſimum, Virum in omni genere literarum maxime verſatum, ſed etiam Præclarum & in Græca lingua probe eruditum Virum, Andream Samuelem Mayer, Diaconum Gunzenhuſanum tertium & Scholæ ibidem Rectorem, ut hanc Grammaticam eo usque expolirent, ne quid amplius deſiderandum eſſet. Itaque Cl. Hagendornius curam typographiæ & correcturæ in ſe ſuſcepit, & Declinationum quasdam formas, tenerioribus juvandis deſtinatas, adjunxit, Cl. Kœhlerus, qui per litteras de quæſtionibus Grammaticis ſæpius cum doctiſſimo Urſino egerat, quæque ejus non uno loco mens eſſet, haud ignorabat, hanc Grammaticam Græcam a capite ad calcem perluſtravit, nec typographica ſolum ſphalmata ſuſtulit, ſed & quæ tum B. Auctor, ſi ſupereſſet, monere voluiſſet, tum ipſe ex ſua obſervatione ſuppeditare poterat, non pauca addidit; inſuper loca quoque Scriptorum plurima indicavit, ut docentes ipſos fontes conſulere & fundamenta regularum intueri queant. Cl. Mayerus vero in ipſo opere, quia commodum id judicabat, quibus paginis Regulæ ſe mutuo requirentes inveniantur, ſubinde commonſtravit, ac Indicem luculentum ſubjecit. Quid porro novum hæc nova Editio habeat, non dividiæ erit, ſpeciminibus nonnullis monſtrare. Pag. 2 monetur, quomodo jota Græcorum ut vocalis ſemper pronunciandum ſit. Pag. 20 ratio redditur, cur accentus polyſyllaborum apud Atticos & Iones, ultima exiſtente longa, tamen in antepenultima eſſe poſſit, poſtea de accentu participiorum præteriti paſſivi, & p. 21 de accentu præteritorum perfectorum & Aoriſtorum infinitivi in αι deſinentium: pag. 24 de accentu Nomina-

minativi ſervando: pag. 26 de accentu fœmininorum, adjectivorum & neutrorum, item Imperativi: pag. 29 de encliticis accuratiora, quam antea, traduntur. Pag. 207 clarius docetur, quæ ſit ratio formandi præterita paſſiva Optativi, & pag. 208 infinitivi, nempe hæc deducendo a ſecunda plurali, ε tantum mutato in αι, & accentu in penultima collocato. Catalogus Anomalorum pag. 328 ſqq. multis modis auctus eſt. Pag. 339 occaſione ſumta a contracto τεϑνᾶναι monetur, quod & ſub calcem operis repetitur, ſyllabas contractas ex iis, quarum altera tonum habeat, ubicunque poſſint, circumflecti, ſi perquam pauca excipias. Acceſſerunt denique præter Electa Græca, nunc a mendis pleriſque omnibus purgata, Auctarium, Teſtimonia, uti Tullius vocat, Euripidea complexum, & breves ſententiæ, quæ Schreveliano etiam Lexico ſubjici ſolent.

VIr Celeberrimus, Chriſtianus Matthæus Pfaffius ſuis Irenæi Fragmentis nuper editis, de quibus dicemus, cum primum ad nos pervenerint, adjecit Diſſertationem de conſecratione Euchariſtica, ibi p. 459, 466, quædam in Diſſertatione de Conſenſu Fidei & Rationis, laudatiſſimo a nobis operi Theodicææ præmiſſo, ſibi diſplicere notavit: ſed nunc gratum ſibi fore teſtatus eſt, ſi publice ſignificemus, melius edoctum eſſe de mente Illuſtris Autoris, qui operationis immediatæ comparatione utatur, ita ut veram præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Sacramento Euchariſtiæ non excludat, & *unionem* inter rem cœleſtem & terreſtrem negando, non neget earum *conjunctionem* in actu perceptionis, in qua conſiſtit unio ſacramentalis noſtrorum Theologorum, ſed tantum rejiciat vinculum quoddam ſeu tertium rebus ſuperadditum, quod per unionem ſæpe intelligunt Philoſophi, tanquam modificationem res uniendas connectentem, ſive localem incluſionis aut adhæſionis, ſive hypoſtaticam, qualis eſt animæ & corporis, verbi & humanitatis, ſive aliam his analogam, quoniam hoc foret Entia multiplicare præter neceſſitatem & in perplexitates Philoſophicas ſeſe induere, & fortaſſe conjunctionem ultra actum perceptionis extendere, cum ſine ullo alio rebus ſuperaddito ſufficiat divina inſtitutio ad conjunctionem efficiendam, ut rem terreſtrem ſumentes ſimul cœleſtis veriſſime participes fiamus.

* *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno MDCCXV.

CONCILIORUM COLLECTIO REGIA MAXIMA, ad P. PHILIPPI LABBEI & P. GABRIELIS COSSARTII, e Societate Jesu, labores, haud modica accessione facta, & emendationibus plurimis additis, præsertim ex Codicibus manuscriptis; cum novis & locupletissimis Indicibus. Studio P. JOANNIS HARDUINI, ex eadem Societate Presbyteri.

Volumina XII.

Parisiis, e typographia Regia, curante Claudio Rigaud, Typographiæ Regiæ præfecto, 1715, fol.

Cum nuperrime in Gallia publice prostare cœperit integra splendidissima hæc ac vere Regia Conciliorum editio, non ingratum Lectori futurum existimavimus, si ipsi mature operis conspectum e Præfatione excerptum & e Gallia ad nos transmissum sistamus. Longe vero auctiorem esse hanc editionem prioribus & quantum fieri potuit emendatiorem nemo diffitebitur. Quantumvis enim voluminibus sedecim constet Labbeana Conciliorum editio, hæc vero duntaxat duodecim, tamen hanc multo esse locupletiorem, haud temere prædicamus; ita ut verissime inscribatur: CONCILIORUM COLLECTIO REGIA MAXIMA. Primum enim plurima, sive quæ supposititia esse eruditi jamdudum pronunciarunt, ut sunt Epistolæ Decretales, quas Isidorus collegit, usque ad Siricium; sive quæ non sunt Acta Conciliorum, si proprie loquimur, sed vel appendices, sive additamenta,

ut ſunt orationes in Conciliis habitæ, aliaque multa; ſive Conciliorum ſummaria, quæ ex hiſtoricis annalibusve, ubi deſunt Acta, referuntur; ſive denique nonnulla, quamvis genuina ac ſincera Acta, ubi ſic opus fuit, ne voluminis moles plus æquo creſceret, qua de re ſuis locis legentes monentur: hæc, inquam, omnia charactere eduntur, eleganti illo quidem & conſpicuo, ſed tamen minutiore multo. Deinde ſunt etiam pleraque volumina in hac editione, quam in Labbeana, multo ſpiſſiora. Ex utraque illa cauſa fit, ut minor modo voluminum numerus, Conciliorum autem ſive monumentorum veterum nihilo inferior ſit. Editori vero Celeb. HARDUINO non plurima conſilium fuit volumina edere, ſed utilia. Concilia porro, quorum Acta non exſtant, partim ſuis locis, charactere, ut diximus, minutiore eduntur; partim in Indice qui cuique volumini præſtruitur; partim in fine Operis indicantur, quo reliqua, præſertim Gallicana rejiciuntur, locis ſcriptoribusve ſubnotatis, unde eorundem, ſi qua eſt, notitia peti debet. Quæ vero reſecantur ex editione noviſſima ſive Labbeana, breviter hic ſunt indicanda; ne quis maligne mancam ex aliqua parte hanc editionem eſſe mentiatur. Nam id falſum eſſe agnoſcet cordatus quisque, cum nihil detractum eſſe niſi ſuperfluum intelliget.

Ex Tomo illo quidem, qui *Apparatus ad Concilia* inſcribebatur, Synopſis Conciliorum omiſſa eſt, quippe cum ſingulis Tomis præfigatur Index accuratus eorum quæ in corpore continentur. Breviarium ſimiliter Geographiæ epiſcopalis: cui quantum præſtet Index Epiſcopatuum, quem primus confecit Editor, & in calce Operis cum aliis Indicibus exhibet, periti judicabunt. Præfationes edere ab iis præmiſſas, qui Concilia antea ediderunt, nullius viſum eſt uſus eſſe: cum nihil aliud fere complectantur, præter laudationem Conciliorum, quæ quis eſſe ſacroſancta neſcit? vel commendationem ſui laboris ſuæque diligentiæ; quam quis ſumma laude dignam eſſe non ultro fateatur?

Ex primo deinde tomo reſecta eſt 1 Exhortatio ad Principem, de obſervandis mandatis Dei: privati alicujus ſcriptoris, non ſynodi, quæ ſaltem nota ſit, opella moralis. 2 Reſectæ ſynodi, ut placuit nonnullis appellare, Apoſtolicæ: cum partes ipſæ

ipsæ sint librorum sacrorum, & contineantur in Actis a Luca conscriptis. 3 Severini Binii Notæ; quod eæ nihil fere nisi ex Annalibus Cardinalis Baronii descriptum habent; neque lucem eam afferunt, quæ Ecclesiasticarum rerum studiosis satis hactenus fecerit. 4 Liber Pontificum, qui Damaso Papæ falso tribuitur, membratimque in editionibus Conciliorum dissecatur, nihil certe ad Concilia illustranda juvat. 5 Tractatus de Primatu Romanæ Ecclesiæ, libellus duarum paginarum, quo testimonia tantum perpauca super ea re continentur. 6 Clementis Papæ epistolæ duæ ad Corinthios, cum Patricii Junii heterodoxi notis in priorem: utraque vero melius in Bibliotheca Patrum locum habet. 7 Constitutiones Apostolicæ, quas nec Regia prior Collectio, nec Biniana habet; nec, utpote apocryphas, in suam Collectionem vel Dionysius Exiguus, vel Isidorus Mercator admisit. Eas si quis desideret, cum Zonara reperiet, quem Fronto Ducæus in lucem edidit. 8 Tractatus de non iterando baptismo in nomine JESU Christi, qui est inter opera Cypriani a Rigaltio primum editus, cui eum ex MS. Remensi descriptum Sirmondus dederat. In codice Vaticano tribuitur Ursino monacho, de quo Gennadius cap. XXVII, ubi Sirmondus legit *Ursicinus*. 9 Dissertationes in Concilium Eliberitanum verbosæ ac prolixæ: quarum jactura facilis omnium eruditorum judicio, & compensata poterit jure censeri veterum scriptorum testimoniis, quæ in margine ejusdem Concilii hic adduntur: quamvis unus Mendozæ Commentarius Labbeani tomi primi quartam partem impleat.

Ex Tomo secundo recidit Cl. Editor 1 Historiam Concilii Nicæni, ut & aliorum Conciliorum in tomis consequentibus; quod ea concinnari aliter ab alio possit; nec magis hic illa, quam Concilii Tridentini historia, requiratur, quæ tamen in Conciliorum Collectione neque exstat, neque a viris prudentibus ibi desideratur. 2 Dissertationem P. Petavii, de Photini damnatione & synodo Sirmiensi. 3 Epistolas Liberii, aliorumque in consequentibus tomis epistolas Summorum Pontificum, quæ neque sunt in collectione Isidori, neque sunt Decretales. Nam quis prudens hic desideret Gre-

gorii Magni, vel Joannis VIII, vel Gregorii VII regiſtrum integrum magis, quam Innocentii III, quod unum per ſe duo jam implet volumina. Quis Leonis M. epiſtolas hic requirat, præter eas quæ ſunt cum Concilio Chalcedonenſi aliisve ſynodis connexæ. Jam ſuſcepiſſe alius hanc ſpartam exornandam dicitur, de epiſtolis Summorum Pontificum, quarum jam plura exſtant alias excuſa volumina. Ei fortaſſis haud parum emendationes proderunt conjectationesque in eas, quæ in his voluminibus exhibentur. Non ſic Alexandri III epiſtolas Editor prætermiſit, ſive epiſtolarum excerpta; quippe quæ pars quædam Juris Canonici & Concilii Lateranenſis III vulgo eſſe cenſentur. 4 Dialogum Conſtantii Imp. cum Liberio Papa, qui excerptus eſt ex Theodoreto, libro 2. cap. XVI. 5 Epiſtolam Oſii, excerptam ex Athanaſio, in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. 6 Epiſtolam Valentis & Valentiniani Impp. ex Theodoreto deſcriptam, libro IV cap. VI, cujus verſio a vulgata diſcrepans exſtat in hiſtoria Tripartita, libro VII cap. IX. 7 Orationem Gregorii Nazianzeni in ſynodo CL epiſcoporum decerptam ex ipſius operibus. 8 Epiſtolas ad cauſam Chryſoſtomi pertinentes, decerptas ex ipſomet Chryſoſtomo, ex Palladio, Sozomeno, Glyca, Nicephoro. 9 Marii Mercatoris Commonitorium, quod eruditis obſervationibus illuſtravit P. JOANNES GARNERIUS. 10 Concilium Africanum, ut vulgo appellabatur, quod nihil aliud niſi repetitio Codicis Africani eſt, qui ſuo loco poſitus eſt. 11 Capreoli Carthaginenſis epiſtolam, quam Sirmondus edidit, quæque nunc inter ipſius Opuſcula exſtat, edita a P. JACOBO DE LA BAUNE, magna diligentia. 12 Athanaſii, Baſilii Magni, & Gregorii Nyſſeni canonicæ, quæ dicuntur, epiſtolæ, quas in eorum cujusque voluminibus, non in Collectione Conciliorum quærere conſuevit, quisquis has deſiderat.

Tomo tertio Procli homiliam ſuſtulit, Epiſtolas quoque Cyrilli ad Monachos, de recta fide libellos duos, & alium ad Reginas, ut in Indice monuit: quæ omnia ſolent inter utriusque opera, ſi quis opus habet, requiri. Ad defenſionem dogmatis conſtituti pertinere poſſunt, videri, vel ad hiſtoriam Eccleſiaſticam,

cam, tum ista, tum quæ post Concilium scripta sunt, ut anathematismi duodecim Cyrilli, & eorundem reprehensio a Theodoreto, similiaque: ad Concilium ipsum Ephesinum non pertinent. Apud Cyrillum ea & Theodoretum exstant, quorum opera teruntur omnium manibus. A Græculis decerpta primum ea sunt ex eorundem scriptis, ad molem augendam voluminum manuscriptorum. Sic edictum Theodosii & Valentiniani expunxit, cum, ipsomet fatente Binio, *ad Concilium Ephesinum nullo modo pertineat:* quamvis in Græcis exemplaribus MSS. ejusdem Concilii reperitur. Epistolas Leonis M. octo duntaxat edidit, quas ipsas habet Dionysiana Collectio, ut a Justello appellatur; antiquior quam Isidoriana, quæ plerasque complectitur Leonis M. epistolas; nullo operæ pretio: cum neque ad Concilia illustranda pleræque prosint, neque sint ipsæ synodicæ.

Ex Tomo quarto Labbeano resecuit epistolam Aviti Viennensis ad Clodoveum, de suscepta ab eo Christi fide, inter Aviti opera requirendam: Remigii consolatoriam de morte sororis ad eundem Regem epistolam, quæ est apud Gregorium Turonensem; aliasque duas ejusdem Remigii excerptas ex Flodoardo: Athalarici Regis & Cassiodori ad Ioannem Papam, ex Cassiodoro: ex Sidonio Apollinari, ipsius epistolas quatuor, & concionem de electione duorum Episcoporum: Breviculum historiæ Eutychianistarum, quod est inter Opuscula Sirmondi jam laudata.

Ex Tomo quinto expunxit Dissertationem Illustriss. Petri de Marca de Virgilii Papæ decreto: Breviarium Liberati diaconi, quod est a P. GARNERIO Notis pereruditis illustratum: Gregorii M. Regestum pæne integrum, quod tertiam tomi quinti partem implet, epistolis exceptis iis duntaxat, quæ sunt in Collectione Isidoriana: Garsiæ Loaisæ tractatum de primatu Ecclesiæ Toletanæ: Maximi abbatis epistolas aliquot, a Sirmondo primum editas, ejusdemque cum Pyrrho disputationem, quæ & apud Baronium exstat, & inter opera Maximi.

Tomo sexto Labbei censuit redundare gesta quædam Maximi monachi, aliaque, inter quæ Collatio ejusdem est cum

Theodosio Episcopo Cæsareæ Bithyniæ, quæ sunt primum a Sirmondo edita, & jam exstant inter opera Maximi: Marculfi quoque formulas quasdam.

Neque e Tomo octavo edi censuit oportere Cenotaphium Joannæ Papissæ, vel prolixas in Concilium Duziacense notas: neque e Tomo X dissertationem Illustrissimi Petri de Marca ad Concilium Claromontanum: ex undecimo fragmenta Decretorum Gregorii IX, quæ sunt e Decretalium libro excerpta: ex quartodecimo conciones Tridenti habitas in Adventu vel Quadragesima, aut alio die festo, quæ nullam in Concilio agitatam controversiam attingerent: orationesve demum funebres ibi recitatas. At Isidori Mercatoris Collectio integra hic repræsentatur, quæ in Gregorio Magno desinit, ut ipsemet Isidorus in Præfatione admonet. Hujus habentur MSS. codices multi ac probi, a P. Sirmondo collecti. Hos Editor contulit diligenter. Nulla Collectio Conciliorum antiquior quam Isidoriana est, post Dionysianam nulla certior aut fide dignior. Quamobrem laudandus est Jacobus Merlinus, qui primus integram eam in lucem emisit. Quæ non sunt autem in Collectione Isidori Decreta Summorum Pontificum, ea nihilo magis in hac Collectione esse inserenda Viri eruditi censent, quam vel Decretalia statuta e sexto Decretalium, vel Extravagantes. *Respice titulum*, inquiebat ille; ne dum scribis, aberres a proposito. Atqui Acta Conciliorum, & Epistolas Decretales ac Constitutiones Summorum Pontificum eduntur. Si quid præterea occurrit, id oportet esse ejusmodi, ut non sine vituperio omitti possit. Eam ob rem nemo hic prudens desideret Canones olim a Ferrando diacono vel Cresconio collectos, ut sunt a Justello editi; aut Joannis Antiocheni Nomocanonem, aut Burchardum, Ivonem, Anselmum, Panormiam, sive Breviarium Decretorum Hugonis Catalani, Gratianum, aliosve similes, si qui sunt, Canonum Collectores. Synodi similiter plurimæ prætermittuntur, quas adversus omnes propemodum hæreses Primasius, sive (ut a Sirmondo appellatur) Prædestinatus commemorat, cum is haud satis certus auctor ab eruditis habeatur, & incredibilia narret, pugnantiaque cum ceteris scriptoribus, quo nomine ab ipso quoque Labbeo prætermissus neglectusque est.

Jam

Jam ad ea quæ huic Editioni in singulis Tomis accessere. Addita Tomo I synodus Alexandrina est, pag. 309, 310, Græce & Latine. Paraphrasis Arabica Canonum Nicænorum, pag. 335., Constantinopolitanorum, pag. 817 & Ephesinorum, pag. 1619, ex Beveregio. Versio Latina tertia Canonum Nicænorum, de qua est Adnotatio, pag. 430. Ancyrani Concilii anathematismi duodecim, pag. 707. In synodis Sirmiensibus & Ariminensi distincta omnia, quæ prius intricata & confusa: vetustæ revocatæ versiones Hilarii, pag. 715, & Epiphanii Scholastici, pag. 718 & 719. Pag. 723 & sequentibus Concilium Seleuciense anni 359, Græce & Latine. Pag. 725 Formula fidei Constantinopoli in sua pseudosynodo ab Acacianis edita, Græce & Latine. Pag. 797 Concilium Iconiense, anni circiter 377, Græce & Latine. Africana Concilia suo sunt ordine collocata, quem poscit ratio temporum: distincta conspicue viginti ea, quæ fuere sub Aurelio Carthaginiensi celebrata: sui cuique Canones attributi, ubi hactenus perturbata saltem multa esse eruditi merito censuerunt. Nicæni Concilii subscriptiones, ceterorumque Conciliorum exhibentur, ex manuscriptis codicibus, qui expressi ex primigenio exemplari possunt videri. In eas notæ sunt adjectæ Geographicæ nec paucæ, nec fortassis aspernandæ. Pag. 1319 Commonitorium Cyrilli datum Posidonio, Græce ex apographo P. Sirmondi, Latine ex P. Garnerii interpretatione. In Concilio Ephesino & alibi veteres versiones recentibus anteponuntur, ob multas earum utilitates, quæ sunt eruditis cognitæ. Græca quædam adduntur Actione VI ex MSS. Regiis. Ex synodico Cassinensi, quod Vir Clariss. Stephanus BALUZIUS edidit, nihil aut omissum est, quod ad Concilium Ephesinum pertineat, aut editum, quod non pertineat. Itaque ex eo in primis selegit Editor pag. 1331 Epistolam Nestorii ad Joannem Antiochenum, pag. 1333 Sermonem Nestorii CP. pag. 1347 Epistolam Joannis Antiocheni ad Firmum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, pag. 1349 Contestationem directam beato Cyrillo ab Episcopis contrariæ partis, pag. 1331 Contestationem Candidiani Comitis, pag. 1447 Contestationem & edictum ejusdem Candidiani Comitis, pag. 1531 Adlocutionem Joannis Antiocheni in synodo, pag.

pag. 1532 & seqq. Epistolam synodi Orientalium, pag. 1551 Edictum Impp. synodo Ephesinæ, pag. 1552 Nestorii epistolam ad Scholasticum eunuchum Imp. Theodosii, pag. 1557 Epistolam Joannis Antiocheni ad Imp. pag. 1559 Epistolam synodi Orientalium ad Antiochenos, pag. 1560 Orientalium epistolam ad Acacium Berœensem, pag. 1580 Epistolam Maximini secundæ Ciliciæ ad Alexandrum Hieropolitanum, & Synodicam synodi secundæ Ciliciæ sive Anazarbi, pag. 1582 Epistolam Helladii ad eundem Alexandrum, pag. 1623 Epistolam generalem synodi, cum canonibus sex, pag. 1631 Epistolam Præfectorum ad Nestorium, & Nestorii ad præfectum Antiochum, pag. 1632 Epistolam Joannis Antiocheni ad eundem Præfectum, pag. 1633 ejusdem epistolam ad Imp. Theodosium, & alias sequentibus paginis, denique pag. 1721 synodicam Ciliciæ Episcoporum ad Imp. Theodosium. Cetera Synodici illius Cassinensis ad historiam illorum temporum aliquantum; ad Ephesinum Concilium, quod nunc unum spectari oportet, nihil attinet. Pag. 1445 addita ex P. Garnerio in Præfatione ad Marium Mercatorem epistola Dalmatii archimandritæ ad synodum Ephesinam; & pag. 1447 epistola synodi ad Dalmatium: utraque Græce & Latine. Pag. 1347 ex editione D. Baluzii, & MS. Colbertino, Cælestini Papæ Commonitorium episcopis & presbyteris euntibus ad Orientem, pag. 1721 Præfatio Dionysii Exigui in epistolam Procli CP. pag. 1751 ex D. Baluzio, canones duo Concilii Regensis. Additæ præterea breves ad quædam Concilia subnotationes, emendationes vero plurimæ, ex manuscriptis libris: ex conjectura autem, ubi in codicibus manu exaratis constat error.

Tomo II addita Paraphrasis Arabica est Canonum Chalcedonensium, pag. 614, ex Beveregio, pag. 784 & seqq. subscriptiones Græce & Latine Episcoporum LXXXI in Concilio CP. anni CCCCLX, ex Leunclavio & Lambecio, pag. 951 Fragmenta duo epistolæ dogmaticæ Anastasii Papæ, ex D. Baluzio. Pag. 971 Præceptiones Theoderici Regis ex codice manuscripto emendatæ nunc prodeunt, quæ prius erant inquinatissimæ. Pag. 1046 Tractoria epistola Viventioli Lugdunensis Episcopi ad Episco

pc

pos provinciæ Lugdunensis, ut ad synodum veniant Epaonensem, ex MS. Bibliothecæ PP. Augustinianorum Tolosæ.

Tomo III in Concilio CP. sub Mena vetustam interpretationem restituit Editor ex MSS. codicibus usque ad actionem quintam: cum altera, quæ ex Frontonis Ducæi emendatione est, apud Zonaram exstet, quem idem Ducæus edidit. In Concilio V additiones sunt multæ, quas ex MS. D. Joly, Cantoris Parisiensis Ecclesiæ, D. Baluzius edidit. Adnotationes variæ in margine Concilii V. Pag. 217 usque ad 244 Vigilii Papæ Constitutum, pro damnatione trium capitulorum, ex Bibliotheca Colbertina, & editione D. Baluzii, pag. 283 & seqq. Canones quindecim Concilii CP. II adversus Origenem, Græce, ex Bibliotheca Cæsarea, edente Lambecio libro VIII pag. 435, qui sunt Latine hic redditi, pag. 479 Canon II Concilii Toletani III multo auctior ex Isidoro, pag. 524 & seqq. Suggestio Episcoporum Istriæ Mauricio Imp. de tribus Capitulis, pag. 1018 Fragmentum prolixum geminum, additum ex MSS. præfationi Concilii Toletani XI, pag. 1079 Lacuna Græca prolixa suppleta est ex codice Regio 1026, unde & prius Cotelerius acceperat, in epistola Agathonis Papæ ad Imperatores, pag. 1479 & seqq. Concilii VI altera translatio longe accuratior, ex vetusto MS. codice, & pag. 2059 Synodus Antiochena, de sacris Imaginibus.

Tomo V ad epistolas Nicolaï Papæ I adnotatiunculæ plurimæ in margine sunt positæ, ut & alibi passim, haud sane contemnendæ. In fine eduntur non membratim discerpti, ut prius, sed continuo opere, libri Photii de synodis; Nili Rhodii similiter de synodis; Anonymi de sex synodis; qui in Collectione Regia MS. cod. 2931 fol. 219 appellatur Κύριλλος ἐπίσκοπος ἱεροσολύμων & inter varia sacra edita a Stephano le Moyne, tomo 1. pag. 68 Germano CP. tribuitur: denique Libellus Synodicus, ut appellant, cui nonnullæ in margine adnotationes emendationesque adjunctæ.

Tomo VI parte I addita sunt Acta Concilii Ovetensis, ex Collectione Conciliorum Hispaniæ Cardinalis de Aguirre, pag. 205 Synodi generalis Rodomi habitæ canones sedecim, ex

Collectione Conciliorum Rotomagensium, a Domn. Franc. Pommeraye Congregationis S. Mauri edita, pag. 213 usque ad pag 344 Pseudosynodus Photiana, quam benevolentissime ex codice Vaticano jussit describi S. D. N. CLEMENS PAPA XI, & ad Editorem deinde transmitti, qui eandem Latine reddidit, pag. 653 Synodus Turonensis, anni 925, pag. 765 Concilium Tudertinum, anni 1001, pag. 1073 Concilium Viennense, anni 1060, pag. 1075 Concilium Beneventanum anni 1061 multo emendatius, ex Synodico Beneventano nuper edito, pag. 1117 Beneventanum, anni 1062, ex eodem Synodico, pag. 1141 Rotomagense, sub Maurilio, anni 1063, ex Collectione Conciliorum Rotomagensium supra laudata. Eidem Tomo VI parte II p. 1303 accessit canonum Concilii Remensis anni 1148 collectio priore auctior, ex editione Domni Edmundi Martenne e Congregatione S. Mauri, pag. 1600 Canones alii novem Turonensis Concilii, anni 1163, ex eadem editione, pag. 1905 Concilium D. Walteri Rotomagensis, ex collectione Conciliorum Rotomagensium jam indicata, pag. 2053 Concilium Palentinum, anni 1129, ex Collectione Conciliorum Hispaniæ Cardinalis de Aguirre tomo III pag. 340, pag. 2056 Subscriptiones Episcoporum Lateranensis Concilii sub Alexandro III Papa, anni 1179, ex Spicilegii Dacheriani tomo XII, sed emendatæ. In Indice præterea, qui volumini ei præfigitur, summarium est Concilii Compostellani, anni 1114, a Card. de Aguirre editi, & Ovetensis, anni 1115. Aliæ etiam synodi Hispanicæ ibi indicatæ: Constantinopolitanæ etiam quinque.

Tomo VII accesserunt multo plura: pag. 127 Concilium Rotomagense, anni 1223, ex Domni Martenne jam laudato opere pag. 238, pag. 185 Rotomagense alterum anni 1231, ex eodem, pag. 241, pag. 199 Remense, anni 1231, ex apographo P. Sirmondi, pag. 260 Additio ad Concilium Remense, anni 1235, cum Concilio Provinciali habito apud Silvanectum, ex apographo ejusdem P. Sirmondi, pag. 580 Concilium Viennense, ex editione Lambecii, pag. 585 Decreta Hungarorum, ex eodem, pag. 587 usque ad 614 Statuta synodi Ecclesiæ Claromontanæ, anni 1268, ex codice MS. Collegii Parisiensis Societatis JESU,

pag.

pag. 963 usque ad 1066 Provinciæ Burdegalensis visitatio, facta ab Archiepiscopo Bituricensi anno 1284, pag 1421 Epistola Joannis Papæ XXII super negotio Episcopi Catalaunensis, pag. 1453 Decretum Inquisitoris in partibus Tolosanis adversus libros Talmudicos, anni 1319, ex apographo P. Sirmondi, pag. 1469 & seqq. emendationes in Concilio Palentino, anni 1322, ex editione Cardinalis de Aguirre, pag. 1535 Concilium Tolosanum anni 1327, pag. 1657 & seqq. in Constitutione Benedicti Papæ XI emendationes non contemnendæ, pag. 1603 in Concilio Rotomagensi anni 1335 emendationes ex codice manuscripto Beccensi, quem jam laudatus edidit Domnus Pomeraye, O.B. pag. 1675 in Concilio Noviomensi, anni 1344, Mandatum Officialis Remensis, & pag. 1676 Ordinatio Archiepiscopi Remensis, ex apographo Sirmondi, pag. 1911 Epistola Bonifacii Papæ IX pro Ecclesia Parisiensi, pag. 1691 Epistola Germani Patriarchæ CP. ad Gregorium Papam, Græce, pag. 1965 Concilium Salmanticense, anni 1325, ex editione Cardinalis de Aguirre, additis in margine non paucis emendationibus, pag. 1975 Constitutiones synodales sub Andrea de Albalato Valentinæ diœcesis, anni 1225 & sequentium, ex eadem editione Conciliorum Hispaniæ Cardinalis de Aguirre, & pag. 1985 Constitutiones synodales sub Arnaldo de Peralta, anni 1261 usque 1273, cum nonnullis in margine adnotationibus.

Tomo VIII Variæ lectiones in Concilio Pisano additæ ex MS. Pag. 209 Concilio Constantiensi præfatio præmittitur synodi Basileensis, quæ Constantiæ Acta jussit colligi. In his edendis, quos MSS. codices, quasque editiones secutus sit Editor, ipse indicat pag. 211. In unaquaque sessione unum in conspectum varias editiones subjicit, ut, quid in unaquaque sit gestum, appareat simul. Ex Actis ejusdem Concilii, quæ nuper fuere in Germania edita, quinque voluminibus, addidit selecta quædam: cum reliqua vix quidquam habeant, quod non hæreticum scriptorem, nostri quidem Editoris clarissimi judicio, redoleat. Pag. 272 & seqq. ex Annalibus Bzovii addit epistolam Concilii Constantiensis ad Wladislaum Regem Poloniæ.

Tomo IX addita est pag. 1498 Damnatio propositionum Petri de Osma, anno 1479 a Sixto IV Papa facta, pag. 1545 Alexandri Papæ VI Constitutio de baptismo Ruthenorum non iterando, pag. 2153 usque ad 2188 Concilium Cameracense, anni 1586.

Tomo denique XI accedunt de novo pag. 147 Alexandri Papæ VII Innovatio Constitutionum de præservatione animæ Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione, a peccato originali, pag. 155 & seqq. Innocentii Papæ XII Epistolæ ad Episcopos Belgii, pag. 1675 ejusdem altera Constitutio, quæ incipit, *Cum alias*, pag. 159 Clementis Papæ XI Damnatio libelli inscripti, *Cas de conscience*, &c. cum ejusdem epistolis ad Regem Christianissimum, & ad Archiepiscopum Parisiensem, pag. 163 ejusdem Constitutio, quæ incipit, *Vineam Domini Sabaoth*, pag. 1631 ejusdem novissima Constitutio, quæ incipit, *Unigenitus*, cum nonnullis Appendicibus, pag. 179 & seqq. usque ad pag. 272 Synodus Hierosolymitana anni 1672 adversus Calvinistas, Græce & Latine, pag. 273 Dionysii Patriarchæ CP. responsio super Calvinistarum erroribus, anno eodem 1672, Græce & Latine, pag. 283 usque ad pag. 346 Pseudo-synodus Palamitica, Græce, ex editione P. Combefis ex Ordine Prædicatorum, sed nova interpretatione Latina. Hunc tomum appellat Nicephorus Gregoras historiæ suæ lib. XXI cap. V, postquam prolixiorem retulit de eadem synodo narrationem, a libri XVIII cap. VIII usque ad libri XXI cap. IV, ubi quæ sint acta in synodo, sic refert, ut, quas inibi partes egerit, non omittat. Edidit ea Græce, ac Latine vertit Vir pereruditus D. JOANNES BOIVIN, unus e custodibus Bibliothecæ Regiæ. Pag. 1671 Synodi Gerundenses duæ, nunc primum editæ ex manuscriptis, serius quidem, accesserunt. Prior est anni 1068, altera anni 1078.

Neque vero hic commemoramus Emendationes plurimas tum Græce tum Latine factas, quibus ad mentem scribentium revocatur oratio, & legentibus fit intellectu facilis. Manuscriptis codicibus usus est Editor in primis e Bibliotheca Collegii Parisiensis Societatis JESU, in qua sunt collecti dudum a P. Sirmondo plurimi, præter varias lectiones, quas in Concilia pleraque Gallicana collatione plurimorum exemplarium manu ejusdem

dem descriptas servat. Nam Concilia ipsa Gallicana omnia vetera, quæ Labbeus postea edidit, descripserat ipse perquam accurate. Alios cum appellat codices, quibus usi sunt Labbeus & Baluzius, hos eorundem fide, quam certam tutamque putat, laudat. Regios sæpenumero præterea, Colbertinosque consuluit: sed cum eosdem concordare cum suis plerumque animadvertit, suos appellare satis habuit; denique alios etiam non paucos, qui suis locis indicantur. Ceterum Conciliorum pauciora, quam ceterorum librorum, in Bibliothecis exemplaria manuscripta sunt, sed & plerumque emendatiora: quæ causa est cur pauciores in his, quam in illis, exspectandæ lectiones variæ sint. Necessariæ autem emendationes in ipsomet (ut vocant) textu repositæ sunt, ubi sic juberent codices, in fronte fere cujusque Concilii appellati. Quæ sunt autem ex mera conjectura, eæ sunt in margine positæ, præmissa vocula, *forte*, vel *leg.* Multæ similiter ex MSS. fide in margine scribuntur; prætermissis tamen illis, quas amanuensium negligentia in eos codices invexit.

Sequuntur Indices amplissimi sex: in his tres postremi insigniores, imprimis Geographicus Episcopatuum, qui labor est hactenus intentatus iis, qui Concilia ediderunt. Tum quintus Index, qui rerum est & vocum memorabilium: quem Summarium Conciliorum, & doctrinæ Catholicæ ac disciplinæ Ecclesiasticæ Epitomen verius, juxta Nostrum, quam Indicem, appelles. Notarum & observationum, quæ sunt huic operi, si cui ulli, maxime necessariæ, donec illæ in lucem prodeant, quoquomodo vicem præstabit Index rerum & vocum memorabilium, qui in calce operis est.

PROPOSITUM DE MARTYROLOGIO GENERALI Protestantium conscribendo. Cui additur Sylloge Epistolarum, hoc Opus spectantium. Per THOMAM BRAYUM, S.T.P.

Londini, apud I. Downing, 1714, fol.

Plag. 10½.

Consilium Brayi, duobus Voluminibus (quorum primum jam tribus ab hinc annis lucem vidit, laudatum nobis A. 1712

 p. 530.

p. 530.) edendi scripta de martyribus Protestantium a Romana Ecclesia & olim & nuper male habitis composita, non modo multis Anglis perplacuit, sed alias etiam inter gentes reperit laudatores & ἐργοδιώκτας. Horum ad se scriptas epistolas evulgandi necessitatem Brayo imposuit quorundam importunitas, secundi voluminis editionem nimium flagitantium. Hos hic jubet bono esse animo: non esse, quod vereantur, ne forte spes alterius tomi sit vana: se editionem propter hanc causam differre, quod egregia monumenta ipsi missuri sint viri quidam docti in regionibus exteris, quibus monumentis ornatior & auctior proditurus sit alter ille Tomus. Cum igitur partes primi Tomi loco citato recensuerimus, Lectoribus hoc debere videmur officium, ut ex præsenti libro eos doceamus, quas opes contenturum sit alterum, quod restat, Volumen. Scilicet *duodecim* absolvetur *Partibus*, quarum *prima* & subsequens exhibebit Historiam martyrologicam Waldensium: *tertia* Albigensium, ubi adjicietur & *Dragonistica*, quam Noster vocat, in Gallia non ita pridem exercitæ persecutionis facies: *quarta* Protestantium in Hispania: *quinta* eorundem in Belgio: *sexta* in Anglia & Hibernia: *septima* in Germania, quam *amplissimum persecutionum, vexationum, injuriarum Papisticarum theatrum* appellat: *octava* in Bohemia: *nona* in Polonia, Lithuania, & Silesia: *decima* in Hungaria & Transylvania. Pars *undecima* miscellaneis quibusdam narrationibus, quæ antecedentibus capitibus inseri non possunt, destinata est: *duodecima* denique vitas Martyrum selectas complectetur. Ac Bohemicum quidem martyrologium in Brayi gratiam conscribendum suscepit Summe Rev. *Jablonskius*: Hungaricum vero ad Leopoldi Imp. mortem usque deductum accepit Noster a Principis Ragotzii legato in Angliam misso: quod martyrologium ob publica Instrumenta & Diplomata omni fide dignum judicat. Utrumque discimus ex ejus hic inserta epistola, ad omnes Protestantes, ut ipsi suppetias hoc in negotio ferant, scripta. Ceterum quorum epistolæ hic exhibentur promissionum plenæ, sunt *Jablonskius*, *Jo. Baptista Ottius*, *Theodorus Hasæus*, *Relandus*, *Isaacus Behagel*, *Jo. Jac. Schererus*. Et prodiere hoc anno aliæ quoque Eruditorum de

hoc

Digitized by Google

hoc argumento epistolæ, de quibus, cum ad nos pervenerint, dicemus uberius. Nunc illud insuper notamus, codicem Italicum Albani Cerri, Secretarii Collegii de propaganda fide, qui haud ita pridem inter manuscripta Abbatis Sangallensis repertus est, hoc titulo: *Instruzzione per N. S. Innocenzo XI dello stato della religione nel mondo* &c. & varias artes Pontificiorum detegit, de quo heic p. 24, 28, 29 agitur, nuperrime Anglice translatum a famigeratissimo *Richardo Steele* & ab eodem prolixa & eleganti, ut ajunt, præfatione ornatum publici juris factum esse Londini.

Des Heil. Röm. Reichs Staats-Acta, vom ietzigen XVIII Seculo anfahend.

i. e.

SACRI ROMANI IMPERII ACTA PUBLICA Seculi Decimi Octavi, edita a CASSANDRO THUCELIO.

Francof. & Lipsiæ, apud Joh. Fel. Bielcke, 1715, fol. Alph. 10 plag. 17.

INclaruit jam pridem editis in lucem *Electis Juris* Publici Cassander Thucelius, sive ut plures existimant, vero nomine, Jo. Christ. Leucht, cui nunc animo sedet, Acta hujus seculi publica, Literas summorum Principum, Diplomata, atque Scripta Juris defendendi ergo confecta undique conquirere, & quæ singulis annis contigerint, peculiari plerumque volumine collecta in publicum emittere, unde non mirandum, plura hic reperiri, quæ hinc inde in *Cancellaria*, *Speculo Status* & alibi dispersa jamdudum prodierunt. Auspicium operis ab anno hujus Seculi primo ducendum sibi existimavit, cum spes haud vana supersit, fore qui opus Lundorpianum ab anno 1688 intermissum ad finem usque Seculi elapsi sint continuaturi, unde Supplementi loco Cl. Autoris opera merito censeri queat. Scriptis, quæ priori hocce Tomo continentur, vernaculo sermone consignatis, seu Gallico, seu Italico, Hispanico, Anglico aut Belgico, imo Latino, interpretatio Germanica ut plurimum est adjecta, nonnulla,

quæ

quæ prioribus annis obvenerunt, ob causarum connexionem huc inserta, atque opus universum ob materiarum varietatem in diversa Capita distinctum. *Primum* ob oculos ponit Controversias Religionis in Palatinatu, inter Electorem & Protestantes, mediante Electore Brandenburgico, agitatas, qua occasione Jus Reformandi sub examen vocatum, atque ex amnestia restitutos anno decretorio 1624 minime uti posse, per text. J. P. a. 3 & 5 & Rec. Imp. 1654 §. 193, sed in Palatinatu ad A. 1618 esse respiciendum, demonstratum, & jura circa sacra subditis quæsita fuere vindicata, quibus tamen a Palatinis acerrime contradictum. *Cap. II* Querelas Reformatorum in Algovia ob templa ipsis a Campidunensi Abbate erepta continet. *Cap. III* Gravamina Civitatis Wormatiensis adversus Episcopum, instituta supplicatione, cum instructo rusticorum agmine per urbem circumeuntem, pascua civitatis turbantem, & Curiam Episcopalem, Magistratus sibi titulum tribuentem, exhibet. *Cap. IV* famosum Pactum Hæreditatis Hispanicæ herciscundæ sistit, cujus defensionem Helvetii, neutrarum partium esse cupientes, recusarunt. *Cap. V* lites ob eandem successionem obortas continet, cui plurima Scripta pro vindicando Jure cum Serenissimæ Domus Austriacæ, tum Gallorum, inseruntur. In horum numero sunt *Obrechti Excerpta Historica & Juridica de natura Successionis Hispanicæ, & Annotationes de successione Ducis Andegavensis*, lingua Gallica, quorum Continuatio tamen hic desideratur. Ad priora pertinet Zwanzigii *Demonstratio, Ducatum Mediolanensem esse feudum Imperii masculinum*, L. B. *ab* Audler *Jus Austriacum in Monarchiam Hispanicam assertum*, L. B. a Seylern *Jus Hispano-Austriacum assertum;* præterea notatu non indignum,
p. 417. Hispanorum Reges anno XIV ætatis absoluto majorennes esse quod a multis falso negatum. *C. VI* investituram Neapolitanam a Pontifice non impetratam, motusque Neapolitanos enarrat, exitu felici destitutos, atque sub finem jura Serenissimæ Do-
613. mus Saxonicæ a Margareta Friderici II Imperatoris filia, & Alberti Thuringiæ Landgravii uxore, promanantia in regna utriusque Siciliæ subjicit, quem tamen locum mirum in modum esse corruptum cuilibet patebit. *C. VII* quædam circa Nonum Electora-

ctoratum mota proponuntur. *C. VIII, IX, X, XI, & XII* summorum Principum & quorundam Imperii Circulorum Consultationes & Decreta adversus ingravescentem Gallorum potentiam oculis subjiciuntur, e quibus Schema sessionis in Conventu Circuli Bavarici, & Protestationes contra admissionem Sulzbacensis in eodem notari merentur. *C. XIII* illustre seculi nostri decus, Borussiæ Regis coronationem refert, quam Marpergerus fuse descripsit; annexæ sunt hanc in rem Demonstrationes, quibus Jura proprio motu Regium titulum assumendi vindicantur, præsertim ab Exc. Dn. Ludwig, cujus etiam Tract. sub tit. *Næniæ Pontificiæ de jure Regis appellandi*, ex L. divina, naturali, Pontificum Decretis, & assectarum testimoniis confutatæ, Germanico idiomate subjectus est, licet dolendum sit, ipsum libellum prout ab Autore Cel. auctus & Latina lingua editus fuit hic esse omissum. Statuta Equitum Ordinis Aquilæ Nigræ, insigni hoc rerum momento instituti, ibidem reperiuntur; tandemque *Borussia defensa adversus prætensiones Ordinis Teutonici* annectitur, ubi Imperii in Borussiam jura exigua fuisse patebit; Proscriptionem vero Carolinam Serenissimæ Electorali Domui Brandenburgicæ minime obesse demonstratur. *Cap. XIV* Acta Parlamenti Anglicani, quibus Electorali Brunsuicensium Familiæ Britannica successio, deficiente stirpe Regia Protestantium, defertur, ut & descriptionem Parlamenti, ex Chamberlaynii Statu Angl. uti videtur, depromtam, & *C. XV* Miscellanea continet, quibus immorari supervacaneum.

p. 662.
664.
726.

D. HENRICI MUHLII, PROCANCELLARII ac Professoris Primarii, Superintendentis Generalis, Consiliarii ac Concionatoris aulici supremi, Dissertationes Historico-Theologicæ.

Kiliæ, literis Barth. Reuteri, 1715, 4.

Alph. 3 pl. 13.

QUas nuper admodum in Kiliensi Academia recitavit, optimo jam consilio ab amicis exoratus conjuncte in publicum emittit Summe Rev. Autor Dissertationes. Sunt eæ & magna doctrinæ copia abundantes & ad publicam utilitatem, qui libro-

rum finis esse debet, compositæ. Quare earum in brevi veluti tabella repræsentationem lectoribus jucundam fore, merito confidimus. *Prima* exponit *historiam reformatæ in vicinis Daniæ regionibus, & speciatim in Cimbria, religionis*: estque proludium magni operis *Annalium Cimbriæ Holsaticorum*, quod ut celeberrimus Autor maturet, ardentissime optamus. In hac primo loco ex monumentis non inficiandis documenta profert superstitionis crassissimæ in illa regione ante Reformationem regnantis & omni turpitudinis genere Ecclesiam inquinantis. Has Ecclesiæ corruptelas indicio Lutheri tum agnovit Christiernus II Daniæ Rex, agnitasque tollere in animum induxit. Sed successori demum ejus, Friderico I, ea obtigit felicitas, ut omnium Europæ Regum primus emendando divino cultui fundamenta jaceret, novisque doctoribus potestatem faceret inde ab
p. 29 seq. anno 1525 Evangelium strenue docendi disseminandique. Is a Nostro laudatur, quod non vi oppresserit Papæorum religionem, sed liberum duntaxat aditum Lutheranæ doctrinæ patefecerit, doctores ejus a Pontificiorum violentia defendens. Idem Rex, qui simul Slesvicensis & Holsatiæ provinciarum moderator erat, Cimbricis consuluit pariter ecclesiis perfecitque, ut in his quoque veritatis jubar illucesceret. Noster non tacet Pontificiorum molimina bonæ causæ adversa: nec prætermittit tur-
49 seq. bas a Melch. Hofmanno, fanatico homine, excitatas. In primis Christiani III Regis studium adjuvandi evangelii meritis ornat laudibus, etiam adducens integre & ingenue historiam de Joan-
80. ne a Lasco, Zuingliano, qui in Dania perfugium quæsierat, contagii avertendi causa regno excedere coacto: nec præterit alia zeli ejus Regis contra Sacramentarios, quos vocat, documenta. Inter hæc mentionem faciens Ordinationis ecclesiasticæ ab hoc Rege publicatæ, in qua sacerdotes *Locos communes* Melanchthonis diligenter lectitare jubentur, in hujus Viri laudes Rev. Autor paulisper digreditur, falsoque ipsi tribui opinionem de sacra cœ-
69. na cum Zuinglio communem, *idonea sufficientiaque indicia sibi*
110 seq. *esse* scribit, ac Locos illos Communes de meliore nota Theologiæ cultoribus commendat. Ceterum de rebus actisque Regis istius integrum Opus moliri *Christianum Reizerum*, JCtum Hafnien-

nienſem, virum in patria hiſtoria apprime verſatum, diſcimus ex *pag. 82.* Narrat etiam doctiſſimus Autor, Kilienſe monaſterium ſectæ Franciſcanæ fundatum fuiſſe ab Adolpho, Holſatiæ Comite, ab eodemque inſtructum templo ex ſtipe, quam ipſe tantæ dignitatis monachus oſtiatim corrogarit. In eo & ſepultum eſſe Adolphum illum, hoc ornatum epitaphio: p. 84.

Quondam noſtrorum pater & ſpeculum Dominorum,
Laus Holſatorum, Comes Adolph, regula morum,
Hic ſitus eſt, flos florum, & honos, & gemma bonorum,
Cui dedimus ſertum noſtrorum more Minorum,
Ne pravorum animæ noceat fraus dæmoniorum.
Oramus, Deus utque receptet in alta polorum.

De fraternitate Calendariorum quædam affert lectu digna. Subinde etiam immiſcet, quæ hiſtoriam Academiæ Hafnienſis illuſtrant. *P.102 ſqq.* ediſſerit, quam irriti fuerint conatus in Holſatiam introducendi Formulam Concordiæ, quam vocant, obnitente ſcilicet receptioni ejus & ſubſcriptioni Paulo Eizenio, quem propterea in ſuſpicionem Calviniſmi veniſſe tradit, a qua tamen eum liberat. Perſequitur pluribus fata hujus libri in Dania, hiſtoriamque de eo ab Rege Daniæ in ignem projecto penitus falſi coargui poſſe negat. Finita prima hac Diſſertatione, exhibentur avthentica aliquot Documenta maximam partem adhuc inedita: ex quibus nominabimus Diplomata Indulgentiarum templis conceſſa: Confeſſionem Evangelicorum A. 1530 Regi exhibitam: Epiſtolas aliquot Lutheri: Chriſtiani III Edictum contra Anabaptiſtas & Sacramentarios: Inſtitutionem fraternitatis Calendarum in Munſterdorp: Eizenii Epiſtolam ad Wilhelmum Landgravium, cui rationes exponit, cur Formulæ Concordiæ ſubſcribere non poſſit. p. 87.

Altera Diſſertatio Summe Rev. Muhlii eſt *de libertate Academica.* Scilicet A. 1707 publica Principum conſtitutione (quæ infra p. 257 ſqq. integra exhibetur,) conceſſa Kilienſi Academiæ commendataque fuerat libertas in ſentiendo ac docendo. Ea res commoverat Schwarzium, quem *dicacis impotentisque animi Theologum* vocat Noſter, ut publica eaque ſatis acri cenſura Conſtitutionem illam exciperet. Hinc animum induxit 209.

Muhlius, vindicare libertatem illam, ejusque rationem ac limites definire. Constitutionis eam partem, quæ huc pertinet, ita Latine reddidimus: *Nulla Facultas* (Academica) *certis principiis & opinionibus adstringitor, quatenus illæ ab auctoritate humana dependent, sed cuivis doctori libera inquisitio quarumvis opinionum, veterum, novarum, permittitor. Et quia in nonnullis Problematibus, item interpretationibus Scripturæ, & aliis, nondum a tota Ecclesia definitis, Theologis quoque sua debetur libertas, hinc ad evitandas rixas cuivis Theologiæ Professori sua Scripta & Disputationes sine censura Decani typis vulgare licitum esto.* Doctissimus Autor hinc enarrat mala, superioribus temporibus nata ex turpi ingeniorum servitute. Explicat etiam causas, cur doctis ista libertas omnino sit permittenda, & philosophiæ eclecticæ causam eleganter perorat, simul accurate describens humanæ præjudicium autoritatis, ejusque damna. Speciatim damnat morem, quo superiori ævo autoritas Aristotelis legibus sancita erat in Academiis. Nec minus Theologis liberum judicandi docendique arbitrium relinquendum esse docet in iis, in quibus fidei summa non vertitur, quæque in libris nostris symbolicis non sunt decisa. Theologos enim nonnisi Dei auctoritatem sequi debere, nulli hominum sua credulitate addicta. Esse quoque multa adhuc in sacro codice, nondum explicata & ad liquidum perducta. Ad ea porro respondet, quæ contra hanc libertatem Academicam objiciuntur, eamque a licentia probe distinctam vult. Nec illos sine nota dimittit, qui ceterorum ordinum homines, Philosophos, Medicos, Jurisconsultos vetant literas sacras exactius scrutari, Theologisque inconsulte dictatoriam asserunt autoritatem.

p. 273. Excipit hanc Dissertationem Muhliana *Invitatio ad commentationes publicas de eo, quod justum est circa religionem & libros nostratis Ecclesiæ symbolicos.* Hic maxime in eo est, ut demonstret, Principibus (quos tamen, exactiori quippe literarum sacrarum cognitione carentes, non esse idoneos controversiarum judices, fatendum est,) etiam religionem civium & salutem æternam curæ esse debere, adeoque eorum esse, veram religionem ordinare, scripta Symbolica condere, ad eaque jurejurando

(cujus

(cujus justitiam magno conatu asserit,) cives adstringere, contrariaque docentes relegare. Subjuncta est Melanchthonis Oratio de calumniis Osiandri, & scripta symbolica ipsa & morem p. 297.
iisdem fidem adstringendi insectantis.

Sequitur Celeb. Autoris duplex Oratio, quarum priore *de* 313.
origine & dignitate Cancellariorum Academicorum, (quo quidem de argumento steriles sunt Conringianæ Antiquitates Academicæ,) posteriore *de dignitate & officio Procancellarii Kili-* 323.
ensis agit. Subjecta est *Henr. Meibomii* de eodem argumento 358.
Dissertatiuncula.

Hinc offert se doctissima Dissertatio *de martyribus Ecclesiæ* 369.
Evangelicæ: cumque in his emineat Henricus Zutphaniensis, A. 1524 d. 11 Dec. ustulatus, annexa est longa Dissertatio *de vita* 401.
& gestis ejus.

Agmen claudit *Historia cœnobii Bordesholmensis*, ex variis 473.
plurimisque diplomatibus, bullis, tabulis & literis, quorum hic quoque non exiguus exhibetur numerus, adumbrata. Hæ tamen primæ duntaxat illius historiæ lineæ sunt. Nam se majus Opus in animo habere, idque meliori temporum occasioni reservare, diserte profitetur Autor eruditione non minus quam dignitate eminens.

ORATIO DOMINICA IN DIVERSAS OMNIum fere gentium linguas versa & propriis cujusque Linguæ characteribus expressa; Editore JOANNE CHAMBERLAYNIO, Anglo Britanno, Regiæ Societ. Londin. & Berolin. Socio.

Amstelodami, typis Guil. & Dav. Gœrei, 1715, 4.
Alph. 1 plag. 17.

QUo labore alii plures, nominatim *Petrus d' Avity, Claudius Duretus, Barthol. Georgieviz, Conr. Gesnerus, Jo. Bapt. Grammaye* Batavus, Sec. XVI extremo, *Hier. Megiserus* A. 1603, *Jo. Micrælius, Andr. Mullerus, Georg. Pistorius, Jo. Reuterus*, Livongav. 1662, *Angelus Roccha, Schildberger, Georg. Stiernhielm, Casp. Waserus, & Jo. Wilkins* olim defuncti sunt, eundem denuo aggressus est V. C. *Jo. Chamberlayne*, illorum apparatu

 in

in colligendis Orat. Dominicæ variarum gentium formulis, ita usus, ut majori instructus ipsorum diligentiam multum superaret. Cum enim locupletissima & plenissima omnium *Andr. Mulleri*, quem a patria *Greiffenbagium* vocant, collectio esset, quæ Londini 1700, 4 & *Berolini* 1703 eadem forma cum Autoris vita & accessionibus edita centenario absolvebatur, præsens, dimidia parte auctior, 152 repræsentat, ita quidem, ut singulæ formulæ literis cujusque gentis propriis, quod in prioribus vel penitus, vel maxima ex parte desiderabatur, exhibeantur, subjuncta lectione genuina, ipsi linguæ convenienti. Qua in re operam suam commodavit Cl. *David Wikins*, Memela Borussus, qui pro πολυγλωττίᾳ sua, qua valet, tum id, quod diximus, præstitit, tum vero etiam in præfatione longiore, de linguis ipsis, in quibus oratio illa sanctior exstat, earumque conditione strictim disserit, fontesque indicat, unde illæ sint haustæ. Notari quoque hic par est, nonnunquam hanc precandi formulam ex diversis ejusdem linguæ, v. c. *Germanicæ*, *Malabaricæ* &c. dialectis legi, si in plures sit diffusa. Quamvis itaque nulli industriæ pepercerit Cl. Editor, vel sic tamen accessioni locum relictum esse exemplo nobis constat, qui Orationem Dominicam antiqua *Melitensium*, & aliam *Hunnorum* lingua, singularibusque characteribus, expressam, & alibi frustra quærendam, viderimus. Accedunt insuper dissertationes variæ eruditorum Virorum, quæ vel de Linguis ignotioribus, vel de Gentibus Populisque, quibus receptæ illæ fuerunt, commentantur. Sic Dissertatio I, a *Guilielmo Ep. Carliolensi* scripta, de linguis diversis earumque affinitate & originibus præcipit usque ad p. 21. Hinc Illustris *Leibnitius* idem fere institutum persequitur, in literis Vindobona datis, ubi inter cetera p. 29 profitetur, in schedis suis, a quibus nunc nimis remotus sit, esse nonnulla, quibus forte ille orationum syllabus augeri posset. Cl. *Surenhusius* in dissertatione p. 31 proxime sequente disquirit, Hebræane an Syriaca lingua oratio Dominica fuerit a Servatore concepta, & pro posteriori recte pronunciat, ex quo consequitur, Hebræam, quam habemus, formulam recentioris ætatis esse, quam ipsa etiam dictio, prout in Evangelio Matthæi Hebræo, a Seb. Munstero edito, exstat, luculente prodit. Quod

ut

ut recte V. C. monet, ita non videmus, cur Munsterum e Judæo Christianum fuisse pronunciet p. 32, quem Ingelsheimii Christianis Parentibus anno 1489 natum esse exploratum habemus. Forte itaque & huic Munstero insignis Hebraismi, quem ab Elia Levita hausisse se gratus aliquoties commemorat, peritia fraudi fuit, sicut eadem effecit, ut *Nicolaus Lyranus* itidem præter rationem pro Ex-Judæo haberetur. Observat præterea *Surenhusius*, Orationem Dominicam compendium aliquod precum, quas Judæi quotidie recitandas שמונה עשרה vocant, complecti, quod instituta comparatione evincere conatur, ab illorum sententia forte non alienus, qui Cabbalæ Judaicæ vestigia in ea sibi deprehendere videntur. Sequitur *Guilielmi Wottoni* Dissertatio p. 37-75, de *Confusione Linguarum exstructoribus Turris Babylon. inflicta*, quæ communem illam de linguis revera, divini Numinis auspiciis & nutu, eo tempore confusis sententiam adstruit, repudiatis illis, qui cum Cl. *Vitringa* & *Jac. Perizonio* totam rem ad dissensionem animorum, inter turris conditores excitatam, revocant. Denique p. 66 eos sibi confutandos sumit, qui ex Confusione illa Babylonica ullam linguam novam enatam negant, sed vel omnes ex Hebræa sensim & fluxu temporis derivatas, vel destinato consilio ab hominibus formatas fuisse contendunt. Postea conspicitur erudita V. C. *Davidis Wilkinsii*, quem antea laudavimus, dissertatio *de Lingua Coptica* p. 76-125, in cujus origines, incrementa & hodiernam conditionem inquirit. Eam itaque, quæ olim Ægyptiaca audiit, *Copticam* postea non a *Chibth*, primo Ægyptiorum Rege, nec a *Coptis*, Coptitarum in Ægypto secta, sed a Copto, totius Ægypti urbe & Thebaidos Metropoli dictam arbitratur, deinde vero breviter ostendit, quas variis temporis intervallis mutationes subierit. Qua data occasione apparatum variarum vocum veteris Linguæ Ægyptiacæ a Cl. *Hadriano Relando* communicatum affert, easque ex hodierna lingua Coptica illustrat, & p. 112 justum *tractatum de λεειψάνοις veteris Linguæ Ægyptiacæ* pollicetur. Hinc p. 112 peregrinas quasdam voces usque ad p. 119 exhibet, quas Lingua Coptica ex *Arabica*, *Hebræa*, aliisve linguis adoptavit. Sequitur tandem ipsa Orationis Dominicæ Copticæ Analysis. Huic proxima

est

est præstantissimi & πολυγλώττου *Maturini Veysserii La Croze* commentatio erudita, quæ ostendit, *totius Asiæ Orientalis literas a Syriacis oriri, unis Armenicis & Sinensibus exceptis, quarum illæ potius originem Græcam agnoscant, hæ vero ad Ægyptiorum hieroglyphica revocanda videantur.* Testatur inter reliqua p. 127, constitutum sibi aliquando fuisse, ipsam illam συλλογὴν Orationum Dominic. quæ Lond. clↄ Iↄcc prodierit, ampliatam observationibus suis illustrare, eademque opera origines & literarum, & linguarum dialectorumque, quibus gentes utuntur, eruere, eo animo, ut demonstraret, omnes fere omnium gentium literas ab Ebraicis antiquis & recentioribus, Samaritanis scilicet & Assyriis, oriri. Idem Vir doctissimus p. 133 de Armenicis literis credi jubet, eas ad Græcarum imitationem expressas esse, annitente *Mesrobe*, quem divino tantum beneficio in literis Armenorum inveniendis usum esse *Moyses Choronensis* lib. III c. 53, cujus verba Latine afferuntur, fabulatur. In sequentibus idem de aliis quibusdam linguis, quarum specimina in illa Collectione exstant, affert, aliis non observata, speciatim vero de Gothica Lingua monet, eam præter rem Gothicam appellari, & potius ad Francos veteres referendam videri. Adducit hanc in rem varia argumenta, quæ nobis quidem nec repetere hic nec investigare nunc licet, ab aliis autem curatius considerari decet, præcipue cum ea, quæ a Cl. Wilkinsio in præfatione in contrariam sententiam disputata sunt, rem non conficere videantur. Progredimur ad Cl. *Jo. Joachimi Schræderi*, Professoris Marpurgensis, dissertat. quæ a p. 143 ad 149 decurrens, ex *Moyse Choronensi*, Armenorum Historico & Geographo Seculi a C. N. quinti, descriptionem Armeniæ Latine proponit. Calcem occupat Cl. *Jezreel Jones* dissert. de *Lingua Schilhensi*, quæ & ipsa catalogo vocum quarundam Schilhensium & explicatione Latina clauditur.

COLLECTA ARCHIVI ET CANCELLARIÆ Jura, quibus accedunt de Archicancellariis, Cancellariis ac Secretariis Virorum clarissimorum commentationes, accurante JACOBO WENCKERO, Argent.

Argen-

Argentorati, ſumptibus Jo. Reinholdi Dulſſeckeri, 1715, 4.
Alph. 5.

DIximus de Cl. Wenckeri Apparatu Archivorum in Actis ſuperioris Anni Menſ. Novemb. p. 517, jam ejusdem *Collecta Archivi & Cancellariæ jura* ſequuntur, quibus prius opus continuari videtur. Autores primum nominabimus, quorum monimentis hæc Collectio abſolvitur; poſt hæc ex notis, quas Cl. Editor adjecit, quædam addemus. Primus comparet *Balthaſaris Bonifacii JC. liber de Archivis*, Venetiis 1632 prima vice excuſus, p. 1.
poſt *Ahaſveri Fritſchii* Tractatus *De Jure Archivi & Cancellariæ* 11.
ſequitur, Jenæ 1664, 4 & in Opuſc. variis Noribergæ 1690, fol.
editus. Tertio loco quædam ex *Schilteri Inſtitutionibus Juris* 50.
publ. de Probatione per Archivum adjecta ſunt, quem *Franciſci* 62.
Michaelis Neveu de Windlſchlee & illuſtris *Lynckeri* diſſertatio- 82.
nes de Archivis: Excerpta de Jure Cancellariæ & Archivi, item
de Imperatricis Cancellario & Archivo ex doctiſſimi *Mulzii* Re- 109.
præſentatione Majeſtatis Imperatoriæ, nec non ea quæ de no-
mine, officio & dignitate Cancellarii celeberrimus *Thulemarius* 133.
Tr. de Octoviratu cap. XIII dixit, item *Georgii Adami Struvii*
Diſſertatio de Cancellario Principis & Jo. *Schilteri* Commenta- 190.
tio de Secretariis excipiunt, quibus tandem etiam Bernhardi a
Mallinkrot Tr. de Archi-Cancellariis S. R. Imp. adjungitur,
quem etiam hoc anno Cl. Struvius edidit, (vid. Act. hujus Anni 211.
p. 224) Noſter autem ſuis notis illuſtravit. Adjecta ſunt porro *Ca-* 604
roli du Fresne Domini du Cange Series Archicapellanorum Pala-
tii Francici, ex ejusdem Gloſſario Mediæ & Infimæ Latinitatis
deſumta, Joannis *Weinckens* Commentatio de Eginhardo Caroli 608.
M. Cancellario, ex ejus Eginhardo Illuſtrato deprompta, & ea
quæ *Wagenſeilius* in Diſſert. de S. R. I. Officialibus Cap. VI de
Vice-Cancellario Imperii collegit. Sequuntur *Franciſci Lanovii* 614.
de Sanctis Franciæ Cancellariis & de Cancellarii nomine, offi- 726.
cio & dignitate, ſchediaſmata hiſtorica, atque ejusdem Catalo- 735.
gus Cancellariorum Regum Franciæ a Meroveo usque ad Ludo-
vicum XIII, *Mabillonii* Artis Diplomaticæ L. II c. XII & XIII, quæ 761.
de Cancellariis Franciæ, Notariis & Cancellariis Romanorum
Pontificum, item Epiſcoporum, Abbatum atque illuſtrium per-

ſonarum agunt, *Wagenſeilii* Diſſertatio de Imperii Archivo, Aurea Bulla & Lipſanis,
p. 784. *M. Chriſt. Heinr.* Bromels Epiſtola de Ar-
793. chivo Arnſtatenſi Swartzburgico ad V. Cl. Caſp. Sagittarium,
796. *Juſti Fontanini* loca & argumenta de Archivis & Tabulariis Eccleſiarum Monaſteriorumve eorundemque cuſtodia ex ejus-
804. dem Vindiciis Antiqu. Dipl. deſumta, *Mabillonii* Supplementi
810. de Re Dipl. Caput II, quod easdem res explicat, *Meibomii* Oratio de origine, dignitate & officio Cancellariorum Academicorum
817. Helmſtadii A. 1612 habita, & ultimo *Chevillardi* Tabula Cancellariorum & Cuſtodum Sigilli. Hæc ſunt ſcripta, quibus hoc volumen abſolvitur, de quibus, quia jam longo abhinc tempore edita fuerunt, nihil dicendum erit; ex notis vero, quas Cl. Wen-
54. ckerus addidit, quædam huc transferemus. Notat, falli eos, qui ſtatuunt, Rudolphum & Fridericum II Impp. publica lege caviſſe, ne inſtrumenta & acta judicialia Latina lingua conficerentur, quum Clerus, qui ſcripturarum confectione nutriebatur, & magno ſuo emolumento cancellis & ſecretis aulæ inſidebat, obſtiterit, quo minus Latinæ linguæ uſus in conficiendis tabulis aboleretur. Nec proferri adhuc potuiſſe diploma Teutonico ſermone his temporibus conſcriptum, ſed omnium Impp. usque ad Fridericum III infinita diplomata Romana lingua adhuc
55. conſignata extare. Comites Solmenſes olim Civitatis Imperialis Wezlarienſis perpetuos factos eſſe Cives, ex Conventionibus de A. 1351 & 1363 apparet, quæ vernacula conceptæ ſunt lingua. Sic Cuno de Bergheim Nobilis Alſatus, Rudolphi Cæſaris in Alſatia
60. officialis, civis Argentinenſis fuit, ut ex ejus literis ad Senatum
61. Argentinenſem cognoſcitur. Cur Comitia Imperii de A. 1356 tamdiu procraſtinata ſint, Carolus IV in literis ad eundem Senatum de A. 1356 exponit; ratio quippe fuit, quod Caſimirus Rex Poloniæ Imperatorem Pragæ inviſerit, qui poſtea Albertum Auſtriæ Ducem ad ſe vocavit, quare ad Metenſia Comitia
89. ſtatim venire non potuit. Moguntinum Electorem Imperii Archivum, in quo omnia Germanici Imperii documenta continentur, cuſtodire admonet, & unicum Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ excipit, cujus αὐτόγραφον Electori Saxoniæ, ut in ſuo chartophylacio cuſtodiat, non obſtante Directoris Moguntini

tini contradictione, traditum fuisse observat. Occasione Archivi Augustæ sive Imperatricis Cl. Autor *Hedami* in Hist. Ultraj. fol. 153 Diploma adducit, cujus initium: *Mathildis Dei gratia Romanorum Regina* &c. subscriptio vero hæc est: *Signum Domini Heinrici V Imp. invictissimi. Philippus Cancellarius vice Adalberti Archi-Capellani recognovi. Datum A. 1125 anno Domini Heinrici V Regni quidem 26, Imperii vero 15. Actum est Wacheningen.* Ex literis Jacobi Sturmii ad Mart. Bucerum apparet, fœderatos Principes A. 1545 Jo. Sleidano stipendium *250 florenorum* per biennium constituisse, *ita ut munus describendi Historiam renovatæ religionis illi injungeretur, simul & si qua alia re fœderatis usui esse posset, faceret:* Christophorus Carlwizius etiam promisit, se curaturum apud Principem Mauritium, ut is centum florenos hoc anno addat. Wenceslaum Imperatorem A. 1361 d. 27. Febr. non vero d. 17 Martii, natum esse, contra *Bohuslaum Balbinum*, ex ipsis literis Annæ Imperatricis, Caroli IV conjugis, Wenceslai Matris, ad Senatum Argentinensem datis, probatur. Sequuntur variæ literæ Augustarum diversarum, ex quibus observatur, quod illæ plerumque peculiarem Protonotarium sive Cancellarium, qui postmodum etiam Vice-Cancellarius dicebatur, ad literas suas expediendas vel subscribendas habuerint. Notatu digna sunt verba Heinrici VIII Angliæ Regis in literis ad Argentinensem Senatum A. 1523 datis: *Non facile dixerimus, quanto affectu eos omnes prosequamur, quos in Lutherana refellenda heresi nullos labores, nullam invidiam, nullumque discrimen, detrectare animadvertimus, cujus hominum generis, ubi primum venerabilem ac religiosum virum fratrem Thomam Murner, ordinis Minorum conventualium, sacræ Theologiæ Professorem, ac Juris utriusque Doctorem, haud immerito censeri audivimus, hujus videndi hominis, coramque colloquendi ingenti desiderio repente affecti sumus, utque ad nos accederet, curavimus, qui profecto opinionem, quam de sua integritate, eruditione atque modestia conceperamus, non solum confirmavit, sed etiam sua præsentia longe superavit, adeo ut gratissimus acceptissimusque ejus nobis extiterit adventus, qui quum nuper ad vos redeat, volumus vel his saltem literis nostram erga eum benevolentiam testari,*

p. 92.
97.
124.
126.
144.

ſtari, proinde vos ex animo rogamus, ut eundem fratrem Tho-
mam præter id, quod ultro facturi eſtis, noſtro quoque intuitu &
contemplatione cariſſimum commendatiſſimumque vobis ſuſcipere,
omnique veſtro ſtudio ac favore complecti velitis, in quo rem nobis
p. 153. *optatiſſimam præſtabitis.* Fuiſſe A. 1300 Jus Civile Juſtinia-
neum æque ac Canonicum in frequentiſſimo uſu in ſcholis atque
foris Germaniæ, Cl. Autor ex variis documentis probat. Auxit
190. idem variis iisque notatu digniſſimis adnotationibus *Mallinkro-*
tii Tractatum de Archi-Cancellariis Imperii, ut proinde hæc edi-
256. tio aliis multo ſit præſtantior. Haſtiludia & Torneamenta in
urbe Argentina ſæpius celebrata fuiſſe, ordinationes inclyti Ma-
giſtratus illius urbis probabile reddunt, quæ a Cl. Wenckero ex-
389. hibentur. Varia etiam acta ad Imperium Wenceslai & Ruperti
399. ſpectantia & nonnullæ conſtitutiones vel Senatus Conſulta a
435. Senatu Argentinenſi promulgata inveniuntur, ut alia taceamus.

CORPUS CONSTITUTIONUM MAGDEburgicarum noviſſimarum, cum Cenſura Regiminis Provinc. Magdeb. editum opera D. CHRISTIANI OTTONIS MYLII, Synd. Civ. Hall.

Magdeburgi & Halæ, apud Seidelium & Rengerum, 1714, 4. Alph. 12 plag. 5.

CUm non ignoraret Conſultiſſimus Editor, quantum interſit legem ſcriptam omnibus innoteſcere, ac quotidiano rerum uſu experiretur, conſtitutiones in Ducatu imprimis Magdeburgico ſeorſim vernacula lingua publicatas, quarum ingens copia, quæque vix ullo hactenus pretio comparari omnes potuere, nondum ſatis omnibus perſpectas eſſe, conſilium ſuſcepit haud pœnitendum, atque conceſſione Regia impetrata, ex archivis & actis publicis & privatorum quorundam apparatu edicta omnia indefeſſo ſtudio collegit, collecta inter ſe contulit ac publici tandem juris fecit, quæ deinceps preditura ſunt, eadem forma Supplementorum ſubinde titulo editurus.

Continet autem hoc opus Conſtitutiones ab A. 1680, quo Ducatus Magdeburgicus, mortuo AUGUSTO Adminiſtratore, ad Brandenburgicos pervenit (nam quæ antehac usque ad A. 1673

A. 1673 publicatæ ſunt, jam pridem editæ proſtant) usque ad A. 1714, in Ducatu illo non minus ac Comitatu Mansfeldenſi, quatenus hic Magdeburgicæ Superioritati ſubeſt, promulgatas, quibus Reſcripta quædam deciſiva adduntur,in quibus ſunt quidem & plurimæ Conſtitutiones univerſaliores, quæ ipſam etiam Marchiam, Principatum Halberſtadenſem, & alias Provincias Regis Boruſſiæ concernunt. In VI vero Partes diviſit opus Cl. Editor & præmiſſo repertorio contentorum cujuslibet partis principaliorem Conſtitutionem poſuit primam, eamque allegatione ſubſequentium edictorum, quæ ad hujus vel illius loci explicationem vel limitationem facere poſſunt, illuſtravit, cui reliqua deinde edicta ſecundum ſeriem temporis ſubjunxit.

Pars Prima agit de *Cauſis Eccleſiaſticis* & iis, quæ inter eas referri poſſunt vel iis accenſeri & adjungi. Inter L Conſtitutiones, quas ibi reperies, primum locum occupat *Ordinatio Eccleſiaſtica*, quæ juxta edictum publicationis de dat.13 Nov. 1685 ad inſtantiam Statuum Provincialium autoritate Electoris FRIDERICI WILHELMI, facta reviſione antiquæ Ordinationis de A. 1652 & monitis dictorum Statuum deſuper auditis,a Regimine Provinciali concepta eſt, & easdem quidem cum antiquiori Rubricas habet, in nigro autem hinc inde diſcrepat. Ex ſequentibus conſtitutionibus commemorare liceat illam de dato 21 Dec. 1685, quæ d. Ordin. Eccleſ. Cap. V §. 18 *de Sigillo Confesſionis* ita declarat, quod ſc. Miniſter verbi divini delicta contra Principem & Statum Publicum perpetrata & attentata revelare teneatur, non tamen niſi ad ſpecialem & immediatum Principis juſſum & quatenus ſalus publica periclitari poteſt. Nec minus notatu digna ſunt *Univerſitatis Fridericianæ Privilegia* A. 1697 publicata. Eminent etiam conſtitutiones, quæ *de Cura Pauperum* tum Provinciæ tum imprimis Civitati Halæ ſunt præſcriptæ, & eæ, quæ *de Cultu Sabbathi* agunt. Ordinatio *de Cauſis Eccleſiaſticis militum*, das Militair-Conſiſtorial-Reglement, de A. 1712,exhibet perſonas,ex quibus Conſiſtorium militare formari debeat,earum officium & poteſtatem & huic ſubjectas perſonas & cauſas atque proceſſus formam, & quousque militibus matrimonia permitti debeant &c. Duo quoque edicta de di-

ſciplina academica allegare non pœnitebit, unum de dato d. 25 Maji 1695, quousque ſcilicet famoſiſſimas tabernas, quæ vulgo dicuntur Thee- und Coffee-Häuſer frequentare liceat, alterum ſub dato d. 28 Mart. 1702, prohibens, ne alibi ob duella relegati in aliqua Univerſitate Potentiſſimi Regis Boruſſiæ recipiantur. Et ut de reliquis Mandatis taceamus, colophonem tandem imponit edictum de dato 25 Jan. 1713, quo conſtitutiones de Religione Reformatorum A. 1662 & 1664 in Marchia promulgatæ publicantur. Hæc de prima Parte.

Sequitur Pars ſecunda de iis, quæ juſtitiam ejusque adminiſtrationem etiam in *Cambialibus* cauſis concernunt. Ea continet LXII conſtitutiones, ex quibus prima eſt *Ordinatio Proceſſus de A. 1686*, eadem cum antiquiori habens capita, uno ſaltem omiſſo, de ceſſione Jurium & actionum, id quod ordinationi politicæ deinde fuit additum. Prolixum foret omnia referre, in quibus forma Proceſſus fuit mutata, illud tantum obſervamus, quod reviſores a Saxonico jure, ex quo antiquior procedendi forma deſumta fuerat, magis jam ſecedere cœperint. Hanc excipit ipſius Declaratio de A. 1696, quæ communiter dicitur die neu verbeſſerte Proceſs-Ordnung, & pariter multa ſecundum ſeriem Capitum dictæ ordinationis declarat, ampliat, limitat, abrogat, nova addit, & novum quoque Caput ſc. LI de Advocato Fiſci ſubjungit. Cum autem hæc nova ordinatio minime plenam Proceſſus formam depingat, ſed, uti dictum eſt, antiquiorem in hoc vel illo puncto ſaltem augeat vel minuat vel declaret, & ita una absque altera non ſufficiat, ſed ambæ ſemper conferri debeant, niſi quis impingere velit, hinc Autor hujus collectionis laudabili conſilio ſingulis capitibus & paragraphis prioris ordinationis annotavit, ſi quid, & ubi per illam ordinationem reviſam de A. 1696 & per conſtitutionem de A. 1713, de qua mox, aliquid mutatum eſt. Tertium locum occupat modo dicta *Conſtitutio*, quam Potentiſſimus Rex Boruſſiæ FRIDERICUS WILHELMUS, amore extinguendi prolixas & innumeras partium lites flagrans, mox ab initio ſui Regni A. 1713 ſub titulo Allgemeine Ordnung die Verbeſſerung des Juſtiz-Weſens betreffend/ non ſolum in Ducatu Magdeburgico, ſed

&

& in reliquis Provinciis publicari jussit, & qua malitiæ judicum, advocatorum, clientum fræna injicere studuit, severam animadversionem iis minatus, qui obtentu commodi Regii privatorum juribus quocunque modo vim inferre præsumserint. Luculenter quoque hæc constitutio distinguit, quibus in causis Camera vel alia Collegia, Commissariat, Steuer- und Accis Amt, Jagdt-Cantzelley, Post-Amt &c. cognoscere possint. Succedit *Ordinatio Cambialis*, quæ A. 1703 publicata XLII articulos continet, tum & aliæ, quas recensere nihil attinet.

Parte Tertia præmittitur Ordinatio Politica de A. 1688, quæ ab ea, quæ antea ab A. 1652 viguit, rubro & nigro hinc inde maxime differt, & ex præfatione seu publicatione ordinationi præmissa sub dat. d. 3 Julii 1688 notandum, jura Saxonica tum demum admitti, quum Ordinationibus in Ducatu Magdeburgico antea promulgatis neutiquam repugnant. Ceterum longum foret Edictorum, quæ hic exhibentur CCLXXVIII, contenta recensere. Inter novissimas constitutiones, quæ sub Imperio moderni Regis emanavere, eminent eæ, quæ de Duellis, Commerciis, temporibus venatoriis & universali introductione ponderis & mensuræ Berolinensis loquuntur.

Quarta Pars de *Re militari* agit, & LXV constitutiones complectitur, inter quas sub num. I, II, III & IV novissimi reperiuntur articuli de disciplina, annona, expeditione, stipendio ac hospitatione militari &c. die Kriegs-Articul, Marsch-Verpfleg-und Einquartierungs-Reglement, de A. 1713.

Pars Quinta sub rubrica von Cammer- Steuer- Müntz- Post- und Bergwercks-Sachen CLXXII leges exhibet, inter quas prima est, quæ dicitur die A. 1686 publicirte General-Steuer- und Consumtions-Ordnung in denen Städten des Hertzogthums Magdeburg/ quæ sub distinctione capitum exhibet taxam accisæ de vino, cerevisia, frumento, mercibus &c. & reliqua, quæ observari debent, secundo autem loco reperitur, die Post-Ordnung de A. 1712. Hæc ordinatio de Juribus Postarum non solum Ducatum Magdeburgicum, sed omnes Provincias concernit & agit de Officio Magistri, Scribæ & reliquorum officialium rei veredariæ eorumque Privilegiis,

viato-

viatoribus, diverſoriis, tabernis, rhedis, cornubus & inſignibus veredariis & veredis, nec non de eo quod juſtum eſt & licitum circa literas & res earumque obſignationem, oblationem, taxam & pondus, vel circa Poſtarum vias, ſecuritatem & cautionem tempore peſtis obſervandam &c. & huic ordinationi adhærent aliæ ſpecialiores de re veredaria decurſionum in Clivia, Marchia, Pomerania & Weſtphalia. Sequentia edicta vel ſpecies & figuras monetarum probarum & reprobarum exhibent, & reliqua quæ ad rem nummariam faciunt, vel de Re Veredaria adhuc varia diſponunt, e. g. Die Fuhr- und Land-Kutſcher Ordnung/ vel de acciſa & ejus augmento, maxime ratione urbium Magdeburgi & Halæ, varia determinant, vel de vectigalibus, tributo ſeu cenſu munerum (Marinen oder Chargen Gelder) nitrariis & coquendo ſale nitri, privilegiis eorum, qui nova extruunt ædificia, fodinis, & chartis luſoriis ſignatis agunt, vel Commiſſarios belli & exactionum inſtruunt de ipſorum officio, ut alia taceamus.

Tandem ſequitur Pars Sexta & ultima, quæ ſub rubro Miſcellaneorum varia continet edicta, quippe præmiſſo ſtatuto Hallenſi, die Regiments Ordnung de A. 1687, conſtitutiones LXXI diverſi generis ſubjiciuntur e. g. de Peſte, Privilegiis & juribus eorum, quos Rex Galliæ ex Gallia, Palatinatu vel aliis Provinciis expulit, novo Calendario, commerciis Guinenſibus, formulis & geſtibus Judæorum orantium ſuſpectis, ſucceſſione conjugum Hallenſium &c.

Adjectus eſt ultimo loco Index rerum utiliſſimus.

DANIELIS CLERICI, MED. DOCT. HISTOria Naturalis & Medica latorum lumbricorum intra hominem & alia animalia naſcentium.

Genevæ, apud Fratres de Tournes, 1715, 4.
Alph. 2 $\frac{1}{2}$ cum fig. æncar. tab. XIII.

TRia eſſe vermium genera, quæ in corporis humani inteſtinis hoſpitantur, Aſcaridum ſcilicet, teretium, & latorum, Græci & Latini obſervarunt Medici. Arabes teretes parvos ſeu graciles, & latos ſtatuerunt, quos ultimos alio nomine cucurbitinos

tinos vocarunt, cum quibus tamen horum interpretes ascarides confuderunt. *Petrus* vero *de Abano* aliique pauci eos ita inter se quandoque colligari observarunt, ut catenam efforment unius animalis seu vermis speciem præ se ferentem. Duæ species vermium latorum ab *Arnaldo Villanovano* distinctæ, sed non descriptæ sunt; quarum hæc longorum & latorum, illa brevium & latorum seu cucurbitinorum sit. His tertio accedunt longi & rotundi, seu teretes, quarto curti & rotundi, qui Ascarides Græcorum sunt, quinto maximus quidam lumbricus, alias folium seu cingulum dictus. Putat tamen *Gabucinus*, *Arnaldi* lumbricum maximum nil aliud esse quam sacculum cucurbitinos vermes quandoque involventem. Circa lumbricorum latorum naturam atque inter se discrimen multa in Medicorum posteriorum scriptis confusio annotatur. Quidam enim cucurbitinos lumbricos Arabum figmentum esse putant; alii, quicquid de lumbrico lato narratum est, nugas esse ajunt; alii duo latorum genera admittere videntur, sed ea invicem quo pacto distinguant, nesciunt. Alii, quorum agmen ducit *Platerus*, duo quidem latorum lumbricorum seu tæniarum genera expresse distinguunt, ac vermem latum longumque a cucurbitinorum catena re ipsa diversum describunt, sed catenam hanc, tæniam secundi generis ab ipsis vocatam, pro uno etiam prælongo verme contra *Petri de Abano* sententiam habent, vermemque Arabum latum brevem seu cucurbitinum nil aliud esse ajunt, quam tæniæ corporis fragmenta cucumeris semini similia. Alii demum, qui vermem eundem cucurbitinum viderunt, ipsum vel pro ascaride vel pro monstroso quopiam alio verme habuerunt, ita ut cucurbitinus diu ignoratus sit, vel in obscuro jacuerit. Hæc singula Clarissimus Clericus prolixius & ipsissimis Autorum verbis *prioribus IV capitibus* probat. Posthæc *Eduardi Tyson*, cujus dissertatio ex Anglico idiomate in Latinum versa hic legitur, item *Leeuwenhoekii*, *Nicolai Andry* de lumbricis latis & speciatim de *Plateri* Tænia secundi generis, folium ipsi dicta, sententiam *capite V* exponit. Præ reliquis vero *Antonii Vallisnerii*, cujus Cogitata & Experimenta circa ordinariorum vermium in corpore humano generationem in Actorum Supplem. T. V Sect

VII pag. 279 communicavimus, vermium cucurbitinorum & tæniæ *Plateri* secundæ seu tæniæ degeneris *Spigelii*, tubulique cucurbitinos interdum involventis descriptionem, qua *Andry*, *Tysonis* & aliorum, tæniam istam pro uno verme habentium, opinio refellitur, in *capite VI* allegat, maximeque deprædicat. Inde in *capite VII* ad tæniam primam *Plateri* revertitur. Quamcunque autem solertiam adhibuit in evolvendis Autoribus, qui de hac vermis specie scripserunt, nihil tamen solidi reperit. Hinc allegatis in *capite IIX & IX* illis Medicis, qui corporis vermis istius truncum aut descripserunt, aut se vidisse dixerunt, vel caudam aut caput conspexerunt, suas communicat observationes, imprimis quæ caput & caudam concernunt. Variis tum argumentis in *capite X* probat, plures tænias in hominum intestinis quandoque reperiri, hasque per generationem se multiplicare, & unum esse revera vermem, non plures instar cucurbitinorum, vivacesque admodum existere; inter latentis talismodi tæniæ in intestinis signa famem caninam neutiquam referendam esse, imo eorum nulla pathognomonica aut perpetua, vel quæ aliis morbis communia non sint, dari; gravioribus symptomatibus ægros haud vexari, imo nullum eorum existere lethale. Atque hæc postquam de lumbrico lato commentatus est Autor Clarissimus, haud absonum esse credidit, quædam de aliis vermium generibus, qui hominibus molesti sunt, ut &, qui in aliis animalibus reperiuntur, quæ eorum sit origo, quæ remedia, addere. Agit itaque *capite XIII* de tænia canina, aliisque canum & felium vermibus; de teretum in hominibus lumbricorum inter se differentiis, & anatome; de vitulorum lumbricis teretibus; & illis, qui longi & tenuissimi extra intestina fuerunt reperti; de Ascaridibus; de dracunculo seu vena Medinensi; de vermiculo affectum, bovinum dictum, inducente; de vermiculis Americanis, pedibus hominum molestis; de Syronibus, mortem inferentibus; & Sironibus oculorum; de vermibus cum urina excretis; de vermibus ulcerum, vasorum sanguiferorum, spermaticis, crinonibus, cerebri, narium, ossis frontis, oculorum, dentium, aurium, cordis, pulmonum, hepatis, lienis, umbilici vermibus & eo, quem omao nuncupant; item de vermibus villosis, monstrosis, agit.

agit. Prolixus hinc in *capite XIV* eſt in inquirenda vermium origine variaſque hac de re Autorum opiniones allegat, & vermes in humanis corporibus ſtabulantes non ſolum ſemper noxios non eſſe, ſed utiles quandoque & neceſſarios, in infantibus potiſſimum, ἀδηφαγίᾳ laborantibus, evincit. Ad remedia denique *cap. XV* progreditur, quorum ope moleſti interraneorum noſtrorum hoſpites ejiciuntur; quorum varias recenſet claſſes. Sunt enim, quæ manifeſta gaudent qualitate, propter quam, cur vermibus ea infeſta ſint, ratione aſſequi poſſumus; ſunt, quæ vi quadam occulta & ſpecifica, id eſt, quorum ratio perſpecta nobis non eſt, etſi de effectu experientia teſtetur, hoc præſtant. Sunt etiam, quæ certis tantum vermium generibus expellendis enecandiſque inſerviunt; ſunt denique, quæ omnia perinde fugare vel interimere queunt. Quarum ſingula allegare prolixius foret.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII Compendium Chymiæ Theoreticæ & Practicæ, methodo analytica propoſitæ.

Jenæ, ſumptibus Joh. Felicis Bielkii, 1715, 4.
Alph. 1 plag. 5.

Compendium hic ſiſtit Chymiæ Medicæ Clariſſimus Wedelius, cujus in omnes fere Medicinæ partes opera eruditiſſima abunde proſtant, & ab omnibus avide expetuntur; de Metallica autem Chymia nihil ipſi nunc negotii intercedit. Dividit illam in Empiricam & Dogmaticam, ſeu Practicam & Theoreticam, vel rationalem; ſeu ſpectatam, prout circa principia rerum, ſecunda ſaltem, & principiata ſeu producta certa occupatur. Hinc quatuor oriuntur libri, in quos dicenda includit. In Libro igitur I Theoriam principiorum Chymicorum pandit, in qua Sal, ceu clavem & condimentum rerum, ſulphur, tanquam ſigillum, centrum, & pacem optimam rerum, mercurium, qui eſt elater mixtorum, ſemen, quod promptuarium univerſi vocat, & fermentum, directorium omnium, ſub examen vocat, & in eorum eſſentiam, affectiones, vires, & uſum ſedulo inquirit. Tum Chymicorum principia cognoſcendi & curandi ſiſtit, de-

que productis seu effectibus & operationibus Chymicis agit. Duplex autem est methodus, qua Chymia docetur, & traditur, analytica altera, altera synthetica, quarum illa a fine ad media procedens τὸ ὅτι & partes compositas magis scrutatur, hæc τὸ διότι, a mediis ad finem, partes componentes examinans. Quanquam autem res eodem recidat, quocunque modo Chymia explicetur, facilior tamen & practica magis judicatur esse methodus analytica. Optime etiam in hoc sequitur Clariss. Wedelius principiorum Chymicorum signaturam, utpote naturæ unice conformem, indeque desumptam. Uti enim Mercurii character hoc modo notat, quæcunque etiam fixa visa, evaporabilia esse vel fieri, igni & quidem ad σύγκρισιν seu capturam clauso, exposita: ita prima statui potest commode operatio, Volatilium, sensu latiori dictorum, Evaporatio. Et ut sulphur alias inflammabile, ita hoc sensu signat igne fixanda, adeoque secunda operatio essentialis & classica emergit, Accensio. Sal vero media centraliter, æqualiter, separanda signans, Solutionem & Coagulationem, ceu tertiam operationem constituit. In Libris igitur sequentibus de Evaporatione, Accensione, Solutione & Coagulatione agit Autor; ita tamen, ut sub Evaporatione destillationes aquarum, spirituum, oleorum, flores, sublimata, & salia volatilia complectatur; sub Accensione calces, cineres, salia alcalica fixa, crocos, regulos, vitra, præcipitata, & coagula mercurialia comprehendat; sub Solutione & Coagulatione essentias, tincturas, extracta, elixiria, gelatinas, vitriola, sulphura, feculas, magisteria, liquores, crystallos & præparationes Chymicas compositas rimetur, & de Postulatis Chymicorum agat. Ex quo ultimo capite speciminis loco quædam nunc communicabimus. Circa Chymicorum quorundam asserta duo cumprimis notat Noster, primo, quod hyperbolicis elogiis sua inventa ornent; secundo, quod eadem occultent tanquam arcana, & possidere magis se arguunt, quam demonstrent. Quibus addit, quod sint aliqui ἀπαίδευτοι, nec fundamentis artis vel Philosophiæ imbuti Empirici. Hinc quædam dubia, quædam falsa omnino, quædam autem vera sed non nisi ænigmatice descripta prostare. Circa quintas essentias monet, audire tales

Para-

Paracelso subtiliora & specifica medicamenta, virtute seminali sui simplicis prædita, quod nomen hodie ad spiritus oleosos seu olea ætherea deductum non adeo inconveniens est. Cum autem notum sit, ignem esse destructorem seminum, frustra esse & statui παλιγγενεσίαν plantarum ex cineribus, in salibus vero vel aquis destillatis & decoctis quoque congelatis efflorescentias & figuras illusisse ignaris autumat. Neque etiam e diversa combinatione & immutatione particularum definite vel mercurium vel alia principia enasci, admittit, unde mercurium currentem e regno vegetabili vel animali, prius non ingressum fortitum, nondum demonstratum fuisse. Neque ex regno animali vel vegetabili lapidem philosophorum seu tincturam universalem recte quæri putat, non obstante regnorum symbolismo quoad materiam universalem, cum differant seminali principio. Sal vitriolicum figens, & sulphur illigans ac malleabilitatis principium, in metallis nullo modo negari posse existimat, quin id ipsum variis experimentis demonstrari, vel auri fulminantis exemplo. Si panacæarum nomine veniant remedia polychresta, lumine puriori serenare spiritum vitalem, vel alterare eminentius fluida corporis apta, non neglecta inquisitione ulteriori mixtorum & morborum, talia heroica ex cinnabarinis, antimoniatis, solaribus, mercurialibus concedit. Cumque metalla gaudeant suo semine & fermento, & ex his potissimum solem, cum sulphur maxime sit diffusivum principium, & fixari aptum, non absonum esse, transmutationem metallorum statuere, sibi persuadet.

Jacob Leupolds, Mechanici zu Leipzig, andere Fortsetzung des Tractats von der Lufft-Pumpe.

h. e.

JACOBI LEUPOLDI, MECHANICI LIPSIensis, Antliæ pneumaticæ illustratæ Continuatio secunda.

Lipsiæ, sumtibus Autoris, 1715, 4.
Plag. 2 Tab. æn. 4.

IN hac Continuatione secunda Autor industrius & ingeniosus primum exponit modum, quo objecta in vacuo sursum & deorsum moveri possint. Artificium patet ex adjecto schemate, in quo *ab* est filum orichalceum crassius, longitudinis unius circiter pedis, *cd* ansa mediante clavo *e* filo *ab* affixa, *fg* cylindrus orichalceus cochlea *hi* instructus, ut ad campanam vel operculum aliquod firmari possit, *kl* coria madefacta & foraminibus sectioni fili horizontali congruentibus pertusa, *mn* cochlea cum catino, ut coria comprimi possint & aqua desuper affundi queat, *o* denique uncinula objecta elevanda aut deprimenda receptura. Docet deinde, quomodo eodem machinamento uti detur ad vitra evacuata obturanda, veluti si quis phosphorum *Bernoullianum* parare voluerit, & quomodo, vase vitreo altiore evacuato, plumula cum nummo aureo una demittatur, ut descensus, dempta aeris resistentia eodem temporis articulo peractus, in oculum incurrat. Utrumque ex inspectione figuræ manifestum. Describit præterea instrumentum in Actis hisce Tom. V Supplementorum Sect. 9 p. 404 repræsentatum, quo Mechanicus Anglus *Hauksbee* igneam quasi pluviam in tenebris produxit, simulq; docet, quomodo structura ejus variari possit, ut phosphorus ille mercurialis non temporarius sit, sed perpetuus. Illa autem ignea pluvia reapse idem est cum phosphoro *Bernoulliano*. Fieri sane hodie assolet, ut idem experimentum sub multiplici sæpius forma exhibeatur. Machinam ad compressionem aeris a se olim excogitatam & in Actis A. 1708 p. 355 descriptam ita nunc aptavit, ut omnia experimenta in aere compresso fieri possint, quæ in vacuo fieri solent. Tempestive autem monet, ne incauti pulverem pyrium ope Speculi caustici in aere compresso accendant ob damnum præsentissimum inde metuendum. Cum *Hauksbejus* antliæ suæ pnevmaticæ Tom. V Supplementorum p. 403 a nobis descriptæ non vano consilio baroscopium applicaret Noster nunc docet, quomodo etiam antliis antiquo modo constructis idem commode applicari queat. Ostendit etiam, quomodo campana evacuata admotis carbonibus calefieri possit, ut aqua in vacuo perinde ac spiritus vini ebulliat & rana insigniter intumescat. Omne fluidum, modo leniter calefi-

TAB. VI Fig. 1. Fig. 2. 3.

TAB. VI ad A. 1715 M. Sept. pag. 414.





lesiat, instar Spiritus vini ebullire, sine novo instrumentorum apparatu docuit *Wolfius*, quemadmodum annotatum est in Actis A. 1714 p. 480. Praeterea *Leupoldus* novum quoddam infundibulum exhibet, vi cujus aqua subducto aere per poros corii & ligni filtratur. In his Actis A. 1711 exstat p. 11 experimentum *Leibnitianum*, quo docetur, grave in fluido descendens non gravitare cum fluido vi gravitatis totius. *Leupoldus* suadet, ut etiam tentetur, num corpus leve in ascensu per fluidum cum eodem gravitet. Commendat igitur cylindrum cavum cum appenso pondere aqua specifice leviorem & cera fundo tubi aqua pleni affixum: quodsi enim carbones candentes vel candelam ardentem fundo admoveas, cera liquefacta corpus separabitur atque ascendet. Reliqua experimenta, quae commemorat, ludicra sunt. Sub finem annectit pleniorem descriptionem antliae pnevmaticae, quam in Actis A. 1713 p. 95 exhibuimus.

HISTORIA CAPTIVITATIS FRANCISCI I Galliarum Regis, nec non Vitae CAROLI V Imper. in Monasterio. Addita relatio Vitae Mortisque CAROLI Infantis PHILIPPI II Regis Hisp. Filii; Autoribus PRUDENTIO DE SANDOVAL Episc. Pampelonae & LUDOVICO DE CABRERA DE CORDUA ex Hispanica Lingua in Latinam conversis excerpta.

Mediolani, 1715, 8.

Alph. 1.

PLuribus susceptis itineribus id egit Clariss. Adamus Ebertus, horum interpres, ut juxta variarum gentium arcanam historiam, earundem sibi linguarum cognitionem compararet, eo animo, ut dignis aliquando sua diligentia monumentis Orbi Erudito bene consuleret. Inde redux in patriam factus quinquaginta Relationes ex Parnasso publicavit, quibus arcana ministerii Comitis ac Ducis Olivarii, Richeliique & Mazarini Cardinalium, Clarendoniique Comitis & Greiffenfeldii, aliorumq; prodidit, quae partim ex ore Virorum fide dignorum, partim e schedis Ve-

netiis,

netiis, Romæ, atque alibi repertis acceperat, ſpe inſuper facta de edendis LXXXIV libris hiſtoriæ Europæ, ad pacem usque Noviomagenſem, Commentarioque in Annales Taciti. Hanc implere impeditus eſt ſuſcepto, juſſu ſuperiorum, docendi juris in patria Francofurtana Academia munere, quod ad ſublimiora tendentem continuit. Interim Grotii de Jure belli & pacis libros prælegit, atque Juris Naturæ, Gentium & Civilis præcepta tradidit, & fata regnorum Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, cunctique occidentis, expoſuit, collectis ex omnium gentium ſcriptoribus, Victore Siri imprimis, Sandovale & Cabrera, memorialibusque Franciæ, illuſtrium virorum exemplis, ex quibus Juris prudentiam ubique accuratam novam condidit, quam diſſertationibus, præcipuos regnorum eventus complectentibus, & ad dictam pacem illam Noviomagenſem continuatis, complexus eſt. Hinc Tacito manum admovens, ex illo Sciani Meſſalinæque, Octaviæ & Senecæ interitus cauſſas ſuppliciorumque genera elegit, quæ diſſertationibus itidem Gallorum, Hiſpanorum & Italorum ac commentariis collatis deſcripſit; & utroq; opere manu exarato Bibliothecam Brandenburgenſem locupletavit, in qua præterea adſervantur illa, quæ ex peregrinarum gentium linguis in Latinam pleraque converſa ſunt hiſtorica, integra nempe Sandovalis & Cabreræ Hiſpanorum opera, Herberti Comitis Angli vita Henrici VIII in vernaculam miſſa, nec non vita Ol. Cromvvelli a Th. Hobbeſio ſcripta, in Latinum, tum & Caroli I epiſtolæ ad conjugem, in Gallicum ſermonem transfuſæ. Poſt Antonii Geropoldi Trutinam Imperii Ottomannici, Italico idiomate ſcriptam, Latinam fecit, & Laurentii Gratiani opera ex Hiſpanico; quæ ſecutura promittit Zavaletæ & Antonii Perezii opera, & Cominæi Memorabilia, cum Vitriarii ſcholiis. Nec ita tamen captus eſt his amœnitatibus, ut quidquid arduum in Jure eſſet, non attingeret; imo in eadem Berolinenſi Bibliotheca recondita ſunt in Carpzovii JCti definitiones commentaria, in Brunnemanni & Gailii conſilia obſervationes, & in Mevii deciſiones. Ex tot Viri doctiſſimi lucubrationibus, Potentiſſimi Boruſſorum Regis, & ſummi aulæ Mareſchalli de Prinzen beneficio, eruditi orbis cenſuram nunc ſubit hoc interpretationum ſpecimen, ex Sandovalis & Cabreræ vaſtioribus voluminibus decerptum,

ptum, dignum ſane, quod Latinum prodiret, quo pluribus ejus legendi facultas eſſet. Id aſſerere non dubitamus, ſatis ad ingenium Hiſpanorum ſcriptorum verſionem exornaſſe Autorem; in dedicationibus vero ad tres in orbe Monarchas, Imperatorem, Regem Galliæ & Boruſſiæ directis ſe ipſum ſublimi dicendi genere ſuperaſſe. Ex ipſis autorum operibus, argumenti non minus gravitate quam jucunditate Lectori commendandis, quoniam nova non ſunt, nihil addimus.

JO. MATTHIÆ GESNERI, ANSPACENSIS, Inſtitutiones Rei Scholaſticæ; acceſſit Præfatio JO. FRANCISCI BUDDEI, Theol. D. & P. P. O.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielckium, 1715, 8.
Plag. 18.

HAud male de Republica merentur, qui, pro eo ac decet, Scholarum rationibus conſulunt, & literarum incrementa in illis bonarum mentium domiciliis re ac conſilio juvare nituntur. Quam laudem Celeb. Buddeus in Præfatione, quæ præfixa eſt huic libro, & de cauſis corruptæ rei Scholaſticæ agit, Cl. Autori noſtro attribuit, illumque hac in re abunde ſuo officio feciſſe ſatis, judicat. Ipſæ autem Inſtitutiones rei ſcholaſticæ ſex potiſſimum capitibus abſolvuntur, in quorum Procemio exploratio ſui ipſius non ſolum cuilibet, qui in Muſarum caſtris verſari cupit, ſed præcipue futuro doctori Scholaſtico commendatur, & damna, quæ ex illius neglectu propullulare ſolent, oſtenduntur. Duos vero in hoc explorandi negotio fugiendos Cl. Autor monet ſcopulos, nempe, tum nimiam audaciam & confidentiam, qua quis viribus ſuis tantum adſcribit, quantum alii, etiamſi & Argo ipſo fuerint oculatiores, in illo perſpicere nequeunt, tum nimium timorem, & meticuloſam diffidentiam, qua quis viribus ſuis diffiſus juſto abjectius de ſemet ipſo judicat. Hic ὡς ἐν παρόδῳ illorum recte errorem rejicit, qui Theologiæ ſolum ſtudioſos ad inſtituendam juventutem natos aptosque eſſe putant, ac reliquos bonos viros, ac ſi docendi dexteritate prorſus deſtituerentur,

rentur, e numero docentium excludunt. Capite I dotes, quibus a natura futurus Præceptor instructus esse debet, exponit, ubi & præter mentis idoneas facultates membra in corpore integra requiruntur, quoniam Præceptor insigni aliquo corporis vitio notatus perfacile in contemtum & ludibrium apud petulantem juventutem adduci queat. Hinc &, ne ex immoderata legendi scribendique cupidine & nimia animi perturbatione vegeto corpori vis inferatur, Ciceronis illud: Cura, ut valeas, omnibus literarum cultoribus sedulo commendat, vitia linguæ, & alia, quæ aut naturæ defectu imperfecta, aut consuetudine depravata, arte & industria corrigenda esse pluribus argumentis suadet. Utrum vero in eligendo Præceptore ad æqualem sanguinis & choleræ crasin seu temperamentum Sanguineo-Cholericum respiciendum, illis qui penitius artis hujus arcana inspexerunt, relinquimus examinandum. Cap. II Sect. 1 de Eruditione futuri Præceptoris agit, cui propter arctissimam disciplinarum connexionem Polymathia commendatur, & postquam aliqua contra illos, qui veteres tantum autores in scholis legi volunt, & contra horum adversarios, quibus recentiores modo placent, disputata fuerunt, media Autor via procedit, & veteres propter stylum, recentiores propter Philosophiæ & morum cognitionem in scholis cum fructu retineri contendit. Sect. 2 de linguis in genere, tanquam instrumentis scientiarum, quibus doctus hoc seculo carere nequit, inscribitur, ubi & docentibus & discentibus regulæ quædam generaliores suppeditantur, quæ in addiscendis linguis suam omnino utilitatem exercere possunt. Sect. 3 ad linguam Latinam procedit, necessitatem ejus monstrat, cujus & ubi initia & progressus explicuit, initium lectionis a Parente Latinitatis faciendum suadet, ita tamen, ut ne reliqui postmodo negligantur, qui quo ordine, quave methodo legendi, pluribus explicat, inprimis autem futuro Præceptori M. Fabii Quintiliani lectionem assiduam commendat, quoniam vix ullum putat esse e veteribus, e quo plus vel doctrinæ, vel sapientiæ possit hauriri. Post prima institutionis rudimenta morem illorum improbat, qui statim e vernacula quædam in Latinum sermonem transferenda proponunt, quia

quia inde orationi tironum hoc imineret periculi, ut cum initio tota a genio Latinitatis abhorreat, imo & soloecismis & barbarismis plane scateat, difficulter postea ad rectiorem faciem reducatur. Sect. 4 eadem fere ratione de lingua Græca recte addiscenda præcepta tradit, id quod Sect. 5 de linguis orientalibus & inprimis Hebræa agere instituit. Sect. 6 ex linguis Europæorum hodiernis præcipue Gallicam, Anglicam, Belgicam, Hispanicam & Italicam propter egregia inventa, quæ illis linguis in publicum eduntur, addiscendam suadet. Sect. 7 de arte Oratoria, Sect. 8 de Poesi agit, cujus duæ partes, sublimitas cogitationum, & leges metri constituuntur, ubi data occasione Anagrammata, Chronosticha, Acrosticha aliæque hujus furfuris nugæ ingeniis relinquuntur, qui otio & patientia abundant. Sect. 9 ad antiquitatum studium hortatur, quarum potiores fontes indicantur, & regulæ quædam, quibus in eruendis illis uti debemus, adducuntur. Sect. 10 de Historia, & quæ ad illam referuntur, sc. Geographia, Chronologia &c. agit: Historiæ necessitas, & in suas species partitio, una cum regulis in ipsa historia legenda tenendis, affertur. Sect. 11 de studio Mathematico, disciplinarum Mathematicarum antiquitate, & aucto subinde earum numero tractat, utilitatem ejus adstruit, & quantum futurus Præceptor ex disciplinis Matheseos tenere debeat, exponit. Sect. 12 Philosophiæ, reliquarumq; disciplinarum tractationem, in scholis, uti vocantur, inferioribus, non absolute necessariam esse, existimat, Præceptorem tamen, qui ordine & ratione alios docere, ac aliorum vitam fingere debet, illis neutiquam carere posse affirmat. C. III in mores, quibus Præceptor præditus esse debet, inquirit, vitia, quibus in scholis degentes fere obnoxii sunt, indicat, sumta inde occasione de libris obscœnis, castratis, centonibus, Christianis agit, & ultimo loco de Decoro Præceptoris ratione sermonis, gestus, vestitus observando quædam annectit. C. IV, postquam de illis rebus, quibus Scholasticus doctor instructus, esse debet, dixit, jam quomodo in ipsa institutione versandum, docet, & regulas instituendi generales suppeditat, ubi primo loco ponit, quæ ad ingeniorum explorationem pertinent, mox de

 ordine

ordine discendi atque docendi disserit, tum distinctas Præceptorum & discipulorum provincias ostendit, & denique de pœnis scholasticis, erga quos, quando, & quomodo illis utendum, inculcat. C. V agit de publicæ & privatæ institutionis differentia, commoda & incommoda, quæ utramque comitantur, enarrat, utra vero alteri sit præferenda, difficile dictu esse arbitratur; quod si tamen Præceptor, qualem ante descripsit, inveniri possit, privatam institutionem publicæ anteponere non dubitat. C. VI, quomodo Princeps instituendus sit, docet, ubi omnia ex scopo Principis derivantur, ejusque propterea institutio ita attemperatur, ut Principis populique salus ubique obtineri possit, quod quomodo commode fiat, Autor integro capite demonstrat.

AUGUSTINI GRISCHOW, AMPLISS. SENAT. Phil. in Acad. Jen. Adjuncti, Indroductio in Philologiam Generalem una cum succincta & selecta Bibliotheca Scriptorum Philologiæ Generalis & Specialis; accedit Protheoria JO. FRANC. BUDDEI, Th. D. & P. P. O.

Jenæ, apud Ern. Claud. Bailliar, 1715, 8.
Alph. 1 plag. 8.

QUantum ex ipsa hujus libri Præfatione apparet, scopus Cl. Autoris fuit, ut methodicam & systematicam tractationem omnium, quæ mens humana circa orationem generatim, citra respectum certi cujusdam idiomatis spectatam, meditari & philosophari potest, concinnaret. Cujus instituti Celeb. Buddeus in Protheoria libro huic præfixa triplicem usum demonstrat. Primo, quod hoc pacto utilia ab inutilibus accuratius discernantur, deinde homines & eleganter loqui & recte cogitare discant, & tandem causæ linguarum melius eruantur, illarumque præceptiones rite formentur. Quod autem ad ipsius libri tractationem attinet, omnia, quæ in illo continentur, ad tres potissimum classes commode revocari posse videntur. Nempe prima classis primarium libri scopum respicit, & Philologiæ cujusdam generalis designationem tradit. Altera subsidia literaria, quæ primario scopo inservire possunt, adducit, & tertia demum varias

rias meditationes miſcellaneas, quæ rem clarius illuſtrant,& Autori Scholiorum nomine veniunt, ſuppeditat. Longum nimis & a more noſtro prorſus alienum foret, ſi forte ſingula, quæ in unaquaque claſſe occurrunt, copioſius excerpere vellemus. Ut tamen nonnihil de Autoris conatu legentibus conſtet, pauca tantum & præcipua delibabimus. Nimirum Cap. I generalem Philoſophiæ conceptum format, qui redit ad habitum mentis accuratius ſcrutandi res omnes, earum proprietates, principia, cauſas, effectus, & habitudinem variam ac conditionem, tum quæ in rebus actu deprehenditur, tum quæ ſub variis eventibus, rerum variarum concurſu, tentaminibus, & caſibus naturalibus, artificialibus, moralibus per humanam vitam uſu venire poſſunt, tum etiam quotiescunque in inventis ingenio, arte, & cultura aliquid perficere ſtudemus. Hic oſtendit, philologiam etiam partem quandam philoſophiæ conſtituere, cum non adeo pauca circa ſermonem philoſophemata, quæ ſcitu digna, utilia & neceſſaria ſint, occurrant. Ex Philoſophorum autem & eruditorum numero illos excludit, & Linguiſtas vocat, qui memoriæ auxilio unius pluriumque linguarum cognitionem ſibi comparaverunt, voces phraſesque addidieerunt, neq; tamen illarum vim atque naturam cognitam ſibi reddiderunt & perſpectam. Cap. II Bibliothecam, uti vocat, Selectam aperit, ubi tum Scriptores Philologiæ Generalis, qui de Linguarum hiſtoria, illarum harmonia & cognatione, efformatione ſermonis mechanica, illius natura & indole egerunt, recenſentur, tum & qui artis Criticæ præcepta, Grammaticas Philoſophicas, Hermenevticam Philoſophicam, Juridicam, Theologicam, & alia conſcripſerunt, enarrantur. Cap. III partes machinæ locutoriæ, modumque formandi ſonum explicat, ſimulque adjicit expoſitionem efformationis quinque vocalium ſimplicium A. E. I. O. U. ex quibus ſecundum diverſimodam ſonorum modificcationem, pro diverſitate applicationis labiorum, linguæ, dentium &c. decem conſonantes formaliter inter ſe differentes deducuntur. Inter Scholia notabiliora, quæ inſerta ſunt huic capiti, inprimis habetur §. 31, ubi philoſophiæ mechanicæ ratio exponitur, & adductis ſimul ejus cultoribus, fatis, Scriptoribus, ex ſtructura vari-

arum corporis humani partium Dei existentia demonstratur; & contra illos qui hanc philosophiam ad Spinozismum viam sternere existimant, disputatur. §. 35 lepida Jo. Petri Erici Prof. Patavini sententia recensetur, utpote qui Adamum in Ὀνοματοθεσίᾳ animalium ex cantu avium vocales, ex voce terrestrium animalium consonantes, ex aquatilium mutas, denique ex brutorum rugitu & grunnitu reliqua linguæ elementa desumsisse arbitratus est. §. 38 n. 3 conjectura de lingua primigenia initio tantum ex XV literis simplicibus composita proponitur. Cap. IV originem sermonis oralis & scripti primam a Deo derivat: sequuntur deinde varia de oratione ac scriptura primigenia & universali, de ejusdem, quæ sensim subsecuta est, immutatione, de repentina γλωττοσυγχύσει Babelica, de tachygraphia, steganographia, decifratoria, illarumque indole & usu. Ex scholiis ad §. 46 de Charactere Noetico, Semiologia, seu variis loquendi generibus, e. g. oculiloquio, maniloquio, quædam disserit; ad §. 54 n. 3 examen exegeticum verborum Gen. XI, 1 ff. instituitur, & illorum sententia, qui hoc dictum de animorum consiliorumque consensu turbato & confuso exponunt, ex verborum proprietate rejicitur. Cap. V fundamentum sermonis sistit, quod saniores mentis cogitationes, ac appetitus purior constituere dicitur. Hinc agitur etiam de proprii sermonis varietate pro diversitate operationum mentis, nec non improprii, uti vocatur, scilicet tropici, allegorici, mystici, parabolici, apologici, mythici, ænigmatici, emblematici, symbolici, parœmialis, schematici; porro de sermonis diversitate, qui ex voluntatis, propensionum & affectuum indole multum trahere solet: propterea explicatur, quid sit, & quomodo differat sermo apertus, nudus, simplex, serius, sincerus, familiaris, comis, complimentosus, amatorius, jocosus, mimicus, sententiosus, apophthegmaticus, argutus, aculeatus, satyricus, diffamatorius, & quæ sunt alia, quæ subtilius cogitata reperiuntur. Scholion ad §. 57 n. 3 autores, qui de sermone brutorum scripserunt, recenset; ad §. 65 amplissimum

mum Scholion de Stilo Christi Parabolico adjicitur, & loca simul Matth. XIII, Marc. IV & Luc. VIII explicantur. Ad §. 78 de illustribus Societatibus, quæ sermonis culturam perficere studuerunt, agitur, illarumque præcipuæ enumerantur. Caput VI illa præcipue complectitur, quæ in institutionibus stili alias tradi solent, virtutes & vitia sermonis inter alia Autor examinat, in subjectis vero Scholiis brevem & succinctam linguarum historiam exhibet, & de diversitate stili quædam inspergit. Cap. VII sermonem moraliter considerat, & tum indolem characteristicam sermonis ambitiosorum, voluptuosorum, & illorum qui emendatioribus mentis viribus gaudent, tum officia sermonis erga Deum, res divinas, semet ipsum, & alios homines, tum regulas prudentiæ & decori circa sermonem observandas inculcat.

LACONISMUS PHILOLOGICUS DE GENUino fontis Oderæ loco situque, CAROLI FERDINANDI de SCHERTZ, ceu fluminis accolæ.

Wratislaviæ, typis hæredum Baumannianis, 1715, 8.
Plag. 2 cum dimid.

QUum circa genuinum Oderæ fluvii ortum labi Viros eruditos videret Vir Excellentissimus, C. F. de Schertz, Dominus in Spanau, Eylau, Deschna & Shladezko, Illustrissimo Cardinali Schrotenbachio & Episcopo Olomucensi a Justitiæ Consiliis, Vir promovendæ rei literariæ apprime studiosus, ipse tanquam fluminis accola errorem hunc ex animis ipsorum evellere, præsenti opusculo voluit. Oderam ergo a Slavico vocabulo *Odere* vel *Odrazyti* nomen habere dicit, quod est *detrahere, avellere, spoliare*, quia multum terræ rapacitate sua solet abripere. Falsæ deinde Helmoldi, Dubravii, Comenii, Casp. Schneideri, Becmanni & aliorum sententiæ adducuntur, quibus vera opponitur ab Autore, oculato teste, profecta. Nimirum juxta Olomucium, Moraviæ metropolim, sita est orientem versus villa *Haslich*, a corylorum ibi succrescentium copia nomen sortita, cui prope adjacet mons suillus, Sauberg, ab aprorum venatu non infrequenti sic

Pag. 5. 7, 8. 10, 11.

sic vocatus. In ejus montis apice & fere meditullio inter obumbrantes fagos prosilit Odera, ex humo uvida, non lapide, proveniens, primo exiguus, post ad rivi magnitudinem perveniens, & sic porro magis ac magis excrescens. Opellæ huic adjecta sunt Carmina quædam cabbalistica, chronosticha, & alia ejus generis, nec non Corollaria quædam Juridica de jure fluminum, & Oderæ cumprimis, agentia.

Historische Beschreibung gelehrter Leute, welche zu Nordhausen gebohren.

h. e.

NORDHUSA ILLUSTRIS, SIVE VITÆ Clarorum Virorum Nordhusa urbe Imp. oriundorum; Autore M. JO. HENR. KINDERVATER, Kelbrano, Ecclesiæ S. Blasii Nordhusæ Pastore.

Guelferbyti, apud Godofr. Freytag, 1715, 8.

Alph. 1 pl. 7.

LIber iste ordine alphabetico concinnatus & in quatuor classes divisus, vitas continet Virorum centum sexaginta quinque, quos Nordhusa in lucem edidit. Præcipui ex ipsis sunt Jo. Gigas, Petrus Mullerus, JCtus Jenensis, Sigfridus Saccus, Justus Jonas, Joannes, pater, Cyriacus cum fratribus, Spangenbergii, filii, Conr. Frommannus, G. G. Titius, alii. Reliqui magnum quidem in orbe literario nomen consecuti non sunt, quum tamen meritis suis Ecclesiæ pariter & Reipubl. profuerint, justum est illorum quoque apud posteros memoriam conservari. Inseruit Autor Reverendus epistolas quasdam Lutheri, Melanchthonis, Gigantis, & aliorum partim ineditas, & Syllabum quoque Rectorum, qui in schola Nordhusana bonas literas docuerunt. Præfationem præmisit Vir Summe Reverendus Georg. Serpilius, Superintendens Ratisponensis, in qua nomina & vitas Ministrorum Ecclesiæ Ratisponensis inde a Reformationis tempore ministerio suo functorum succincte recenset.

Supplement. Tomi VI Sectio V proxime prodibit.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno MDCCXV.

HISTOIRE DES ORDRES MONASTIQUES.

i. e.

HISTORIA ORDINUM MONASTICORUM Religiosorum & Militarium, item Congregationum Secularium utriusque sexus.

Tomi II.

Parisiis, apud Jo. Baptistam Coignard, 1714, 4.
Alph. 5 pl. 12 & Tab. æn. 221.

NOn pauci quidem sunt, qui de historia Ordinum Religiosorum quædam scriptis mandarunt, sed nullius opera comparari satis potest illi, quæ in novi hujus operis historia Ordinum Ecclesiasticorum fuit adhibita. Quidam, ut *Middendorpius* in historia Monastica Coloniæ 1693, 8 vulgata, non nisi disciplinam & regulas monachorum descripserunt, pauca de origine attingentes. Alii, in quorum numero sunt *Paulus Morigia, Silvester Maruli, Petrus Crescentius*, Itali, *Aubertus* etiam *Miræus* in *Originibus Monasticis*, non solum prætermiserunt haud pauca, sed etiam de sola ordinum fundatione fuerunt solliciti, ac nihil de vitis illorum, qui eos instituerunt, tradiderunt. Copiosiores fuerunt *Annibal Canale* & *Ludovicus Beurier*, quibus, sicut in Præfatione Autor contendit, id constitutum fuit, ut pietatem atque sanctitatem illorum, qui ordines religiosos instituerint, omnibus ante oculos ponant & alios ad eorum imitationem invitent. Hæreticis vero, eodem judice, propositum fuit in monachos invehere convitiisque eos-

eosdem afficere, cujus criminis inprimis *Hospinianum* accusat, profitetur tamen, se nolle hæc generatim intelligi, quum alios in exponendis Monachorum rebus gestis magna fide nec sine laude versatos esse concedat, quo nomine imprimis *Marshamius*, *Dodwold*, (rectius forte *Dodsworth*,) *Dugdale* & *Leibnitius* commendantur. Hos sequi debuisset, ut Noster judicat, *Schonebeckius*, qui in *Historia Ordinum sacrorum* (vid. A. E. Suppl. T. II p. 103) ab Hospiniano aliisque nulla fide dignis scriptoribus deceptus, quam sæpissime peccavit, quod nonnullis exemplis ab Autore probatur. Idem Philippo *Bonannio* accidit, qui Schonebeckium non solum nimis incautus secutus fuit, sed ex suo etiam ingenio errores auxit, vid. Suppl. Tom. VI Sect. 5 p. 235. Quum itaque Autor noster multa adhuc in monasticæ historiæ rebus deesse videret, ipse arduum hoc opus aggressus fuit, & quamvis nomen suum non prodiderit, nec id in Diario Parisiensi sit publicatum, constat tamen R. P. *Helyot* Autorem illius esse, qui opere hoc omnia persequi voluit, quæ ad monasticæ historiæ studium facere videbantur, vestitus etiam monachorum ea, qua potuit fieri industria, designari curavit. Sex Partibus illud absolvetur, quarum prima Monachos Orientis & qui ex his regionibus originem traxerunt, describit. Secunda Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini persequitur. Tertia explicabuntur ii, qui ejusdem Patris regulam fuere sequuti. Quarta Pars nominabit Ordines tam ecclesiasticos, quam militares, qui S. Benedictum autorem venerantur. Quinta complectetur ordines, qui professionem S. Francisci adsumserunt, item, qui particularibus regulis utuntur. Sexta omnes comprehendet tam Seculares, quam Militares, quorum mentio antea injecta non fuit. Affirmat tamen R. Autor, quod de excellentia & prærogativa Ordinum inter se, quæ controversiæ ab aliquot seculis magnos motus excitarint, dijudicare nolit; interim perstringit eos, qui suorum ordinum origines ab antiquissimis temporibus derivarunt. Præfationi adjectus est Catalogus omnium autorum, qui de rebus monasticis aliquid memoriæ prodiderunt, quod institutum summa laude dignum est.

Sequitur jam dissertatio *præliminaris* viam pandens integro

gro

gro operi, qua R. P. *Helyot* de origine & antiquitatibus vitæ mo-
nasticæ agit. §. I contendit, *Therapeutas*, quorum Philo de *Vita* Pag. 2.
Contemplativa mentionem injicit, autores fuisse vitæ monasticæ.
Qua in re dissentientem invenit Virum doctissimum, *Bernardum*
de Montfaucon, qui in eruditis observationibus, quas Gallicæ suæ
versioni libri illius adjecit, contrarium probat, illa præcipue ra- 4.
tione inductus, quod feminarum societate libere usi fuerint; in-
terim illos Christianos fuisse, putavit: cui Anonymus quidam
se opposuit, & utrumque ideo negavit, quod non probabile sit,
Philonem acerrimum Judæorum fidei defensorem, Christiano-
rum societatem laudavisse. Sed respondit ad hoc dubium Mont-
fauconius, Christianos judaizantes, quales Therapeutæ fuisse di-
cuntur, eo tempore adhuc pro Judæis habitos fuisse, quæ porro
controversia scriptis nonnullis agitata fuit. §. II probare anni- 10.
titur, primis statim Christianæ ecclesiæ temporibus fuisse quos-
dam, qui vitam quandam solitariam monasticæ similem egerint,
& sub *Asceticorum* nomine latuerint, unde perpetuam quandam
successionem monachorum aut Eremitarum probari credit,
quam a S. Marci usque ad S. Antonii tempora, ne quidem per 22.
crudelissimas Christianorum persecutiones interruptam fuisse,
§. III contendit, & contra secus sentientem Thomassinum, qui 25.
Monachorum ordines multo recentiores esse putat, §. IV de-
fendit. §. V in duas classes Monachos distinguit, quarum una
Cœnobia inhabitat, altera in loca deserta secedit, quibus alias 30.
divisiones addit, monstratque, *Cœnobitas*, qui sub Regula vel Ab-
bate vivunt, alios multum antecellere. Horum Patrem vel pri- 36.
mum Autorem §. VI nominat S. Antonium, quem alii cum Til-
lemontio illum Eremitarum Autorem vocant, Cœnobitarum
Patrem S. *Pachomium* prædicantes, quorum argumentis Noster 39.
§. VII respondet. §. VIII probat, S. *Syncleticam* Monialium 48.
Conventus primam instituisse, cujus vita separatim conscripta
extat, & S. Athanasio a Viris doctissimis tribuitur, quibus R. P.
Helyot adsentitur; alii dissentiunt, quorum rationes Noster ex-
pendit. §. IX describit, quam altas radices vita Monastica tam in 52.
Oriente quam Occidente egerit. §. X probare conatur, Mona- 58.
chos eandem vitæ & morum integritatem conservasse, qua pri-

Pag. 65. mis Christianæ Ecclesiæ temporibus fuerunt, & §. XI hanc dis-
sertationem concludit, quædam insuper de regimine ordinum
Religiosorum monens.
68. Cap. I de Vita S. Pauli agit, quem primum Eremitam fuisse
credunt, sed Noster alios jam antea nominavit, qui solitariam vi-
tam exercuerunt; & hac occasione primorum Eremitarum ve-
74. 80. stitum explicat. Cap. II S. Antonii vita sequitur, scripta etiam,
quæ sub ejus nomine circumferuntur, nominantur, quem A. 305
Cœnobia instituisse & Monachorum, qui ea inhabitant, autorem
fuisse ferunt. Hanc S. Syncleticæ vitæ descriptio C. III exci-
81. pit, quæ Moniales instituisse dicitur. *Maronitæ* C. IV descri-
buntur, qui S. Antonii regulam professi a S. *Marone* dicti fue-
runt & Latinæ Ecclesiæ fidem A. 1182 amplexi sunt. Horum
Monasteria, item vita severior, describuntur, variique ritus, quos
observant, explicantur. Eadem methodo S. R. Autor de Mo-
nachis *Armeniensibus* p. 95, *Nestorianis* p. 106, *Jacobitis* p. 109,
Coptis vel *Ægyptiacis*, horum monasteriis principalibus ritibus-
que variis, p. 114, 122 & 129, *Abyssinis* vel *Æthiopicis* p. 133 & 144
147. agit, probatque, non extare ullum ordinem Militarem S. Antonii
in *Æthiopia*, qualem ex recentioribus non pauci finxerunt. S.
154. *Pachomius* Congregationes religiosas ordinasse multaq; in vita
monastica a S. Antonio instituta mutasse dicitur, cujus vita c.
XIV exponitur: & notatu digna sunt, quæ c. XVII de fatis & vita
169. *S. Basilii Magni* Archi-Episcopi Cæsareensis & omnium Orien-
tis Monachorum Patriarchæ ejusdemque institutione novi ordi-
206. nis religiosi afferuntur. Sequuntur reliqui Monachi, qui un-
quam in Oriente exstiterunt, etiam illi, qui in Russia regulam S.
214. Basilii secuti fuerunt, qui Italiam & Hispaniam adierunt; Mo-
231. niales quoque describuntur, qui tam in Oriente quam Occidente
249. eandem regulam professi sunt. Cap. XXXI Ordo equestris, quem
Constantini vocant, exhibetur, quem a Constantino M. insti-
tutum fuisse, recte Autor noster negat, & *Papebrochii* verbis u-
titur: *fallunt aut volentes falluntur, adulatorio studio placendi
abrepti, quicunque militarium Religionum principia ante secu-
lum duodecimum requirunt.* Ordinibus, qui S. Basilii Regulam
in Oriente secuti fuerunt, *Equites Hospitalenses Ordinis S. La-*

zari

zari Hierosolymitani annumerantur, cujus ordinis historiam Noster exponit; & a Cap. XL usque ad finem hujus Tomi de *Carmelitis* agit. Controversiam imprimis recenset, quæ superiori anno inter Actorum Sanctorum auctores, imprimis vero doctissimum Papebrochium atque Carmelitas acerrime ventilata fuit, quum Papebrochius negasset, S. Eliam ordinem illum instituisse, cui varia scripta opposuerunt Carmelitæ, atque ex *S. Scriptura*, *Summorum Pontificum*, *Sanctorum Patrum*, *Geographorum & Doctorum tam antiquorum*, *quam recentiorum auctoritatibus*, *traditionibus & rationibus* ostendere voluerunt, primum sui ordinis autorem utique Eliam fuisse, quæ controversia a Summo Pontifice Innocentio XII die XX Novembr. 1698 sopita fuit, qui silentium disputantibus imposuit, cui Decreto & ipse R. P. *Helyot* refragari noluit. Id tantum monet, in Decreto quodam, quod pro sua sententia adducunt Carmelitanorum defensores, in quo *Eliæ* & *Elisæi* mentio injicitur, *Enochum* quoque nominari; ut adeo inde a temporibus ante-diluvianis Ordinis sui historiam repetere valeant. Sed quum a prima statim ordinis sui origine tria vota essentialia eos præstitisse, statuant, probatio successionis perpetuæ hujus Ordinis difficillima videtur Autori nostro, quum Scriptura nihil de Carmelitis memoriæ prodiderit, qui arcam Noæ intrarunt, neque fieri potuerit, ut quidam ex filiis Noæ, qui omnes uxores habuerunt, liberosque reliquerunt, ordinem illum amplexus fuerit.

Pag. 257. 282. 299. 307.

T. II de Canonicis Regularibus inprimis agit, qui Augustini Regulam profitentur: Equestres etiam ordines tangit, quibus cum his quædam intercedit affinitas. Cap. I S. Augustini Vita comparet, in qua delineanda se inprimis RR. PP. Benedictinos societatis S. Mauri in editione operum Augustini secutum fuisse profitetur R. Autor. Duo monasteria fundavit Augustinus, ex quibus non pauci prodierunt ejus discipuli, qui aliis in locis monasticam vitam introduxerunt, ut proinde autor & institutor monachorum in Africa recte dicatur. Meminit etiam controversiæ in Italia motæ ex eo, quod d. 1 Octob. 1695 corpus quoddam inventum fuisset cum inscriptione *Agostino*, unde multi crediderunt id S. Augustini corpus fuisse, quam sententiam peculia-

2. 10.

ri scripto P. *Baudinus* defendit, cui titulus est: *Tumulus S. P. Augustini magni Ecclesiæ Magistri ac Augustini Ticinii Regii protectoris Dissertatione Historico-Canonica inlustratus.* Canoni-
Pag. 12. corum Regularium origo C. II exponitur, quam ipsis Apostolis tribuunt. . Rev. Autor post Thomassinum illorum autorem fa-
18. cit S. Augustinum rationesque exponit, quibus iidem innituntur, quum de præcedentia cum aliis ordinibus religiosis controvertunt, & veterem eorum vestitum accurate describit. Sequuntur variæ Canonicorum Regularium divisiones ordinesque, qui S. Augustini Regulæ adhærent, tum nonnullorum sanctorum piorumque Virorum, e.g. Bartholomæi Columnæ p. 27, Chrodegani Episcopi Metensis p. 63, S. Auberti Cameracensis p. 76, Beati Yvonis Episcopi Carnutensis p. 100, Norberti Archi-Episcopi Magdeburgensis p. 164, vitæ describuntur, quibus singulis inhærere ab instituto nostro alienum foret.

D. SALOMONIS DEYLINGII OBSERVATIONUM Sacrarum Pars Tertia. Appendicis vice accedit Dissertationum Academicarum Trias, cum figuris æneis & indicibus necessariis.

Lipsiæ, sumptibus heredum Frid. Lanckischii, 1715, 4.
Alph. 2 plag. 21 Tab. æn. 6.

PRimum & Secundum harum Observationum Librum recensuimus in his Actis A. 1709 mense Febr. p. 55, & 1711 p. 405. Nunc tertium atque ultimun exhibemus Volumen, in quo conficiendo S. R. Autor, Collega noster perindustrius, pristinum servavit institutum. Multa Scripturæ loca, quæ interpretes exercuere, enodavit. Plurima more suo ex erudita Græcæ Romanæque gentis historia illustravit, vocatis in subsidium antiquitatum monumentis, marmoribus atque numis. Ita verba Genes. III, 8 קול יהוה אלהים מתהלך בגן exponit de sonitu DEI, ambulante in horto, h. e. de tempestate horribili, & de tonitru fulgurante, & observat, solemne DEO subinde fuisse, inusitato quodam aeris motu præsentiam & adventum suum significare. Quod exemplis ex sacra historia petitis confirmatur, notaturque, harum rerum famam ad ipsos etiam gentiles dimanasse, qui Numinum

minum præſentiam & apparitionem non ſine ingenti aliqua locorum prævia agitatione fieri dixerunt. Cap. 2 diſputat de loco vexato Geneſ. IV, 7, quem rejecta *Lightfooti, Jo. Clerici, & Jo. Marckii* interpretatione, ita explicandum cenſet: *Nonne ſi bene facis*, h. e. ſi pœnitentia acta in ſemen mulieris credis, & fide ſacrificium atque munus tuum offers, ſanctèque vivis, eſt *tibi elevatio* faciei, læta, hilaris & bona conſcientia, fiduciaque, ita ut *non concidat facies tua*, ob conſcientiam ſcelerum: nonne autem, *ſi male agis*, impie vivis & animo, vera fide in ſemen mulieris deſtituto, more hypocritarum offers, *peccatum*, & quod ei conſequens eſt, peccati pœna cum tormentis conſcientiæ, *ad fores cubat*, tanquam bellua, aut canis ferox, inſidias tibi ſtruens, teque dilaniaturus, *cujus appetitus, & incurſitatio eſt in te, ſed tu dominaberis illi.* Cap. III urbem Hanoch Gen. IV, 17 a Kaine ædificatam in illa hominum paucitate nil aliud fuiſſe docet, quam tenuem caſarum collectionem, quæ lapſu demum temporis in urbis magnitudinem excreverit. Cap. IV in Babelis origines inquirit ad Geneſ. XI, 9, & confuſionem linguæ, & quinam ædificatores turris, quale eorum conſilium, eventusque fuerit, examinatis doctiſſimorum Virorum conjecturis, ac *Jac. Perizonii* V. C. opinione, ex Moſis hiſtoria explicat, ratus, duplicem exſtruendæ urbis & turris rationem reddi Pſ. 4: primo conditores gloriæ cupiditate & ſeparationis metu conſpirantes, tali monumento nominis ſui gloriam voluiſſe ad poſteros propagare: deinde etiam ſui cœtus diſperſionem impedire. Hæc duo ſpectantes dixiſſe: *Ædificemus nobis urbem & turrim, UT faciamus nobis nomen, ET ne diſpergamur in ſuperficiem omnis terræ.* Deſcribens tranſitum Iſraelitarum per mare Idumæum Cap. V, vindicat fidem miraculi, a Moſe deſcripti Exod. XIV, 21, contra irriſores, alioſque diſſentientes, & rationibus ex doctrina temporum & ſiderali ſcientia petitis, oſtendit, illam trajectionem ordinaria maris detumeſcentia fieri nequaquam potuiſſe. Cap. VI aquas amaras, ligni injectione a Moſe mitigatas Exod. XV, 22, conſiderat, diſſeritque de aquæ Niliacæ dulcedine, & ligni in aquas amaras injecti virtute, quam naturalem fuiſſe negat. Cap. VII deſcripta mannæ hiſtoria, vaſculum aureum, quo

manna

manna adſervabatur, ex numis Hebræis repræſentat, & in originem fabulæ de capite aſini, in adyto Templi Hieroſolymitani dedicato, inquirit. Cap. VIII ad Exod. XXXIV, 30,35. vultum Moſis radiantem & cornua capiti Moſaico in numis adjecta contemplatur, radiosque illos, non de rubore & calore vultus, quod Cl. *Hardtio* viſum eſt, ſed de ſplendore eximio cœleſtique exponendos eſſe docet. Cap. IX de aqua expiatoria, cineribus vaccæ rufæ mixta, agens, plurima N.T. loca illuſtrat, docens, peccatores dici *νεκροὺς* Eph. II,1,5 & Coloſſ. II, 13, atque peccata *νεκρὰ ἔργα* Ebr. IX, 14, ad indicandam deteſtabilem eorum fœditatem, & inquinamentum, quale cadaverum apud Judæos erat. Cap. X multis argumentis contra *Jo. Marckium*, aliosque evincit, Balaamum, divino afflatu vaticinatum, veri nominis vatem, ſed hominem avarum & flagitioſum fuiſſe. In loco vexato Gen. XLIV, 5, quem multi de *κυλικομαντείᾳ* & vaticinatione ex ſcypho perperam expoſuerunt, duplicem interrogationem eſſe obſervat (1) nonne hic ſcyphus eſt, ex quo bibit herus meus? (2) & nonne hic ſcyphus a vobis furtim ſurreptus & apud vos inventus eſt, quo נחש ינחש obſervando obſervat, & evidenti indicio cognoſcit & experitur herus meus, ſcilicet כי אתם תנבתם התביע *quod vos furati eſtis poculum*, notante *Jarchio* ad h. l. & quod vos eſtis fures ac homines peſſimæ notæ. Cap. XIII verba Hiobi III, 5, כמרירי יום *atratores diei* explicat de Mathematicis, qui dies quosdam ad negotia auſpicanda inidoneos, & ad res gerendas cavendos, notarint, eosque veluti atros atque infauſtos damnarint. Cap. XIV Meſſiæ divinitatem & victoriam Pſalmo CX decantatam a nuperi Critici detorſionibus vindicat. Cap. XIIX cladem atque vaſtationem Ægyptiis denunciatam Jer. XLII, Ezech. XXIX deſcribit, & vates Hebræos cum ſcriptoribus Græcis, qui prorſus diſſentire videntur, conciliat. Cap. XIX rationem reddit, cur quatuor duntaxat Perſiæ Reges ab Angelo Dan. XI, 2 memorentur, refellitque *Jo. Clericum*, qui locum in mendo cubare ſuſpicatur. Nam non dici, tres tantum Perſiæ Reges in univerſum adhuc futuros eſſe, ſed tres adhuc fore עומדים ſtantes, potentes, ac robore præſtantes. Cap. XXIII perilluſtre oraculum Chri-

ſti

sto adserit Malach. IV, 2 & ex Theologia gentilium declarat, quare Sol Psalm. XIX, 6 instar herois viam currere dicatur, quoniam videlicet in sacris Mithriacis Mitra, sive Sol miles vocabatur & habitu militis effingebatur, perinde ac Mars armorum Deus, qui idem fuit cum Sole, si Macrobio & Juliano fides. Cap. XXV occasione loci 1 Marc. XV, 6 rem numariam veterum Hebræorum examinat, rejectisque numis, qui literis quadratis insigniti sunt, ostendit, Hebræos ante Hasmonæorum tempora argentum non signasse, sed Simeonem Ethnarcham primum, impetrata a Syriæ Regibus venia, procudisse numos, quorum nonnulli hodienum prostant, & ab Autore nostro in Tabula exhibentur atque explicantur, tanquam genuini, quod contra V. C. *Jac. Basnagium* tuetur, qui negavit, inter Samariticos numos, vulgo ita dictos, genuinos reperiri. Ubi simul evincere conatur, istorum numorum literas non esse Samaritanas, ut vulgo credatur, sed Hebræas, & Judæis Hasmonæorum tempore usitatas. Numos enim illos non a Samaritanis cusos esse, sed a Judæis, veri autem nequaquam simile esse, Judæos literis Samaritanis in publicis ejusmodi monumentis usos, propter acerrimum odium publice privatimque proditum contra Samaritas. Joannem quippe affirmare Cap. IV, 9, Judæos ὀ συγχρᾶσθαι τοῖς Σαμαρείταις, nihil cum Samaritis commune habere, quod de literarum & linguæ communione æque intelligendum putat, ac de communione sacrorum, matrimonii, convictus, civitatis, aliarumque rerum. Tandem receptam de literarum Assyriacarum seu quadratarum divinitate & ultima antiquitate sententiam, internumque valorem modeste examinat, & in dubium vocat. Cap. XXVI de Joannis Baptistæ natalibus, educatione, victu, moribus, munere, ac supplicio, ejusque loco atque caussa eleganter disquirit ad Matth. III, 4 & XIV, 12, & *Bern. Lamy* opinionem de duplici præconis captivitate refellit. Cap. XXIX indagat, quale tempus per καιρὸν σύκιον Marci XI, 13 intelligendum sit? Ubi examinatis doctissimorum Virorum sententiis docet, æstivam anni tempestatem notari, qua ficus in Palæstina maturescere & colligi solebant. Hoc ficuum colligendarum tempus, in mensem *Sivan* incidens, in Mischnico

Tractatu *Nedarim* Cap. VIII § IV dici קיץ *æstatem.* Ad quem Mischnæ textum *Maimonides* adnotarit, קיץ quidem notare æstatem, sæpe tamen apud vulgus tempus notare, quo ficus essent maturæ & comedi possent. In codice בכורים de *Primitivis Fructibus* Cap. III sub initium statim, ficus, uvas, & malogranata conjungi dicique simul atque eodem tempore protrusisse fructus primitivos. Colonos ficus virides simul cum uvis recentibus, aliisque fructibus primitivis, quotannis Hierosolymam attulisse, in eodem codicis Mischnici capite §. III tradi. Inde colligit Autor, ficus in Palæstina omnino certum anni tempus habuisse, quo fructus ferrent maturos, quod notari vult contra Cel. Hombergkium, qui existimet, *nullius utilitatis esse de tempore ficuum loqui, cum nullum in natura sit dabile.* Quibus præmissis declarat, quid Servator isto ficus repente arefactæ prodigio significare voluerit, quare item innocenti arbori maledixerit, eamque perdiderit? Cap XXX ex Hebræorum ritibus ostendit, Servatorem Lucæ II, 46 non in ipso Templo Hierosolymitano proprie sic dicto sedisse, quod nemini licuerit, immo ne Regi quidem, nisi ex familia Davidis esset, sed in Synagoga Templo contigua. Qua occasione de pervetusto more Doctorum Hebræorum in scholis sedentium, stantibus coram iis discipulis, agit, & locum Act. XXII, 3 explicat. Cap. XXXI multis rationibus evincit, mulierem peccatricem Luc. VII, 37, & Mariam Magdalenam, e qua Servator septem dæmonia ejecit Luc. VIII, 2, nec non Mariam, sororem Marthæ ac Lazari, Joh. XI, 2, diversas omnino mulieres fuisse, &, enarrata controversiæ origine atque historia, docet, Servatorem bis duntaxat a muliere unctum esse. Cap. XXXII monstrat, τὸν ϛρατηγὸν τȣ̃ ἱερȣ̃ Act. IV, 1 aliisq; in locis, non fuisse Ducem Romanæ cohortis, sed Judæum, Leviticorum excubiatorum Templi Præfectum summum. Vocem enim ϛρατηγοῦ apud Græcos ea ætate non amplius habuisse significationem militarem, sed ad regimen civile proprie pertinuisse, & Prætorem Urbis ac magistratum civilem notasse, postquam Græci, amissa libertate, sub Romanorum imperio esse cœperint. Apud Athenienses τοὺς ϛρατηγοὺς fuisse annonæ publicæ curatores. Alibi eos Prætoris munere functos esse suspicatur. Et quem-

quemadmodum Romæ fuerint Prætores Urbani ac Peregrini, ita in eam propendet opinionem, apud Græcos etiam diversi generis Strategos fuisse, Urbanos & Peregrinos. Plures certe in una eademque civitate paulo ampliori olim fuisse, veterum Autorum testimonio, numorum item marmorumque fide confirmat. Cap. XXXIV ex variæ doctrinæ apparatu illustrat verba Johannea Joh. I, 12, 13 & in reconditum eorum sensum diligentius inquirens, observat, Joannem Filios DEI ἐκ αἱμάτων fieri negantem, Judæos notasse, qui jure sanguinis & nativitatis, quod Abrahamo orti essent, gloriam υἱοθεσίας affectarint, Joh. VIII, 39, 33, 41. Porro Græcos Philosophos ἐκ θελήματ© σαρκὸς carnali præsumtione inflatos, contendisse, sibi cognationem quandam cum Diis esse, & sese ope sapientiæ carnalis DEI similes & filios DEI evadere posse. Alios paganos autoritate pollentes, quos Scriptura *viros* appellet, hominibus defunctis divinitatem tribuisse, & filios DEI creasse, Joannis prælertim ætate, qua consecrationis ritus non infrequens fuerit. Hanc ἀποθέωσιν Joannem ob oculos habuisse putat, & pernegasse ἐκ θελήματι ἀνδρὸς autoritate hominum τέκνα Θεȣ̃ γενέϑαι, sed ex DEO nasci. Cap. XXVII λύσις τῶν ὠδίνων τȣ̃ θανάτȣ, Act. II, 24, exponitur ex voce Hebræa חבלים quæ vincula & funes notat Psalm. XIIX, 5. Cap. XXXVIII τὰ περίεργα Act. XIX, 19 explicantur de artibus turpibus & magicis, & οἱ τὰ περίεργα πράξαντες de magis & veneficis. Cap. XXXIX tumultus a Demetrio quodam concitatus ex Act. XIX describitur, & ex numis, marmoribus, gemmis aliisque antiquitatum monumentis præcipua illius historiæ capita illustrantur. Plures Asiarchas v. 31 memorari censet, non quod plures simul hoc munus Ἀσιαρχίας administrarint, sed quod illo tempore forte adessent, qui sacrum Asiarchatus munus gesserant, eodem plane modo, quo Summi Judæorum Pontifices in Evangelio dicantur, quotquot Pontificatum antea administraverant, Luc. III, 2, ubi Caiphas & Annas duo dicantur S. Pontifices hoc sensu, ut *Caiphas* revera fuerit S. Pontifex a Grato Pilati Prædecessore constitutus, *Annas* vero Ex-Pontifex. Ita unum quotannis fuisse Asiarcham, ut appareat ex fine Epistolæ de Polycarpi martyrio scriptæ. Magnam Scribarum in

Asiaticis urbibus autoritatem fuisse, non solum ex v. 35 hujus capitis XIX Actuum, sed etiam ex marmoribus atque numis probat. Negat tamen contra *Henricum Hammondum*, γϱαμματέας ejusmodi in ludis sacris toga alba indutos, & aurea corona ornatos, adoratos fuisse, instar Apollinis. Nam quæ *Hammondus* ex Joanne Antiocheno afferat, fabulosa esse. Cap. XL investigat, qua ratione Pauli Apostoli parentes jus Romanæ civitatis acquisiverint, excussisque doctorum Virorum conjecturis, verisimili ratione docet, emtione cives Romanos factos esse. Frequentem enim emendæ civitatis modum eo tempore fuisse, Romanorum Ducum, solam pecuniam spectantium, vitio introductum. Apostolum igitur vi hujus juris habuisse libertatem agendi secure, & intrandi Asiæ Græciæque urbes, nemine prohibente. Inde esse, quod Paulus gentium Apostolus constitutus Gal. II, 8, Asiæ minoris, & Græciæ urbes secure obierit, & Evangelium prædicarit, civis Romani privilegio munitus. Ad juris hujus beneficia refertur etiam immunitas a flagellis, & supplicio crucis, cujus fructum tulit Paulus ab ipso Nerone, Tyrannorum crudelissimo, qui Petrum cruci adfixit, sed Paulum, Autore teste de *Mortibus Persecutorum* cap. 2, tantum interfecit, quia scilicet Romanus civis & immunis erat a supplicio crucis. Locum Rom XII, 1 de Christianis DEO in victimam offerendis illustrat ex Hebræorum apparatu sacrificali Cap. XLI, & Cap. XLII ostendit, Apostolum verbis ἐνδύσασθαι χϱιστὸν Gal. III, 27 in animo habuisse inaugurationem Pontificum Hebræorum, quæ sub Templo secundo solemni vestium sacerdotalium induitione peragebatur. Cap. XLIV loca Eph. V, 18, Col. III, 16, & Ap. XV, 3. ex vetustis Græcorum & Hebræorum moribus erudite illustrantur. Cap. XLV ex ingressu S. Pontificis in Templi penetrale, ubi supra aureum arcæ fœderis operculum θϱόνος τῆς χάϱιτος erat, non Christo, sed DEO Patri, secundum Autorem nostrum, tribuendus, locum Ebr. IV, 16, eleganter explicat, & contra *Jo. Braunium*, atque *Jo. Coccejum* vindicat. Asserta nuptiarum dignitate ex Ebr. XIII, 4, plurimis veterum Doctorum exemplis ostendit Cap. XLVII, non indecens esse sacri ordinis viris ducere uxores. Cap. XLIX describit vestium candidarum usum apud veteres Hebræos,

bræos, & lucem affundit verbis Ap. III, 4, VII, 13, ubi cœlestes animæ vestibus albis indutæ sistantur, tanquam candidati gloriosæ resurrectionis. Sanctos enim a Judæis dici resurrecturos cum vestibus albis, impios autem nigris. Solum R. Jochananem in *Bereschit Rabba* sepeliri voluisse vestibus ברדוקא *colore* Derocæ *tinctis*, hoc est, ut Autor noster contra *Menassen Ben Israel* ostendit, neque candidis neque nigris, sed alius coloris. Hæ vestes in codicibus Talmudicis *Niddat* & *Schabbath* vocantur האוליריים *haculiriim*, quam vocem nemo hactenus intellexit. *Stephanus le Moine* locum in mendo cubare suspicatus, legit *haourilim*, & de *cœruleis* vestibus exposuit. Noster autem in textu Talmudico ob codicum consensum nihil mutans, monstrat evidenter, האוליריים non esse Latinorum cœruleus, sed Græcorum ἁλουργός, quod cœruleum notet. Ultimo Capite considerat divinum mandatum Apoc. XVIII, 4 de secessione facienda e Babylone Mystica, h. e. Roma Anti-Christiana, quod multis confirmat argumentis & testimoniis veterum, ac Ludovici inprimis XII Franciæ Regis numo, quem explicat, notato *Jo. Harduini* errore, & adulandi studio. Ob argumenti similitudinem tres adjecit Dissertationes de fletu super Thammuz Ezech. VIII, 14, de Ascetis veterum, & de voce δικαιοῦν. Nunc Christologiam Mosaicam atque Propheticam meditatur, ad quam conficiendam perpoliendamque vitam atque otium S. R. Autori apprecamur.

A PLAIN EXPLICATION OF THE FIRST EIGHTEEN Verses of the first Chapter of the Gospel written by St. John.

i. e.

EVIDENS EXPLICATIO PRIMORUM XVIII commatum Capitis I Evangelii Johannis. Cui annexa est Scripturaria Demonstratio Veræ Deitatis D. N. Jesu Christi, ad confirmanda illa, quæ ex prioribus quatuor commatibus in antecedenti Explicatione breviter observata & illata sunt; occasione Rev. Clarkii Doctrinæ Scripturæ de SS. Trinitate. Autore GUILIELMO LORIMER, V. D. M.

Londini, apud Jo. Lawrence, 1713, 8.
Plag. dimidiat. 8.

QUo consilio antehac in XIIX prima commata Capitis I Evangelii Johannis V. Cl. Jo. Clericus *Animadversiones*, & Elias Benoist *Dissertationes Epistolicas tres* ediderint, ex Actis A. MDCXCV, p. 345 sq. & A. MDCXCVII, p. 498 sq. notum. Rev. Lorimerus, ut in propatulo est, eo scopo illa explicanda sibi sumsit, ut Demonstrationi veræ Deitatis Jesu Christi fundamentum substerneret. Initio dividi posse ait Caput I Johannis in tres partes, quæ appellari possint tria testimonia de infinita Jesu Christi excellentia & dignitate. *Primum* esse Johannis Evangelistæ, *secundum* Johannis Baptistæ, *tertium* variorum Discipulorum ad Christum vocatorum, partim mediate a Johanne Baptista, & si unum respicias, ab alio, partim immediate a Christo ipso. Horum tria testimonia in hoc convenire, quod Jesus Nazarenus æque Christus Dei sit, ac Christus θεάνθρωπος, divinam & humanam naturam in una persona mirabiliter valde unitam habens. In parte prima Johannem Evangelistam testimonium perhibere (1) Deitati Jesu Nazareni, & personalitati ejus a Patre distinctæ, vers. 1, 2, & hoc ipsum probare & illustrare vers. 3-10, (2) incarnationi ejus vers. 14, hujusque fini vers. 11, 12, 13, & huic testimonio addere declarationem gloriæ & excellentiæ ipsius tanquam mediatoris, & beneficiorum, quæ populus ejus ab ipso & per ipsum accipiat, vers. 14-18. Hæc ipsa vero pars est, quam Autor jam specialius exponit, hac quidem methodo, ut, sensu verborum Theologice magis quam Philologice declarato, singulis commatibus porismata ad doctrinam fidei & elenchum maxime spectantia subjiciat. Ex his autem quædam recensere, supervacaneum putamus, cum præcipua, quæ in medium afferuntur, aliis etiam Interpretibus jam observata sint. Hoc indicare sufficiat, quod summa perspicuitate tam in hac Explicatione, quam in sequenti Demonstratione veræ Deitatis Verbi æterni Autor omnia tradiderit. Hanc ergo quod attinet, probat hic & confirmat, quod ex Joh. I, 3 breviter observaverat, nimirum quod æternum substantiale verbum sit verus Deus: quod non sit alius distinctus Deus, neque coordinatus

Pag. 3. | 4 sqq. | 24 sqq.

dinatus neque ſubordinatus Patri, ſed quod ſit idem Deus, eandemque cum Patre Deitatem habeat: quodque differentia unius ab altero non ſit in Deitate ipſa, ſed in modo habendi eandem Deitatem: quod, licet Pater & Filius ſint duæ diſtinctæ perſonæ, tamen ſint unus & idem Deus. Provocat autem ad verba ipſius Pag. 25.
Filii Dei Joh. X, 30, *Ego & Pater unum ſumus*, iisque rite expoſitis, ex v. 33 oſtendit, Judæos ipſos inde concluſiſſe, quod Filius 26.
ſe unum eundemque cum Patre Deum dixerit. Inde vero hoc format dilemma: vel Judæi recte intellexerunt verba illa optimi Salvatoris, vel minus recte. Si prius affirmetur, neceſſario 27.
inde ſequi ait, quod Filius cum Patre unus Deus ſit. Si poſterius, in magno illos errore verſatos eſſe. Tum vero Chriſtum non potuiſſe non eosdem verbis claris & perſpicuis illo liberare, non Patris ſolummodo, & ſui ipſius, ſed etiam Judæorum cauſa. Jam vero defendiſſe ipſum, quod dixerit, ejuscemodi quidem 28 ſq.
verbis, quæ manifeſte ſatis eandem rem involverint, ob quam 30.
blaſphemiæ accuſatus ſit, & hinc Judæos rurſus operam dediſſe, ut ipſum caperent, Joh. X, 39. Proceſſiſſe autem propter ſtatum humiliationis gradatim, & defenſionem inchoaſſe argumento a minore ad majus, v. 34, 35, 36, poſtea vero in præcipuum cau- 31.
ſæ ſuæ patrocinium allegaſſe miracula ad confirmandam doctrinam ſuam, quod in ipſo ſit Pater, & ipſe in Patre, (quod idem eſſe obſervat Noſter cum antecedenti phraſi, qua Filius ſe & Patrem 32.
unum eſſe dixerat) a ſe facta v. 37, 38. Quod vero Chriſtus non 33.
expreſſis terminis affirmaverit, ſe eſſe Deum, unum Deum cum Patre, hoc primo quidem ideo factum eſſe Noſter exiſtimat, quod ſciverit, Judæos tum temporis veritatis illius non capaces fuiſſe, atque adeo, ſi illam plene explicaret, magis magisque contra ipſum debacchaturos eſſe: deinde, quod in ſtatu humiliationis plenam gloriam ſuam manifeſtare noluerit, ſed vixerit in mundo tanquam magnus Princeps *incognito*, ut dicitur, donec opus redemtionis conſummatum fuerit, clarius ſe manifeſtaturus per Spiritum Sanctum Apoſtolis poſt reſurrectionem, aſcenſionem, & glorioſam in cœlis exaltationem, juxta promiſſionem Jo. XVI, 13, 14, 15. Et hanc etiam ipſum impleviſſe, & per Apo- 34 ſqq.
ſtolos revelaſſe, quod ipſe ſit, in quo habitet omnis plenitudo Dei-

Deitatis corporaliter: quod ſit verus Deus & vita æterna: quod ſit magnus Deus, Deus ſuper omnes, benedictus in ſecula, Deus Iſraelis, magnus Jehova, qui ab initio fundamenta mundi jecerit, & cujus manuum opera ſint cæli: quod creâverit totum mundum, materialem & intellectualem, & omnia ad illum pertinentia ſive viſibilia ſint, ſive inviſibilia: quodque mundum non creaverit ut miniſterialis & inſtrumentalis cauſa, ſed ut cauſa principalis, efficiens & finalis, cum per ipſum & ad ipſum omnia facta ſint, & ipſe fuerit ante omnia, & omnia per ipſum conſiſtant, ipſe denique ſit magnus Jehova, qui eſt, qui erat, & qui futurus eſt, omnipotens, Alpha & Omega, initium & finis. Hæc vero omnia fuſius Noſter exponit, & ab adverſariorum ſtrophis
Pag. 36. vindicat. Sic e. c. cum Clarkius, quem celebratum Arianizantem Trinitarium appellat, in Doctrina Scripturæ, a nobis etiam in Actis A. MDCCXIII p. 258 ſqq. recenſita, p. 87, 88 adſeruerat, verba Rom. IX, 5 æque ſignificare poſſe doxologiam ad Patrem, ac deſcriptionem Chriſti ipſius, & præterea in gratiam Unitariorum de uſu vocis εὐλογητὸς ſeptem Scripturæ loca allegaverat, doctiſſimus Lorimerus oſtendit, illum in omnibus illis falli. Quamvis enim concedat, quod in quatuor illorum ſit doxologia, nempe Pſalm. LXXXIX, 52, 2 Cor. I, 3, Epheſ. I, 3, 1 Petr. I, 3, tamen obſervat, in illis omnibus vocem εὐλογητὸς poſitam eſſe ante κύριος vel Θεὸς, more in doxologiis ſolemni; ſed Rom. IX, 5, Θεὸς reperiri ante εὐλογητὸς. Reliqua vero tria loca Marc. XIV, 61, Rom. I, 25 2 Cor. XI, 31 extantia, ad ſenſum δοξολογικὸν Rom. l. c. firmandum inepte plane ad-
38. ducta eſſe, non minus ſolide declarat. Deinde, cum Clarkius innuerat, quod, licet concedatur, Chriſtum ab Apoſtolo l. c. appellari Deum ſuper omnia, tamen inde probari non poſſit, quod ſit ſupremus Deus, unus & idem Deus cum Patre; ſiquidem Pater excipiatur 1 Cor. XV, 27, *primo* quidem Noſter reſpondet, quod verba Clarkii inſinuare videantur, ac ſi nonnulli illorum, qui Chriſtum eſſe Deum ſuper omnia credant, etiam ſtatuant, quod ſit Deus ſuper Patrem, & propterea Apoſtoli illis in memoriam revocare debuerint, Patrem exceptum eſſe ab illis omnibus, ſuper quæ Chriſtus Deus ſit. Sed ita ſe neminem noſſe fatetur,

qui

qui Christum Deum esse super Patrem existimet. *Secundo*, quod
per *omnia*, super quæ Christus Deus sit, intelligamus omnem
creaturam, quam ipse creaverit. Si vero jam aliquis quærat, cur Pag. 39.
Apostolus 1 Cor. l. c. talem exceptionem fecerit, Noster ex
Theodoreto ad h. l. responsionem suppeditat. *Tertio* denique,
quod Clarkius perperam provocet ad 1 Cor. XV, 27 ad
illustrandum sensum Rom. IX, 5; siquidem Apostolus in his
duobus locis non loquatur ad idem. Nam 1 Cor. XV ipsum
loqui de Christo homine, & tamen non simpliciter ut homine,
sed θεανθρώπῳ, qui redemtionis opere consummato ad omnem
gloriam & dominium exaltatus sit; in loco autem Rom. IX, 5
de æterna Deitate Salvatoris nostri tanquam expresse ab huma- 40.
nitate distincta. Ultimo Rev. Lorimerus ad quinque respondet
Objectiones contra veritatem, quam hactenus defendit, adductas.
Prima est, quod Christus ipse Matth. XIX, 17 increpet illum,
qui ipsum appellat bonum Magistrum, Deum solum esse
bonum affirmans; atque adeo ipse Deus esse nequeat. *Secunda*,
quod Pater dicatur Fons Deitatis, atque adeo Filius nec idem
esse Deus, nec eandem cum Patre Deitatem habere queat; sed
potius non possint non esse duæ Deitates, altera Patris, altera Filii,
& hæc quidem secundaria, derivata, distincta & dependens a
Deitate Patris. *Tertia*, quod Filius voluntate Patris genitus sit,
& propterea essentiam habeat a Patris voluntate dependentem,
atque adeo pariter nec Deus esse, nec eandem cum Patre Deitatem
habere possit. *Quarta*, quod in Symbolo Nicæno dicatur,
quod æternus & unigenitus Dei Filius sit Deus a Deo; atque adeo
sint duo Dii, dependens & independens Deus. *Quinta*, quod
pluralitas personarum in Deo subvertat omnimodam simplicitatem
Dei, & inferat compositionem in Deo. Nos speciminis
loco subjungemus saltem responsionem doctissimi Autoris nostri
ad primam & secundam objectionem, unde de reliquis judicium
ferri poterit. Ad *primam* ergo quod attinet, probabiliter 48.
supponi posse existimat, quod ille, quem Christus increpaverit
se bonum appellantem, fuerit ex Secta Pharisæorum. De his
vero notum esse, quod vires liberi arbitrii extulerint, & putaverint,
quod homo, si velit, a se ipso bonus esse possit. Etiamsi vero

Pag. 49. ro homo ille de se ipso ita non sensisse videatur; tamen ita illum sentire potuisse de Christo, quem pro mero homine habuerit. Jam vero illum ita de Christo sentientem, illique cultum quendam religiosum, qualem Cornelius Petro exhibere voluerit, præstantem juxta Marc. X, 17, Salvatorem, qui penetralia cordis ejus rimatus sit, jure objurgare potuisse, dicentem: *Cur me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus, nempe Deus*, i. e. novi, quod me nudum hominem existimes, & tamen credas etiam, quod vere bonus homo sim, & bonitatem meam non nisi mihimet ipsi debeam; sed quid me eo sensu bonum appellas, cum sic nemo bonus sit, nisi unus, hoc est, Deus. Ad rem ulterius illustrandam Autor & de variis Philosophis probat, quod hominem a se
50. ipso bonum esse posse, statuerint. Sic adducit verba, quæ sub persona Cottæ Cicero libr. III de Nat. Deor. profert: *Virtutem nemo unquam acceptam Deo retulit, nimirum recte: propter virtutem enim jure laudamus, & in virtute recte gloriamur. Quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis haberemus.* Et paulo post: *Num quis, quod bonus vir esset, gratias Diis egit unquam?* Et paulo post: *Judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam.* Ut alia ejuscemodi loca ex Senecæ Epist, XXXI, Ariani lib. I c. 29, & lib. IV c. 1, & Epicteti Enchirid. c. 71, allegata jam taceamus.
51. Quantum ad *secundam* objectionem, negat, consequentiam æquivoca loquendi forma, cujus altera orthodoxa sit, altera hæretica, nixam. Verum & orthodoxum sensum ejus hunc esse adserit, quod Deitas ab æternitate in Patre sit, tanquam prima persona in ordine & modo subsistendi, & Pater Deitatem ab alio non habens, ab omni æternitate generaverit Filium in unione & communione ejusdem Deitatis. Et Patrem dictum esse fontem Deitatis, (non quidem in Scriptura, sed ab hominibus) quoniam ea ipsa Deitas, quæ Patri & Filio communis sit, sit a Patre in Filio, incomprehensibili quadam communicatione. Hoc sensu concedit, quod Pater dici possit fons Deitatis; magis tamen appro-
52. bat, si diceretur fons Trinitatis. Obiter autem hic Calvinum defendit contra illos, qui imputant ipsi, quod deroget gloriæ Patri, Filium αὐτοθεὸν esse contendens. Nimirum vocem αὐτο-

θεὸς

θεὸς triplici sensu capi posse observat. (1) Illam intelligi posse de positiva efficientia Dei, & sic Patrem ipsum non esse αὐτοθεὸν, recteque Bellarminum increpare Lactantium, quod dixerit: *Deus fuit a se ipso procreatus.* (2) Accipi illam sensu negativo, & sic Patrem solum esse αὐτοθεὸν, quippe qui ab alia persona non fit. (3) Sensu positivo formali a formali causa mutuato; quod Pag.
hoc modo declarat. Essentialem formam rerum, ait, rebus essentiam suam & naturam dare, constituere illas in essentia sua specifica, & distinguere ab omnibus aliis rebus, quæ diversam naturam habeant. Hoc non facere illam propria quadam efficientia, & sic proprie non esse causam, ut causa efficiens; illam tamen rationem nobis suppeditare, qua agnoscamus, quod res ejuscemodi generis & naturæ sit. Sic ergo, ut ad applicationem veniamus, internam essentialem Dei formam nihil aliud esse posse, quam Deitatem ipsam, qua Deus sit, & distinctus ab omni ente, quod non est Deus. Illam esse substantialem essentiam Dei qua talis & fundamentum quasi esse omnium absolutarum perfectionum Dei, & quasi esse subjectum, cui tribuerentur a nobis omnia absoluta attributa divina. Et in Scriptura illam exprimi per proprium Dei nomen, יהוה, & אהיה, & אהיה אשר אהיה *Sum quod sum*, vel, ut Noster melius & significantius reddi posse existimat, *Sum quia sum*, vel *Ero quia ero*. Sic enim evidentem magis rationem essentiæ & existentiæ Dei nos habere credit; nam ideo illum esse, quod ejusmodi naturæ sit, ut non possit non esse. Vocem אשר autem eodem sensu
venire observat 1 Sam. XV, 15. In hoc igitur formali sensu filium 54.
esse αὐτοθεὸν, cum unus Deus sit cum Patre, & eandem æternam Deitatem cum Patre habeat. Et eodem sensu tantummodo Calvinum Filium αὐτοθεὸν pronunciasse, ut pateat ex verbis
ejus in Instit. lib. I c. 13 §. 23 & 25. Sed in viam Noster jam red- 55.
iens animadvertit, falsum sensum locutionis, qua Pater fons dicitur Deitatis, esse hunc, quod sint plures Deitates quam una: quod alia sit Deitas Patris, alia Filii, & quod una Deitas sit fons alterius Deitatis: quodque secunda Deitas dependeat a prima. Orthodoxos vero nunquam locutionem illam eo sensu, quo gentilium Polytheismus in Ecclesiam introducatur, usurpasse. Nec

formam verborum illum ſenſum ferre. Non enim dici, quod Deitas Patris ſit fons Deitatis Filii, ſed quod Pater ſit fons Deitatis. Quæ ulterius Noſter deducit, & ad reliquas etiam objectiones non minus ſolide & erudite reſpondet.

EXERCITATIONUM SACRARUM DODEcas, quibus Pſalmus XLV perpetuo commentario explanatur; Autore FRIDER. ADOLPHO LAMPE, Eccleſiæ Bremenſis in cœtu Stephanienſi Paſtore.

Bremæ, ſumtu Phil. Godofredi Saurmanni, 1715, 4.
Alph. 3 plag. 15.

ETſi multi Scripturæ interpretes peculiarem operam in Pſalmo hoc explanando inſumſerunt, vidit tamen Rev. Autor, integrum Pſalmum pro ſuggeſtu expoſiturus, inventis aliquid ſemper addi poſſe, præſertim in illo inexhauſto Scripturæ S. theſauro. Ratione ordinis ab omnibus diſceſſit, cum hypotheſin ſibi hactenus peculiarem ſequatur, qua non tantum ad priora N. T. tempora ſed concatenata ſerie ad omnia canticum referendum eſſe, ſonticis, ut putat, rationibus inductus ſtatuat. Ita tyronibus exemplar dare voluit, quousque in tractatione prophetiarum progredi iis neceſſum ſit, qui aliquatenus pro dignitate earum myſteria aliis ediſſerere tentant. Nec pœnitet Autorem profanorum quoque Autorum paſſim ad illuſtrationem adhibitorum, non tantum ut ornatum operi conciliaret, ſed etiam ut temporis, quod juvenis in antiquitatis & literarum elegantiorum ſtudiis inſumſit, fructum aliquem ferret. Varia autem ad ſenſum S. Scripturæ hieroglyphicum ſpectantia eum præcipue in finem immiſcuit, quod ab orbe erudito & Chriſtiano deſiderari viderit *Theſaurum Sacræ Scripturæ myſticum*, quo jactis feliciter a Philologis fundamentis, ipſa myſteria ſalutis in ſingulis *verbis & phraſibus*, ac præcipue in *Metaphoris, allegoriis, typis, emblematibus* recondita, ſive in forma *Syſtematis*, ſive *Lexici* plenius enodentur. Hoc enim ad cognitionem uberiorem dogmatum fidei perneceſſarium eſſe, idoneumque futurum, ad *Pſeudo-Myſticos* ævi noſtri refellendos. Ceſſaturam etiam omnem ſollicitu-

licitudinem de comparanda sibi sufficienti rerum copia in dicendo pro concione, si sensui mystico eruendo magis incumberetur. Descripta rerum pertractandarum summa, prolixum ostendit campum, quem in tali Thesauro conficiendo emetiri oporteat, & B. Neumanni aliorumque institutum improbat, de singulis singularum vocum literis mystice explicandis, non negat tamen in certis circumstantiis literarum usum mysticum esse, quales sint literæ nominibus Abrahami & Saræ insertæ, & *Tav* inscriptum frontibus electorum. Ceterum non diffitemur, insignem utilitatem ex Thesauro ejusmodi emblematico & allegorico expectari posse, suasoresque sumus, ut hunc laborem suscipiat in se doctissimus Autor, datisque certis principiis, atque regulis ad determinandum sensum mysticum secundum intentionem Spiritus S. indubiis, ac rite demonstratis, Theologiæ cultores in studio emblematico & typico ita instituat, ne lusibus ingenii, quod vulgo fieri solet, vage indulgeant, aut irrisorum ludibrio sese exponant, sed ut verum sensum mysticum & a Spiritu S. intentum scite eliciant, & adductis rationibus evidenter demonstrent. His præmissis Autor Psalmum ipsum aggreditur, & æque latere putat, a quo, & qua occasione fuerit confectus. De Salomonis certe cum Ægypti Regina conjugio cogitandum non esse. Huic enim typo nec sponsum, nec sponsam congruere. Sponsum victoriis esse inclytum, qua laude Salomon caruerit. Et eam potissimum sponsam induci v. 11, quæ ex Judæis, sive secundum carnem, sive mysticis, Regi Messiæ adducenda, cujus typum peregrina Salomonis conjux gerere non potuerit. Refellit interpretes, & sigillatim *Jo. Massonum*, qui in *Historia Critica Reipublicæ Literariæ* Gallico sermone conscripta, non tantum statuit, omnes Psalmos certas occasiones externas habuisse, sed etiam sensum literalem habere qui primo intendatur. Hanc enim regulam ad omnes Psalmos extendi non posse, ad eos præsertim, qui mere prophetici sunt, & tantum de futuris Ecclesiæ fatis agunt. Multas etiam occasiones oblivione temporum sepultas esse. Saltim de hoc Psalmo, quem illustrat, non apparere, quo referri possit. Nec quidquam obstitisse putat, quo minus occasione externa commotus, sed a Spiritu DEI evectus altius Regio-

rum vatum animus, ſtatim in ſublimiorum myſteriorum contemplationem abreptus ſit. Nec Davidem arrogantiæ ſæpe notam effugiſſe, vel in ipſo Pſalmo CX, quem illuſtratum dedit doctiſſimus *Maſſonus*, ſi ſuas laudes tam ſplendide ebuccinandas in jugi Templi cultu tradidiſſet. Porro *ſedere ad dextram DEI* in Davidem non quadrare, neque Davidem dici poſſe ſacerdotem. Genus dictionis Pſalmi XLV Autori noſtro non eſt Dramaticum, ſed ecſtaticum, quod in multis Pſalmis contra aliorum hypotheſin præfert, quia & antiquius, & natura ſua longe ſublimius eſt. שׁשׁנים nova & ſpecioſa conjectura de *cymbalis*, inſtrumento in Muſica veterum & præcipue Phrygum Phœnicumque frequentiſſimo, exponit, eorumque formam declarat ex Achate inedito Viri S. Rev. *D. Theodori Haſæi*, & pictura expreſſo in Fig. 5, in quo cymbaliſta cernitur, cymbala eleganter
TAB. VII Fig. 5. fabrefacta manibus pulſans, idque ſub concentu lyræ. Quam gemmam ad Cotytia ſacra referendam eſſe ſuſpicatur, & ſub perſona ſtante cotylas pulſante ipſum Cotytum, Thracum Deum, quo Phurnutus Cupidinem deſignari putat, ſub ſedente vero Venerem cithara ludentem adumbrari credit, remque loco Strabonis Libro X egregie illuſtrat. Digreſſione inde inſtituta de Muſicis organis in Templo adhibitis, probat variis argumentis, illa typum fuiſſe cultus ſpiritualis, quod a DEO inſtituta partem cultus ceremonialis confecerint, ſacrificiorum holocauſtorum appendices fuerint, & in vaticiniis ad N. T. pertinentibus frequens eorum mentio fiat. Occaſione ſtyli varia ad ſcribendi rationem apud veteres pertinentia notat, Judæosque ſcripſiſſe docet in chartis hœdinis, quas Pergamenas vocent, non a Pergami urbe Troadis, ut volunt, temporibus Eumenis & Ptolemæi primum inventas, ſed jam longe ante in populo Judaico notas. Quod inde certum ſit, quia libros ſuos מגלות *volumina* appellarint Pſalm. XL, 8 Vocem עט mavult vertere *calamum*, quam ſtylum, quia ille ſcribendi modus, & apud Hebræos uſitatior, & ad prompte velociterque ſcribendum aptior ſit. Diviſionem generalem Pſalmi fundari putat in hypotheſi de duplici N. T. convivio, quorum alterum in exordio, alterum in fine N. T. inſtituendum ſit. Pulcritudinem Meſſiæ prædictam & præfiguratam

ratam

TAB. VII ad A. 1715 M. Oct. pag. 446.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 5.

ratam ad omnes ejus relationes pertinere contendit, ſub quibus in hoc Pſalmo ſiſtatur. Per *Michaelem* Dan. X, 13, 21, XII, 1, Filium DEI intelligit, non Spiritum Sanctum, quod nuper placuit Celeb. *Honerto in Viis DEI p. 954.* Filium DEI ſæpe in nomine Patris, jam in ipſo Protevangelio, loqui affirmat. Ipſum quippe Servatorem Ioh. V, 37 aſſerere, *Patrem de ſe teſtatum eſſe, nec tamen ejus vocem auditam eſſe unquam.* Inde colligit, in viſionibus & apparitionibus divinis, quamvis verba efferantur, quæ ſunt verba Patris, vocem tamen non fuiſſe Patris, ſed Filii. Contra Cl. Hulſium negat, Cherubos in propitiatorio fuiſſe typum Filii & Spiritus S. Formæ pulcritudinem in Ieſu Nazareno contemplatus, demonſtrat, Servatorem noſtrum omnigena pulcritudine divina, humana & mediatoria conſpicuum fuiſſe. Labris Meſſiæ deſignari putat ejus doctrinam. Et quando gratia in labia effuſa dicitur, reſpici ſuſpicatur ad illos, qui infuſis oleis & aromatibus labra fragrantia effecere. Verba Pauli Rom. IX, 5, ἐπὶ πάντων Θεὸς, e verſu *tertio* hujus Pſalmi, quo formoſiſſimus eſſe Chriſtus ſuper filios hominum prædicatur, repetit, & verti vult: *Deus ſuper omnes* Patres, & quoscunque illuſtres homines. Meſſiam bellatorem currui inſidentem deſcripturus, de curruum bellicorum apud veteres variis generibus, & uſu quædam affert, obſervans, currus communes adeo vulgati uſus olim fuiſſe, ut altera pars exercitus, quæ nunc equeſtris eſt, tum curulis eſſet. Dextræ Meſſiæ נוראות *terribilia* adſcribi cenſet, cum alluſione ad ſtupendos in ſubjugata olim Canaane eventus. Plurimæ hujus generis obſervationes in hiſce Exercitationibus occurrunt, ex ipſa earum lectione plenius cognoſcendæ.

CASPARIS ABELI HISTORIA MONARchiarum Orbis antiqui adaucta.

Lipſiæ & Stendaliæ, ſumptibus Erneſti Henrici Campii Bibliopolæ Palæo-Marchici, 1715, 8.
Alph. 2 plag. 9.

CL. Autor, Rector Scholæ Joh. Halb. meritisſimus, a teneris annis ſtudio hiſtorico deditus, ægre ſemper tulit, hiſtoriam vete-

veterem tot fabulis, crassisque erroribus oppletam, & tantum non obrutam esse. Quos pro virili sublaturus & exstirpaturus, primo quidem Dissertationes quasdam Latinas, deinde vero 1707 integrum Tractatum, quo multæ Monarchiæ, quæ in oriente a Nimrode usque ad Cyrum floruerunt, describuntur, lingua Germanica edidit, laudatum a nobis in his Actis 1707 mense Novembri p. 496. Quam recensionem cum Vir illustris *Gisbertus Cuperus* vidisset, adeo Autoris consilium non aspernatus est, ut potius duabus prolixis Epistolis, quas Noster una cum responsionibus suis huic libro adjecit, suasor exstiterit, ut materiam tam doctam & elegantem Latina lingua publicaret. Obtemperaturus Cl. Autor, non solum versionem Latinam libelli Germanici adornavit, & illustri *Cupero* inscripsit, sed universum etiam argumentum ex professo, ut ajunt, pertractavit, altiusq; repetitum optimorum autorum testimoniis confirmavit duobus Libris, quorum *primo* omnes illas orbis antiqui Monarchias repræsentavit, quæ sub unius Assyriacæ nomine vulgo comprehenduntur. *Altero* autem res gestas priscorum Europæorum delineavit, & quasi adumbravit. Nos ex Libro primo, cujus capita & argumenta jam olim exhibuimus, nunc tantum excerpemus opiniones quasdam singulares, quibus hic li-
Pag. 25. bellus abundat. Pro certo habet, primos homines non statim, eaque ipsa die, qua Paradisum intrarunt, deliquisse, sed plures
26. in eo dies, imo forte hebdomades, atque menses, non vero annos, uti *Walleyus* autumat, in summa transegisse felicitate, antequam eam amitterent. Cainum in orientem processisse suspi-
33. catur, & forte penetrasse in extremam Sinensium regionem, in quorum annalibus memoria ipsius adhuc superesse videatur, per Noachum forte, ejusque filios & nepotes conservata. Græcos
44, 491. ex uno diluvio concinnasse duo, cum duabus forte vicibus de eo audiverint, primo a Lelegibus, eorumque ductore Ogyge, & dein a Deucalione & Hellenibus. Facere sibi שם Genes. XI, 4
45. σῆμα esse censet cum *Jac. Perizonio*, turrim nempe præaltam,
48. a priscis hominibus ædificatam, ne pastores pecorum in vasta illa planitie prorsus aberrarent, & in alias oras, reditus ignari, dissiparentur. Ægyptiorum Dynastias, quas *Pezronius* æque ac

ante

ante eum *Marshamus*, in ordinem redigere conati ſunt, neutiquam genuinas cenſet, ſed confuſum potius quoddam chaos eſſe variorum, peregrinorum, vanorumque nominum, in quibus etiam Græca exſtent, quod unum ſatis ſuperque fraudem prodat. Sacerdotes quippe doloſos omnes iſtas aut certe pleraſque confinxiſſe, Regumque catalogis non ſolum totas eorum Genealogias inſeruiſſe, quod Sinenſes quoque feciſſe videantur, ſed etiam ipſorum nomina ter & quater, varie tamen immutata, aucta atque contracta, repetiviſſe, ut immanis iſte Regum atque annorum cumulus eo melius expleri poſſet. Non aliam Ægypti vetuſtiſſimis temporibus conditionem fuiſſe arbitratur, quam Palæſtinæ, vicinarumque regionum, ubi quævis civitas proprium Regulum habuerit. Cumque hac ratione plurimæ Dynaſtiæ eodem tempore in Ægypto diverſiſque ejus partibus ſimul fuerint, ſubruto quaſi fundamento ſua ſponte concidere illam falſo jactatam antiquitatem. Dynaſtiam Paſtorum, Taniticæ inſerendam, cum *Perizonio* ad ſolos Iſraelitas refert, hancque ſententiam ab illuſtri *Cupero* erudite impugnatam, modeſte tuetur, ita tamen, ut Joſephum, ejusque fratrem & filios non pro veris Regibus habeat ſed pro Regum Taniticorum Miniſtris ſtatus primariis ſeu Pro-Regibus, ob eam vero dignitatem ab invidis vel etiam ignaris Ægyptiorum hiſtoricis, poſt aliquot demum ſecula indicem Regum ſuorum conſignantibus, ei falſo inſertos. Per שׂלוים *Selavim*, quorum carne DEUS delicatam Judæorum gulam explevit, cum *Olao Rudbeckio* piſces volantes intelligit, quandoquidem Iſraelitæ non tam carnes, quibus ditiores non omnino caruerint, quam piſces deſiderarint. Et Moſem indignabundum dixiſſe, num omnes piſces maris congregari debeant ad tantum populum ſatiandum. Seſoſtrin, quem *Perizonius* nuper ad Judicum Iſraeliticorum tempora, dominante Iſraelitis Jabino, Cananæorum Rege, retulit, nimium tribuens Græcorum conſenſui, eum Trajano bello antiquiorem facientium, Noſter ad Salomonis ætatem refert, & Seſacum eſſe putat; qui Rehabeamum ſubjugavit 1 Reg. XIV, 25. Jerobaamum, ſuis rationibus conſulturum, in gratiam Seſaci Ægyptiorum Regis, Patroni ſui, Ægyptiorum ſuperſtitio-

Pag. 108. 110. 110. 798. 232. 232. 147. 266.

 nem

nem æmulatum esse, quando duas aureas buculas Apin & Mne-
Pag. 285. vin civibus suis adorandas proposuit. Capto Manasse filio Hiskiæ, & Babylonem deducto, ubi tunc Rex Assyriorum Asfarhaddon sedem suam habuerit, primates Judæorum interim cum S. Pontifice rempublicam administrasse, impetumque Holofernis, Assyrii Ducis, fortiter repulisse. Ad hoc enim tempus refert historiam Judithæ, quam in comœdiæ formam con-
398. scriptam esse censet. Et ejus quidem fundamentum veritati consentaneum esse, circumstantiarum vero plerasque confictas, vel aliter exponendas esse, contra *Montfauconium* observat. Per *Judithbam* enim sensu figurato Rempublicam Judaicam designari, cujus maritus Manasses Rex mortuus dicatur, quia paulo ante ab Assyriis in captivitatem abreptus pro mortuo quasi de-
399. plorabatur. Per *Bethuliam* ab hoste defensam Judæorum libertatem, castitatem, & integritatem intelligendam esse. Neque enim ullam unquam istius nominis civitatem in Israelita-
376. rum regione fuisse. Salmanassarem & Senacherimem pro uno
393. eodemque Rege, & Sardanapalum pro Senacherimis filio habet, quem non alium fuisse putat, quam Ninyam.

Liber *Secundus* tribus Capitibus constat, in quorum primo de rebus Græcorum vetustissimis ante Olympiades differit.
485. Græciæ nomen ex lingua Celtica derivat, ratus id ex antiquo Celtarum vocabulo Reke/ gigantem olim significante, forma-
486. tum esse. Græcos Iones olim appellatos fuisse putat a primo
487. illorum conditore *Javane*, filio Iapeti. Quod vero Græcis prior ille *Jon* non tam notus fuerit, hoc indicare, non ipsum Iavanem in Europam se contulisse, sed in Asia Minori, eaque forte illius regione, quæ olim *Maonia*, postea vero *Ionia* nuncupata fuit,
488. substitisse. Mare Ægæum dici ab איי גוים *insulis gentium*,
490. cum *Hillero* observat. *Sicyoniorum* Reges rejicit, non dubitans, eos vel plane confictos, vel certe multo recentiores esse. Idem de *Argivorum* primis Regibus, quos nonnulli ipsis Sicyoniis antiquiores faciant, nec non de omnibus vetustissimis Græciæ re-
493. bus & Dynastis, dicendum arbitratur. *Leleges* vel a לך־לך *Lech-Lecha* mutua adhortatione, qua quisque socium ad iter invitarit, vel a Græca radice λέγω, tanquam λεκτοὺς, vocitatos es-

se ere-

se credit. Cariam *Dodanim* seu Doriensium patriam sedemque primariam fuisse arbitratus, suspicatur, *Leleges* tam ex *Elisa*, Pag. 494.
quam *Dodanim*, filiorum Javanis adhuc in Asia residuorum, progenie fuisse. Ab illis autem tum alios, tum præ cæteris *Locros* & *Lacones* descendisse credit, perinde ac *Hellenes* quoque, qui antea regiones Asiæ versus Hellespontum habitarant, eique nomen dederant, quod Mythologi frustra ab Hellene virgine in eo submersa derivent. Hos *Hellenes*, ab *Elisa Javanis* filio ita nuncupatos, *Pelasgis* & *Lelegibus* superatis, tota propemodum Græcia potitos esse, simulque nomen suum ita propagasse docet, ut omnes Græci non alio tandem, quam eo insigniri vellent. Cum S. Rev. *Læschero* non audet omnes Ægyptiorum 495.
ac Phœnicum colonias ex Græcia plane eliminare. Pro certissimo quippe habet, *Uranum*, *Saturnum*, *Jovem*, *Anaces*, nec non *Inachum*, *Cadmum*, aliosque ex Ægypto & Phœnicia accessisse. At vero cum *Bocharto* de omnibus *Titanibus*, nec non *Deucalione*, *Prometheo*, *Amphione*, *Tantalo*, & ceteris priscæ Græciæ Heroibus id prædicare velle, nimium putat. Multo minus a se impetrare potest, ut *Huetii* & *Cræsii* sententiam ap- 496.
probet, qui omnes fere Græcorum fabulas ex Scriptura desumtas esse, imaginati sunt. *Titanas* vetustissimos Græciæ incolas 488. 497.
judicat, ab hostibus suis Ægyptiis & Phœnicibus ita nominatos, quia *Ionum* nomen a יון *Javen* luto limoque derivantibus, טיט *Tit* in Phœnicia, & Τιτὰν in Græca lingua ei non male respondere visum sit. Quod autem ad *DEOS* attinet, qui cum Titanibus istis bellum gessisse memorantur, animum induxit, eos ex Ægypto & Phœnice adventasse, divinumque honorem vel ipsos sibi arrogasse, ut simplices indigenas eo facilius sub suam redigerent potestatem, vel a seris demum posteris, cognomina eorum אילים *Aelim* גבורים *Gibborim* ita interpretantibus, præsertim cum idololatria & ambitio apud eos jam invaluisset, illo affectos fuisse. Equidem Græcos Deos & Titanas ab uno stemmate deduxisse, ejus autem caussam non aliam fuisse credit, quam quod non Dii solum, sed & Titanes ex oriente, & eodem fere temporis tractu, in Græciam transierint, adeoque primi illi Græciæ cultores Pelasgi illos non magis distinguere

 norint,

norint, quam veteres Americani & Indi Europæos nostrates. Interim tamen tantum revera inter illos discrimen fuisse, quantum inter Hispanos & Hollandos sit: & Titanes ex Asia mi-
P. 458, 561. nori, Deos vero ex Ægypto & Phœnice processisse. Quod ut eo melius intelligatur, historiam primo Deorum, deinde etiam Titanum aliquanto accuratius pertractat. Fata regnorum il-
577. lorum atque familiarum, quæ *Inachidis* seu *Anacæis* aliisq; Phœnicibus & Ægyptiis originem suam debuerunt, expositurus, de Argivo imperio initium facit, eique reliquos minores Principatus Peloponnesiacos, qui in illius quasi clientela ac fide fuerunt, subjicit. Inde vero ad Regna extra Peloponnesum, e. g. *Atheniensium, Thebanorum, Orchomeniorumque* progreditur. Quibus absolutis denuo ad res Æolidarum enucleandas se convertit.
719. Cap. II simili industria priscas Italorum & speciatim Latino-
742. rum res perlustrat, & Cap. tandem III de rebus Scytharum, Celtarum, aliarumque gentium, Europæ septentrionalium, agit.

ANTONII PACCHIONI REGIENSIS, Medici & Civis Romani, Dissertationes binæ, ad Spectatissimum Virum D. JOHANNEM FANTONUM datæ, cum Ejusdem Responsione illustrandis duræ Meningis ejusque glandularum structuræ atque usibus concinnatæ.

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1713, 8.
Plag. 10.

DUm *Autor Clarissimus* Dissertationis suæ de duræ Meningis fabrica & usu, Romæ A. 1701 in lucem emissæ & a nobis in *Actis* A. 1703 p. 360 recensitæ, novam parat editionem a variis mendis repurgandam novisque schematum accessionibus illustrandam, ad industrium interea *Fantonum*, ab hoc rogatus, in præsentium binarum literarum primis specimen eorum perscribit, quæ cum de duræ meningis singulari conformatione, vasis & usu, tum de lymphæ cerebri glandulis, usu & motu, in opere ipso uberius aliquando est consignaturus. Quod duram namque meningem concernit, hanc primum nec cum aliis pro simplici, nec cum Vieussenio pro duplici habet membrana, sed eam inæ-

inæqualis crassitiei ex triplici fibrarum strato atq; lacertis componi, & per extimam superficiem reticularem cranio hinc inde affigi, pro certo reputat. Meninx nempe dura cum musculus ipsi sit sui generis membranaceus triventer & quadritendineus, sive ex tribus ventribus resultans, quorum duo superiores cerebrum, tertius autem inferior & posterior cerebellum contineant, atque quatuor tendinibus ita constans, ut tres eorum ad cerebrum spectent, mediusque falx messoria audiat, quartus vero cerebelli proprius & falcis antagonista Caudex æque nominandus veniat, ac utrumque duræ meningis segmentum, cerebrum inter & cerebellum extensum, Interseptum horizontale salutandum. Quarum partium mobilium diversas in singulis stratis describit fibras, varios lacertos atque extimi strati corticem reticularem variamque cum calvaria cohæsionem, vel non cohæsionem, glandulis autem conglobatis, quas alterutri sinus sagittalis lateri insidere & vasa lymphatica per meningem piam dispergere, in peculiari detexerat *Epistola, Romæ A. 1705* edita & in *Actis* pariter *nostris* A. 1706 p. 217 exhibita, glandulas etiam similes addit sinuum lateralium, ibi cumprimis cum lacertulis vasisque lymphaticis conspiciendas, ubi sinus laterales cum longitudinali congrediuntur. Ad vasa hinc duræ meningis accedens, nervos, quos antea omnes negaverat, nunc non unos, sed multiplices indigitat, vel ad cerebri, vel ad cerebelli meningem pergentes, licet nonnulli eorum exactius indagandi videantur; usumque demum duræ meningis, veluti musculi membranosi, explanans, postquam Mayovium de motu ipsius correxit, motum mixtum eidem vindicat, constructionis & restitutionis alterum, alterum elevationis & depressionis, priorem in toto ejus ambitu exteriori, tam ad cerebrum, quam ad cerebellum, posteriorem vero in intersepto horizontali cerebrum inter & cerebellum, successive & alterne peragi, utroque interim naturalem liquidi in corticalibus cerebri & cerebelli glandulis secretionem promoveri lymphamque ex glandulis duræ meningis proprios intra canales exprimi. Qualis motus tametsi in animalibus vivis vix oculis subjici posset, ex miranda tamen meningis fabrica varioque chordarum & nervorum apparatu non minus ac ex

actione ejus læsa in epilepticis, Malpighio & Mayovio attestantibus, veniret omnino colligendus. Sed ad cerebri lympham quod attinet, hæc ubi in dictis sinuum glandulis conglobatis secreta & per lacertos pyramidales expressa utramque meningem, ne exsiccaretur, humectarit, æque ac illa, quæ in glandulis plexus choroidei & pone cerebellum segregatur, extra calvariam per diversas vias amandari perhibetur, prout vel cerebri esset, vel cerebelli, in quantum illa ab anterioribus ventriculis per infundibulum in glandulam pituitariam, porroque in venas jugulares internas juxta Lowerum effunderetur, hæc autem a quarto ventriculo ad calamum scriptorium & ad spinam deflueret, post lenem spinalis medullæ irrigationem denuo in sanguinem per venas resorbenda. Quem nihilominus usum tam duræ meningi, quam sinuum glandulis & vasis lymphaticis matrem piam perreptantibus, Noster adhuc tribuerat, experientissimus Fantonus in responsione sua tanto magis impugnat, quanto magis conjecturis minusque demonstrationibus uterque videretur inniti. Quoad duram enim meningem desiderat ante omnia, quod in ipsa illius portione, cujus intuitu musculus triventer ea statuitur, nec fibræ vere carneæ & musculares, ceu verum motus animalis organum, iisque analogæ, quæ in intestinis aliisque partibus tunicatis occurrerent, nec saltem evidentes motiones, quales in minimis insectis cernerentur, etiamsi in eorum membris nihil carnei in sensum hebetem incurreret, fuissent ostensæ. Deinde dubitat, num cerebrum ad liquorem spirituosum secernendum fibris carneis æque indigeret, ac reliq; secretionis organa, vel si vis etiam compressiva in illo requireretur, annon compressio naturalis & structura mechanica, quemadmodum in plantis & nonnullis animalium partibus, ac in cerebro ipso, manifesta innumerarum ejus arteriarum diastole & systole sufficerent, maxime cum meninx, dura cranio passim adhærens, neque universum cerebri ambitum, neque intimam substantiam & meditullium; multo minus medullam oblongatam & spinalem, posset comprimere. Malpighio denique promtus quidem concedit, in affectu epileptico duram meningem convelli, negat tamen, structuram ejus musularem inferendam inde esse, quoniam

am tunc naturaliter ſimili contraheretur ratione, ac vel pergamenæ humidæ ab ignis calore criſpari, vel folia plantarum ab halitu ovulorum, poſtquam hæc ab inſectis fuiſſent in iis depoſita, contrahi & convelli ſolerent, nec a ſtatu morboſo ad naturalem progredi ſemper liceret. De glandulis autem ſinuum & lymphaticis ductibus matris piæ detectis ſicuti Autori gratulatur, ſeq; ipſum Pariſiis A. 1697 in ſinu longitudinali diſſecto leviterque divulſo acervum glandularem cum aliis fortuito vidiſſe gloriatur, ita lympham ab iſtis glandulis & tubulis lymphaticis verſus ſinum magis, quam cerebri ambitum fluere, nec tam meningibus humefaciendis, quam ſinui lubricando & ſanguini craſſiori diluendo inſervire, veriſimilius magiſque naturæ legibus conſonum affirmat. Commercium ſiquidem vaſorum lymphaticorum, quod cum glandulis dictis per fibrillas, veluti excretorios earum ductus eſſe aſſereretur, ab ipſa harum tenuitate reddi dubium, ceteraſque membranas humore irrigari, qui ab innumeris ipſarum poris, nequaquam a lymphaticis, proficiſceretur. Quia, ſi interna duræ matris ſuperficies lymphaticorum liquido veniret adſpergenda, lymphæ ductus pariter externos adjici debere, a quibus externa ipſius ſuperficies non minus madeſceret, cum huic interim uſui tubercula, quondam a Veſalio prope verticem in dura meninge annotata, eo certius vacarent, quo luculentius Dn. Littre in ſexagenario quodam non modo ſtructuram eorum glanduloſam, ſed & utramque meningis ſuperficiem ab eorundem lympha humectari, nuper cognoviſſet. Aſt ſingula hæcce Fantoni dubia Noſter in altera ad ipſum Epiſtola ita diluit, ut ad fluidi quoque ſpirituoſi in cerebro ſecretionem organi alicujus externi comprimentis, ſpeciatim duræ meningis, neceſſitatem & aptitudinem, motus e diverſo arteriarum cerebri pro eodem fine inſufficientiam, ſolennem tamen laudatæ meningis motionem oculis cernendi impoſſibilitatem, inſignem vero ſtatus præternaturalis prærogativam, tam ad matris duræ contractionem, quam ad lymphæ a ſinuum glandulis externa verſus magis, quam in ſinus ipſos, progreſſionem confirmandam, pluribus demonſtret, atque inventionem præterea iſtarum glandularum & lymphaticorum meningis piæ vaſculorum in

binis

binis Literis, quas idiomate Gallico ad Dn. Mery datas cum hujus responsoriis subjungit, sibi vindicet.

D. S. S. OBSERVATIO DE POLYPO OESOphagi vermiformi rarissimo, a nimio Pulveris Hispanici sternutatorii, vulgo Spaniol, *usu excitato.*

CAupo quidam in pago Possewitz prope Pirnam, Joh. Gottfried Große/ Vir annum quadragesimum tertium agens, temperamento sanguineo, habituque ad cacochymiam admodum proclivi, ac sat notabili corporis mole gaudens, mirumque in modum pulveris sternutatorii Hispanici, vulgo Spaniol/ deliciis effascinatus, anno superiori 1714, circa tempus vernale, dolorem quendam urentem, a nimia dicti pulveris aliquando facta per nares attractione in medio œsophagi percepit, inopinatoque non ita multo post deglutitionem non nihil animadvertit impeditam. Quamobrem auxilium quærens, Medicum quendam convenit, & de dolore, nunc quidem sopito, at in deglutitionis impedimentum mutato, queritur, cujus affectus causam, in pituitosa quadam ac viscida materia, interioribus œsophagi partibus adhærescente, Medicus ponens, convenientia pro ista incidenda atque educenda ægro præscribit remedia, irrito tamen successu, maloque indies indiesque adhuc ingravescente. Hinc ad alium se confert, ejusque opem implorat, simulque affectus causam, infra suo loco paulo specialius afferendam, sibi probabilem, ipsi refert, quam vero hic flocci æstimans, aliamque subesse asserens, ægro remedia, pro nescio quo acido, spasmodicam fibrillarum affectionem hanc generante, corrigendo atque eliminando, equidem exhibet, at iterum absque successu sperato. Nullum igitur secunda vice effectum salutarem, hactenus tam anxie exoptatum, æger observans, in auxilium rursum vocat alium, & quidem medicastrum rusticum, qui, prioris vestigia legens, pituitosam acremve materiam genuinam hujus impeditæ deglutitionis liberioris causam existere, pariter asserit, certo citoque, ut id genus hominum solet, impedimentum hoc se ablaturum, deglutitionemve liberiorem redditu-

diturum, pollicetur. Varia hinc ægro porrigit, quorum usus, insignis licet pituitæ fuerit educta copia, plane denuo fuit inanis atque nullus, cum nec minima levaminis cujusdam pars ægro inde fuerit allata. Deserens ergo & hujus hominis medelam patiens, naturæ & tempori sese tantum committere animum induit, sponteque sua fortean hoc malum iterum cessaturum, firmiter sperat. Interim vero Peniculum ventriculi, vulgo die Magen-Börste / de quo instrumento multa hactenus audiverat, consulit, istud applicat, ejusque ope sat notabilem equidem educit pituitosæ materiæ copiam, nullo tamen inde subsequente levamine. Ad quæstionem, num ex applicatione peniculi senserit dolorem? respondit: eum quidem se non sensisse, interim tamen difficilem, imo in ventriculi cavitatem ejus penetrationem omnino impossibilem, ob quoddam in gula obstaculum perceptum, plenarium peniculi ingressum prohibens, fuisse. Paulo post loco sperati effectus salubris, magis magisque malum augeri animadvertit æger, adeo ut solida tandem alimenta haud amplius assumere valeret, sed liquidis tantum, v. g. lacte, jusculo avenaceo tenui &c. famem sedare corpusque nutrire cogeretur. Imo, tantum demum hic affectus sumsit incrementum, ut recensita jam liquida tenuia libere exinde deglutire haud valuerit, sed mediante calamo stramineo ista absorbere necesse habuerit miser. Quam primum enim paulo liberius largiusque ea sorbere voluit atque deglutire, statim ea cum sonitu regurgitarunt, præsentaneam ægro suffocationem minata. Tandem hic, de cetero sanus, liberaque respiratione gaudens, denuo Medici auxilium implorat, petitque, ut sibi suppetiæ ferantur. Hic, in affectus hujus admirandi causas occasionales paulo curatius inquirens, variaque ex eo quærens, inter alia quoque hæc sequentia, de quibus superius jam nonnihil fuit adductum, audit: ægrum nempe nimis in usum vocasse Pulverem sternutatorium, eundemque dubio procul miserandi hujus mali primam extitisse causam occasionalem. Et, quo evidentior veriorque causa hæc appareat, factum fuisse refert æger, quo pulvis hic, præsertim siccissimus summeque volatilis, corpore aliquando calefacto, & sudoribus prope diffluente, naribus co-

piose intrusus, fortiterque inspiratus, non solum in asperam arteriam, verum etiam in fauces & gulam usque penetrarit, tussim eamque frequentem, nec non in gula ardorem, una cum dolore primum obtuso, sanguinisque sputo, excitarit. Ex quo tempore statim dolorem haud levem, & hoc evanescente, deglutitionis impedimentum fuisse exortum, ulterius confessus est æger, sancteque affirmavit, nunquam in vita simile, nec etiam vel levissimum in œsophago percepisse deglutitionis impedimentum. Hæc omnia Medicus percipiens, excrescentiam quandam cartilagineam, ex læsione œsophagi obortam, adesse, ægrumque in extremo vitæ periculo constitutum pronunciat, cujus terminum, inevitabile nunc fatum, cui æger solum relinquendus erat, ipsi accelerare visum fuit. Ob nutritionis debitæ enim defectum corpus obesum adeo fuit extenuatum, ut magis τȣ̃ Σκελετȣ̃ quam hominis vivi faciem repræsentarit. Ultimo liquidorum etiam ne guttulam quidem amplius assumere potuit, quo evenit, ut post aliquot dierum spatium, mense Aprili anni currentis, fame sitique incredibili emaciatus atque fractus, misere tandem perierit. Cadaver quo aperiretur, causaque tam stupendi affectus detegeretur, vivens adhuc æger petiit, hac tamen conditione, ut absque sumtibus sectio institueretur, quod etiam ita factum fuit. Aperto itaque nunc cadavere ventri-

TAB. VII Fig. 4. culus A in Fig. 4 partesque internæ a statu naturali adeo remotæ non fuerunt inventæ, excepto tantum œsophago, qui a B usque ad C nonnihil contortus & Pharyngem versus solito tenuior atque acuminatior apparuit, & quidem adeo, ut apertura ejus D, alias satis ampla, vix pisum admittere visa fuerit. Quo autem, quæ intus forte laterent, nunc quoque detegerentur, ille incisus fuit, quo facto, insignis ad omnium stuporem conspectui sese præsens delineata stitit excrescentia carnea, per medi-

Fig. 1. 3. um Fig. 1 & 3 d.d.d. divisa, quæ in media œsophagi parte eaque postica, qua spinæ dorsi adjacet, initium (circa quod aliquid cujusdam materiæ cruoris inspissati ad instar cernebatur) sumens, ad Pylorum usque fere sese extendens, longitudine spatium sex digitorum transversalium, crassitie vero lumbricum insignem, tam in α quam in β æquabat, cujus etiam faciem

aliquo

aliquo modo mentiebatur. Substantia hujus excrescentiæ, rectius Polypi, erat carnoso-fibrillosa atque mollis, color vero ex albo rubicundus. Cultro anatomico & quidem facillime, cum vel digitorum jam attactui cederet, auferebatur Polypus hic rarissimus, quo ablato, pedes ejus, vel potius radices, quibus se in gulæ substantiam insinuaverat, in conspectum veniebant, quarum vestigia bb ob nimiam brevitatem suam, multo elegantius in œsophago aperto, quam ipso in Polypo, utpote qui arcte tunicæ interiori adhærebat, conspici poterant, uti ex Fig.2 luculenter patet. Et sic impeditæ deglutitionis causa, de qua nemini hactenus quicquam in mentem venerat, detecta conspiciebatur, dignaque judicabatur, quæ rarioribus Medicorum observationibus insereretur, publiceque proponeretur. Hæc itaque fuere, quæ historice saltem recensere volui, paulo specialiorem hujus casus evolutionem atque phænomenorum rationes in peculiari dissertatione propediem daturus. TAB. VI Fig. 2.

ACADEMIÆ CÆSAREO-LEOPOLDINÆ CAROLINÆ Naturæ Curiosorum Ephemerides, sive Observationum Medico-Physicarum a celeberrimis Viris, tum Medicis, tum aliis Eruditis in Germania & extra eam communicatarum, Centuria III & IV, cum Appendice.

Noribergæ, sumtibus Wolfgangi Michaëlles, 1715, 4.
Alph. 4 plag. 1 Tab. æn. 15.

TUm demum de humano genere, judice *Pitcarnio*, Medico hujus ævi celeberrimo, merebuntur Medici, si Astronomorum institutum sibi imitandum proposuerint. Perfectio nimirum Artis salutaris perinde ac Astronomiæ non a luxuriantium ingeniorum fabulis atque commentis, sed ab observationibus accuratis & genuino ipsarum usu pendet. Ad observationes accuratas non sensus solus sufficit, sed mentis etiam acies ingeniique dotes haud vulgares &, quem in *Hipparcho*, insigni illo Astronomo, *Ptolemæus* prædicat, laboris atque veritatis amor requiruntur. Unde parum solliciti sunt Astronomi de observationibus cumulandis, quibus observantium turba corporis

oculis solis videns nescio quam famam penes imperitos aucupatur; sed in iis acquiescunt, quas Viri ad scientiam promovendam nati exquisita industria venantur. Usus observationum sine mentis perspicacia & ratiocinandi habitu nullus est. Unde Astronomi de intellectu perficiendo ante solliciti sunt, quam ex observationibus siderum leges & jura poli in apricum producere laborant. Et hinc iisdem felicissime utuntur, ut, quamvis scientia per paucos promoveatur, promotam tamen esse constet, nec ignoretur, quantum unusquisque ad illius perfectionem contulerit. Certum nimirum observationum debita industria factarum indicium est, si fœcundæ deprehendantur: quantum vero iisdem tribuendum sit, si, multis earum voluminibus editis, Arti vel Scientiæ nihil perfectionis accesserit, nobis silentibus statuent intelligentes. Hoc certe lapide Lydio probantur observationes, quocunque tandem chimerico autoritatis involucro involvantur. Non dubitamus, quin *Pitcarnius* sibi consentientem habeat Academiam Cæsareo-Leopoldinam Carolinam: quod enim Medicinam non hypothesibus, sed observationibus perficere conetur, novum observationum Volumen, quod hic sistimus, loquitur. Ex eo more nostro speciminis loco nonnulla in medium proferimus.

Mich.Bernh.Valentini duplicem intestini ilei invaginationem, & in alio cadavere situm stomachi prorsus inversum describit, ita ut orificium dextrum in sinistro latere cum sinistro in linea fere perpendiculari locatum consp iceretur, unde phtisis orta. *Joh. Georg. Hoyerus* herniam sympathetice curatam, & ulcus cancrosum per sympathiam factum commemorat. Puer nempe herniosus per quercum teneriorem mediante cuneo ligneo fissam ternis vicibus tractus atque retractus, verbis quibusdam *Hoyero* ignotis superadditis. Quercus postea ligamentis sedulo deligata, stercore vaccino cortici læso illinito & cuneo sub eadem defosso. Post semestre spatium fissura consolidata & cuneo putrefacto puer convaluit. Contra veterinarius lacte ex mammis fœminæ pauperculæ expresso ulcus antiquum verminosum equi eluit: quo persanato, mammilla dextera fœminæ simili ulcere prorsus insanabili correpta, ita ut non solum ea penitus

nitus

nitus fuerit consumta, sed ipsa fœmina tandem extincta. Eodem Autore senex septuagenario major, cum suasu Medici a fumo Nicotianæ aliquandiu abstinuisset, visum notabiliter debilitari sensit; sed iterato usu illius amissam oculorum aciem brevi recuperavit. *Rud. Jac. Camerarius* lapidem monstrat figuratum ex cubo & octaedro compositum. Superficies nempe terminatur sex quadratis & octo triangulis æquiangulis. *Maximil. Preusfio* referente, mater lue venerea conspurcatissima fœtum edidit purissimum. *Josephus Lanzonus* vires aquæ vitæ prædicat. Sine unguentorum apparatu sola impositione spiritus vini & mundificatio, & incarnatio successit. Simplices contusiones eadem curatas non semel vidit. Hæmorrhagiam contumacem ab evulso dente molari in rustico sola ea cohibuit. Scabiem adolescentulæ sola lotione cum aqua vitæ curavit. Vomitum in muliere gravida immanem usu spiritus vini externo & interno per plures dies continuato compescuit. Eidem cessit erysipelas phlegmonodes, tumor genarum cum dentium dolore, impetigo in facie & collo. Vir tandem quinquagenarius ab hæmorrhoidibus cum modica inflammatione, cataplasmate ex cepa cocta & aqua vitæ parato, intra biduum liberatus. *Antonius Vallisnerius* post profligatam China China tertianam abscessum in capite ac inde mortem consecutam esse notat: alio tamen exemplo ejusdem usum salutarem in febre tertiana mali moris comprobat. Idem hydropem desperatam in moniali annorum sexaginta vi diuretica decocti *sassaphras* sanavit, & in aculeo scorpii tria foramina lateralia, hactenus controversa, se vidisse testatur. Describit etiam raram quandam locustam carnivoram. Tigridis speciem, quæ felis magnitudinem non adæquat, in scenam producit *Jo. Georg. Volkamerus*, qui idem peponem monstrat odore ambræ una cum rariori castaneæ Brasiliensis specie. *Just. Frider. Dillenius* puellum lingua duplici, altera alteri incumbente, præditum sistit. Idem araneum majorem variegatum atque crucigerum scatulæ foramine unico superne perviæ inclusum ultra trimestre spatium sine alimento vivere observavit, ipsoque mortuo in tela circumtexta lapillum exiguum, grano milii non decorticati æqualem, rotundum &

albicantem, cum appendice fuſca reperit, inſtar leguminis friabilem. *Vitus Riedlinus* ſternutationem creberrimam & vehementem, intra quinque dies minimum ter millies repetitam, ope luti fornacum aceto mixti & plantis pedum applicati ſuſtulit. *Job. Adamus Genſelius* fidem habet puellæ 20 annorum aſſeveranti, quod in ſomno inſcia & inanimadvertens ex coitu ſubreptitio conceperit. Idem commemorat hæmorrhoidum fluxum in hæmorrhagiam penis commutatum. *Elias Camerarius* recenſet foſſilium conchyliorum in uno lapidis fruſto repertorum congeriem. Idem miratur fœminam gravidam annorum 40, quæ fœtum nonum gerens tantam alabaſtri molem, quantam mariti dorſum geſtare ſuſtinuerat, comedit tanto cum appetitu, ut ſubinde per biduum a pane abſtinuerit. Memoriam quoque gravi occipitis percuſſione adeo læſam eſſe teſtatur, ut juvenis, cui hoc malum acciderat, nihil eorum, quæ ante fecerat aut ſenſu perceperat, recordaretur. *Samuel Graſſius* teſtatur ex matre ante quatuor horas mortua (cum interea abdomen fotibus ſpirituoſis, balſamo embryonum vinoque generoſo aromatico cum culcitris calidis continuo fotum fuiſſet) fœtum in diem usque tertiam auram vitalem ducentem exciſum fuiſſe. *Joſephus Lanzonus* obſervavit, in cranio militis pleuritide extincti & mulieris febri maligna defunctæ defuiſſe ſuturam rectam; in ſurdo a nativitate apoplexia extincto tympani membranam fuiſſe craſſiorem ac denſiorem; in adoleſcente aſthmate denato totam pulmonum ſubſtantiam ſero plenam; in quadragenario fato ſimili rebus humanis exemto lapillos in dextro pulmonis lobo; in corpore canis venatici unicum renem; in phthiſico totum ſuccum felleum ſaxeum, qui per aliquod tempus aſſervatus Euro ſpirante menſe Novembri in viridem liquorem ſponte diſſolutus; in cadavere ſervi pleuritide extincti lienem rotundæ figuræ, ſubſtantiæ alioquin ſanæ; in lepore denique tres renes, duos nimirum in dextro latere eosque minores, unum in ſiniſtro, ſed juſtæ molis. *Godofredus Klaunius* fide aliorum refert, arſenicum a Batavis in Barbariam miſſum incolis inſervire ad fertilitatem agrorum promovendam, non tam quod glires magno numero frugibus ibidem infenſos necet, quemadmodum ipſis videtur, verum etiam, quod Noſtro probabile videtur, inpri-

imprimis cum in Silesia in prato casæ, ubi arsenicum præparatur, vicino gramina læte progerminare ferantur, quia salinæ & sulphureæ particulæ ad fertilitatem conducunt. Magnesiæ in fœcundandis fœminis & pulchra prole formanda aliquid tribuit *Immanuel Weismannus*. Seminis virilis ad massam sanguineam regressum defendit *Sigismundus Schmiderus*. Idem putatitium pronunciat sulphur cum pluvia interdum decidens vernali & æstivo tempore. *Joh. Melchior Verdries* maniam in puerpura ex vini abusu contractam commemorat. Obstetrix in partu difficili ad decoctum ex Sabina herba (qua vulgo ad fœtum ejiciendum utuntur) ter confugiens, fœtus cum animabus parturientium ejecit. Exemplum arsenici sine inflammatione necantis affert *Mich. Ernest. Ettmullerus*. Fontem mineralem Tungrensem describit *Gerardus Arnoldus de Vincquedes*. Secale tostum esse *Cafée Europæum*, nec Arabico quicquam cedere, suo & amicorum palato probat *Jo. Jac. Dillenius*: eodem argumento Theam roseam commendat *Godofredus Thomasius*, paratam ex foliis fruticum rosarum. Quæ in boum contagio A. 1713 & 1714 in Ducatu Ferrariensi fuerint observata, *Josephus Lanzonus* recenset. Boves cibum respuebant, aures subito collapsæ procidebant, pili erigebantur, tremor pene universalis aderat, oculi lachrymas effundebant, per nares multa lymphæ copia exibat, alvus solvebatur & in aliquibus pustulæ sub cute prodibant, ita ut crederent aliqui, variolis boves ipsos affici, tandemque brevi septem dierum spatio magno cum mugitu moriebantur. In cadaverum sectione viscera reperta sunt sana, nisi quod in aliquibus omasum pene sphacelatum viderit Noster. Nonnulli rustici boum mortuorum carnes absque nocumento comederunt. Multa fuerunt experta remedia, sed incassum. *Schmiderus* puellam sistit stupenda salacitate vexatam, cui Clitoris fuit tantæ magnitudinis, ut hastam virilem mentiretur. Idem pyra in summitate denuo florentia & rosas duplices triplicesque monstrat; *Volkamerus* vero caryophyllum spicam frumenti referens. Idem describit arborem Cafée ferentem & ramum delineari curavit, quem liberalitate Illustris Domini L. B. a *Munnickhausen* Magnæ Britanniæ Regis & Electoris Brunsuicensis

con-

consiliarii intimi ex horto ejus Swebbertiano prope Hamelense „ Fortalitium exstructo accepit. Folia inania castaneis per„ quam similia sunt, flos vero perfectus, elegantissimus & odo„ ratissimus monopetalus ex oblongo tubo quinquefariam di„ visus; nuclei bini sibi impositi pericarpio succoso inclusi bac„ ciferis arboribus & Jasminorum sive Gelseminorum classi fru„ ctum Cafee accensent, & *Gelseminum Arabicum*, foliis casta„ neæ, *flore albo ingenti odoratissimo* pronunciant, omniaque ha„ ctenus circa hunc fructum ejusque arborem exorta dirimunt „ dissidia. *Gothofr. Heldius* Chinam Chinæ antipodagricum remedium sine pari expertus. Ranarum in pisces curiosam metamorphosin, quæ in Surinamia, Americæ Provincia, fieri solet, describit *Rosinus Lentilius*, qui ranas istiusmodi in pisces mutatas Amstelodami apud *Sebam* pharmacopæum & in Musæo Dn. *Vincentii* Harlemi vidit. Cum stercus equi non castrati parti affectæ applicatum & cum hydromelite mixtum hactenus solatium extiterit pleuriticorum; succi inde expressi usum internum non fine successu in simili affectu plus simplici vice commendavit *Gerhardus Arnoldus de Vincquedes*: unde ut medicamentum delicatulorum palato etiam probaretur, hoc modo „ idem parare docet. Colligatur, inquit, quantitas sufficiens „ stercoris & urinæ equi non castrati, sicque invicem mixta im„ mittantur cucurbitæ vitreæ, capacitatis & altitudinis sufficien„ tis, quæ probe obturata sepeliatur tempore hiemali in fimo e„ quino per mensem, æstivali vero exponatur radiis solaribus per „ dies totidem, quo tempore præterlapso ad destillationem pro„ cedatur, imposito cucurbitæ alembico rostrato, applicatoque „ recipiente juncturis apprime clausis, ea tamen cum cautela, ut „ cucurbita nonnisi ad tertium sit repleta, imponatur arenæ, „ ignisque primum substruatur lentus, augendo eundem per gra„ dus & pergendo quousque liquor exstillatus nullum amplius „ præ se ferat saporem salinum. Hinc destillatum seponatur „ & caput mortuum abjiciatur, materiæ vero superioris nova „ pars eodem modo destillationi subjiciatur, repetendo id usque „ dum sufficiens quantitas liquoris prolecta fuerit, qui omnis in „ spiritum volatilem rectificetur, & si ulterius corrigere eum & exal-

exaltare animus ſit, addita raſura ligni ſaſſafras, rectificatio „ reparatur, ſicque una cum ſpiritu aſcendet ſal volatile. *Mauchartus* experimenta defendit de lachrymis vitreis in Actis A. 1712 p. 346 in dubium vocata. Et amor veritatis cogit, ut ultro fateamur, a fractura lachrymarum vitrearum aliquoties a nobis facta damnum illatum fuiſſe non quidem fundo, ſed parieti tamen propiori vitri tenuioris, cum animus nobis eſſet contrarium docere. Idem quoque denuo confirmat, quæ de pinguefactione boum per inflationem annotata ſunt loco citato. Chartam maſticatam ſclopeto majori exploſam cranii perforati & mortis ſubitaneæ cauſam extitiſſe, teſtatur *Laurent. Heiſterus*. Idem ſiſtit infantem anu clauſo & ſine inteſtino recto natum moxque ideo iterum denatum. Vermes quoque deſcribit in ventriculo columbarum repertos, quibus mortem intulerant, & remedium adverſus eos prævaluiſſe aquam, in qua argentum vivum probe exagitatum fuerat, potam. *Lochnerus* ſæpius ſe riſiſſe teſtatur vanam, quam vocat, & futilem præſagitionem, qua ruricolæ albicantes Nicotianæ plantas leti futuri præſagas pronunciant. Sed cum talis planta in agris ipſius effloruerit & hinc mors filii ipſius in Academia Wittebergenſi ſubſecuta fuerit; opinioni vulgi tandem adhæret. Attamen dubio procul perſpiciens Vir oculatus, omni quidem veræ prædictioni reſpondere eventum, non tamen ideo prædictionem vagam neceſſario eſſe veram, quia eventus reſpondere videtur, cum caſu fieri poſſit, ut eadem ſæpius ſe mutuo ſubſequantur; ingenue fatetur, ſe credere, quod his vaticiniis agricolæ ſæpius fallant & fallantur. Appendix non exiguam operis partem conſtituit. Sed operæ pretium non eſt, ut ſingula commemoremus, præſertim cum in eorum numero habeantur, quæ opus utique commendandum parum commendant intelligentibus. Eminent vero Epiſtola *Lanciſii* de morbo, interitu & funere *Horatii Albani*; reſponſio *Leibnitii* ad objectiones *Schelhameri* contra ætiologiam barometri non ſatis intellectam; *Doppelmaieri* animadverſiones nonnullæ circa eclipſium obſervationes; *Leberi* Epiſtola de locuſtis; *Lochneri* mantiſſa ad ſchediaſmata de parreira brava; vitæ deniq; quorundam Medicorum, *Jæniſii* puta, *Schulzii* & *Gulielmini*.

DOROTHEI ALIMARI, MATHEMATICI Veneti, Longitudinis aut Terra, aut Mari investigandæ methodus, adjectis insuper demonstrationibus & instrumentorum Iconismis.

Londini, sumptibus bibliopolarum in platea dicta the Strand, 1715, in 8.

Plag. 13 Tab. æn. 1.

EDitor operis se vocat *Sebastianum Riccium*, Autorem vero Matheseos apud Venetos Professorem, & opus viris illustribus atque clarissimis inscripsit, qui Senatus Magnæ Britanniæ consulto Autorum longitudini locorum demonstrandæ operam navantium censores constituti sunt, D. *Thomæ* Pembrochiæ & Montgomeriæ Comiti, R. P. D. *Philippo* Herefordiæ Episcopo, R. P. D. *Georgio* Bristolii Episcopo, D. *Thomæ* Baroni *Trecor*, *Thomæ Hanmer* Baronetto, *Jacobo Stanhope* Secretario Regio primario, *Francisco Robarts* Armigero, *Isaaco Newton* Equiti & Societ. Regiæ Præsidi, *Guilielmo Lowndes* Armigero, *Guilielmo Clayton* Armigero, *Johanni Flamsted* Astronomo Regio, *Edmundo Halley* Geom. Professori Saviliano, *Johanni Keill* Astronomiæ Professori Saviliano, *Johanni Sanderson* Mathem. Professori Lucasiano, *Rogerio Cotes* Astronomiæ Professori Plumiano. Autor, ut videtur, personatus idemque cum Editore, huc usque plurimos in longitudine determinanda frustra desudasse arbitratur, quod plurimum circa media, parum circa principia congrua studuerint. Ipse primum ad pyxidem nauticam tanquam sacram anchoram confugit &, quamvis in ea sibi reperisse videatur, obstaculis plurimis superatis, quæ ad scopum assequendum conducunt, eaque de re Tractatum integrum MSC. jam elaboraverit, non tamen in hoc invento acquievit, sed ulterius ex altitudinibus Solis observatis differentiam meridianorum determinare aggressus est. Hanc posteriorem methodum hac quidem vice uberius exponit & laudat, eorum modo arbitrorum censuræ submittit. Fundamentum ejus in hoc consistit. Supputetur juxta Tabulas accuratissimas, e. gr. *Rudolphinas*, ad Meridianum primum pro arbitrio statuendum, v. gr. ad meridianum Insulæ Ferreæ, pro singulis diebus

bus longitudo & declinatio Solis in ipsis scrupulis secundis, ut differentia utriusque diurna ad datum quemlibet diem haberi possit. Observetur in loco dato altitudo Solis meridiana & inde elicitatur cum longitudo, tum declinatio Solis, ut in Astronomia docetur, quo differentia longitudinis & declinationis in primo meridiano & in meridiano observationis innotescat. Inferatur tandem ut differentia prior ad integrum æquatorem graduum 360, ita posterior ad arcum æquatoris inter utrumque meridianum interceptum, qui est longitudinis quæsita differentia. Monet, non absimili modo utendum esse motu Lunæ stellarumque fixarum. Hæc quidem facile unicuique elementorum Astronomiæ gnaro in mentem venire possunt: sed ardua res est determinare veram loci, ubi navis hæret, lineam meridianam, & altitudinem Solis non obstante motu navis adeo exacte observare, ut habita refractionis atque parallaxeos ratione in ipsis scrupulis secundis satisfaciat. Huc ergo operam omnem impendit Autor. Excogitavit eum in finem varia instrumenta, a quorum descriptione tractationem suam orditur. Inter ea primo loco comparet pyxis magnetica, sed variatæ tantisper constructionis. Ordo nempe rhomborum inversus, ita ut omnes, qui in communibus pyxidibus ad ortum jacent, locentur ad occasum & contra. In meridiana vero pyxidis linea versus boream & austrum ad angulos rectos statuantur duo perspicilla seu eorum vice duæ exiguæ acus sutoriæ. Secundum instrumentum deservit ad solaris altitudinis dimensionem in ipsis scrupulis secundis, non obstante navis motu. Ejus constructionem & usum quatuor distinctis figuris repræsentat, sine quibus descriptio vix ac ne vix quidem intelligitur. Tertium observationibus Solis respectu parallaxium & refractionum æquatis destinatur, constans unica regula e buxo vel alio ligno solidiori parata & utrinque dioptris instructa, & legitime divisa, in qua umbra styli altitudinem Solis indicat. Quartum denique est horologii quædam species, stellæ fixæ reditum ad eundem meridianum indicans. Si enim, dum navis solvit, index horologii ad lineam meridianam ducatut, dum stella aliqua in meridiano hæret, nocte sequente cum eadem in meridia-

no loci, ubi navis hæret, conspicitur, index in circulo in suos gradus & scrupula diviso differentiam meridianorum ostendit. Postquam instrumenta descripsit & usum eorum docuit, prolixe ostendit, quomodo longitudo loci determinari possit, si neque poli altitudo, neque meridiana linea fuerit cognita. Observare jubet Solem vel orientem, vel occidentem una cum arcu inter eum & lineam meridianam magneticam intercepto, atque duas Solis altitudines super plano horizontali una cum arcubus inter verticales Solis & lineam meridianam magneticam comprehensis. Docet deinde, quomodo ex his datis linea meridiana vera loci, ubi navis hæret, amplitudo Solis ortiva vel occidua, altitudo poli, declinatio & longitudo Solis, declinatio acus magneticæ, tempus observatarum Solis altitudinum sive a meridie, sive ab ortu, vel occasu eliciatur. Præcepta singula exemplis illustrat, ut nihil obscuri relinquatur. Monstrat etiam, quod loco longitudinis Solis uti liceat ejus ascensione recta. Et quia calculus molestus est, ideo addit, quomodo horologium disponi debeat, ut omni tempore distantiam a primo meridiano indicet. Hinc tandem vim methodi suæ his verbis exponit. **In promptu** sunt, inquit, habendæ ephemerides diurni motus Solis & Lunæ in longitudine, exaratæ in gradibus, minutis & secundis ad meridianum primum, vel alium quemcunque --- & tabulæ ascensionum rectarum plurium stellarum fixarum --- in gradibus, minutis atque secundis, ad tempus observationis faciendæ; item tabulæ ascensionum rectarum Solis ad singulos eclipticæ gradus pariter in gradibus, minutis atque secundis. Sit & optimum horologium exprimens tempus discessus & reditus alicujus stellæ fixæ ab uno ad eundem meridianum in horis 24 & harum quamlibet in minutis sexaginta, & horum quodlibet in secundis pariter sexaginta. Sint & in promptu instrumenta propria ad iter navis, quam certissime fieri possit, dimetiendum: habeatur demum & pyxis nautica optima cuspide munita ---- Antequam Sol vel Luna ad meridianum loci observationis deveniat, inveniantur eorum ascensiones rectæ in gradibus, minutis atque secundis, ad ipsorum luminarium loca in ipsis ephemeridibus expressa in meridie antecedente & in meridie subsequente observatio-

vationem, servata semper in Luna latitudine, quam in meridiano ephemeridum obtinuerit... Observetur Sol vel Luna in meridiano mundi & eodem temporis momento aptetur index horologii ad ipsius meridianum & decurrere permittatur - - - Expectetur dein adventus alicujus stellæ fixæ cognitæ ad meridianum eundem, & momento eodem observetur tempus elapsum inter transitum Solis, vel Lunæ, & stellæ per eundem meridianum, convertaturque in gradus, minuta atque secunda æquatoris, eritque arcus iste differentia inter ascensionem rectam Solis, vel Lunæ, & stellæ in ipso observationis momento. Propterea si subducatur ab ascensione recta stellæ, nota remanebit ascensio recta Solis vel Lunæ, pro ratione scilicet eorum alterutrius in meridiano observati. Hic duplici ratione uti possumus ad inveniendam loci longitudinem, vel scilicet - - - inquirendo loca Solis vel Lunæ in ecliptica aut zodiaco, eaque conferendo cum eorum locis in ephemeridibus expressis, ut eorum resultet differentia, qua mediante & mediante eorum planetarum motu diurno in longitudine optata loci longitudo habeatur; vel adinventam ascensionem rectam Solis vel Lunæ comparando cum ea, quam in meridiano Ephemeridum retinere comperti fuerint, ut earum resultet differentia. - - - Tum fiat ut motus diurnus ascensionis rectæ Solis vel Lunæ ad integrum æquatoris circulum, ita adinventa superius differentia ad arcum æquatoris interceptum inter meridianum primum seu Ephemeridum & meridianum loci observationis. Sub finem difficultates nonnullas solvit, quæ methodo suæ obverti possunt, & coronidis loco methodum tradit plerisque in locis horam æstus marini fluentis vel defluentis deprehendendi, in motu Lunæ, cum quo connectitur, fundatam.

JO. JACOBI LEHMANNI, PHIL. M. EJUSque ordinis in Acad. Jen. Adjuncti, Nova & compendiosissima methodus discendi doctrinam moralem cum Præf. JO. FR. BUDDEI.

Jenæ, apud viduam Meyerianam, 1715, 8.
Alph. 2 plag. 3.

CUm temporibus non adeo remotis vera eruditio sensim restauraretur, non pauci erant, qui in emendanda quoque & restauranda versabantur Philosophia. Deprehendebant autem præsertim ii, qui in examinandis morum atque civitatis disciplinis occupabantur, quod in his tantum juris quæstiones proponerentur, quarum syllogen juris naturalis nomine deinceps discentibus commendarunt. Totam inde *Ethicam* pariter atque *Politicam*, in quantum juris absolvuntur quæstionibus, ad jus naturale merito retulerunt. Sistebatur ergo hæc disciplina satis superque restituta, sed deficiebant ab hac distinctæ Ethica & Politica. Mox percipiebant restauratores, dari regulas quasdam, quæ nec ad Theologiam, nec Juris scientiam, neque Medicam pertinebant artem; quare quo minus Philosophiæ eas adferrent, nihil obstabat. Illarum ergo sylloge *prudentiæ politicæ* titulo insignita est. Præter has regulas jurisque præcepta dari deprehendebant porro doctrinam de emendanda & præparanda voluntate amplissimam, quæ in disciplinæ ordinem redacta *Ethicæ* veniebat nomine. Circa has vero novas quasi disciplinas observavit Cl. Autor, quod non adeo distincte proponantur a cultoribus suis; hinc ut circa genuinam constitutionem atque differentiam prudentiæ politicæ a ceteris disciplinis distinctæ suas in peculiari libello afferret meditationes, iniit consilium. Itaque id unum hic dedit operam, ut doctrinam de emendanda & præparanda voluntate ceu peculiarem & a Jure naturali atque prudentia politica probe distinctam traderet.
Pag. 1. Hinc ut rite præparatus accederet ad institutum, in *primo* capite egit de eruditione, de philosophia, deque morali disciplina generatim, ut innotesceret, quid sit, certe esse debeat vera eruditio, deinde quid sit, & esse debeat vera philosophia; quid item
30. disciplina moralis? Præsertim vero in eo occupatus est, ut genuinum veræ philosophiæ restitueret cognoscendi, ut vocant, principium. Mens ejus breviter huc redit. Duo præsertim dari ejus generis principia cognoscendi, alterum Theologiæ, Philosophiæ alterum. Illud esse revelationem supernaturalem; hoc vero esse ipsas res harumque speciatim naturam, proprietates aliasque circumstantias. Hoc modo rationem

ſeu intellectum eſſe facultatem tantum cognoſcendi tam Theologiam, quam Philoſophiam; hoc tamen diſcrimine, ut intellectus in acquirenda Philoſophia naturalibus, in Theologia vero ſupernaturalibus inſtructus eſſe debeat viribus. Poſtquam porro Philoſophiam diviſit in tres partes, præparatoriam, theoreticam ac practicam, quarum hæc jus naturale & prudentiam politicam; iſta phyſicam, & theologiam naturalem complectitur; illa tandem vel emendat intellectum & dicitur Logica; vel voluntatem, atque dicitur diſciplina *Moralis*, ultimam deinceps in tractatione tertia deſcribit, quod ſit pars philoſophiæ præparatoriæ, quæ præparat & emendat voluntatem, ut idonea reddatur ad exercendas actiones, quas jus naturæ præſcribit & prudentia politica, atque ut ipſam felicitatem veram tandem acquirat ac conſervet. Capite *ſecundo* & quidem tractatione prima fundamenta quædam ponit, doctrinis de ſummo bono & ſumma felicitate inſervientia; tractatione ſecunda deinde ſpeciatim agit de ſummo bono, id quod *DEUM* eſſe, tam ex Scripturæ S. dictis, quam ductu Philoſophiæ ſufficientibus commonſtrat rationibus, ſimulque objectiones huic ſententiæ a quibusdam oppoſitas refellit, adductis & gentilibus & Chriſtianis, hisque tam antiquioribus, quam recentioribus, eandem foventibus ſententiam. Tractatione tertia tandem proponit doctrinam de ſumma felicitate, quæ conſiſtit in *conjunctione cum DEO*, cujus vinculum, teſte Philoſophia, eſt *amor*, &, teſte Scriptura S. *fides*. Tota hæc tractatio quatuor abſolvitur quæſtionibus, quid ſit vera & ſumma felicitas, quotuplex ſit illa, quæ ad philoſophiam pertineat, & quid diſciplina moralis conferat ad eandem? Capite *tertio* fundamenta ponit doctrinarum de ſummo malo & ſumma miſeria; deinde poſitis characteribus, & examinatis per claſſes omnibus rebus, tandem ſummum malum eſſe ſtatuit *philautiam pravam*; ſummam vero miſeriam, de qua in tractatione tertia agit, ponit in *privatione DEI*, ceu S. B. cujus medium eſt *odium* erga DEUM. Tota autem hæc doctrina quatuor pariter abſolvitur quæſtionibus, quid ſit vera & ſumma miſeria, quotuplex ſit illa, quænam ad philoſophiam pertineat, & quænam pars præſertim per moralem diſciplinam evitetur?

Pag. 56. 82. 105. 111. 169. 209. 213. 245.

tetur? Hæc duo capita non ideo præmittit Autor, ac si proprie ad Ethicam referenda sint; putat potius has doctrinas pertinere ad tractationem quandam generalem de eruditione, utpote cujus finis est summa felicitas, ejusque contrarium summa miseria. Interim duplicem ob causam hæc non omittere voluit capita, partim quia eo majori fundamento & distinctione ostendere potuit, quodnam genuinum sit Ethicæ negotium, partim quia hæ doctrinæ cum morali disciplina præ ceteris propinquum habent
Pag. 280. nexum. Capite *quarto* agit de præparatione generali; ubi
301. ostendit, quid sit præparatio ipsa, & investigatis iis omnibus, quæ in voluntate observantur, monstratque, propensiones & affectus voluntatis præsertim emendandos & præparandos esse; quo-
463. rum naturam consistere putat in propensionibus vehementibus: inde voluntatem ad *ordinatum amorem*, ex quo *vera virtus* derivatur, & ad *ordinatos affectus* præparandam esse docet; postea monstrat voluntatem præsertim ab *inordinato amore*, ex quo
540. *vitia* fluunt, *inordinatisque affectibus* purgandam esse; tandemque media emendationis atque præparationis ostendit eo-
607. rumque applicationem. Caput *quintum* agit de præparatione voluntatis speciatim; & sectione quidem prima ostendit Autor,
624. quænam in sola voluntate, quæ alias quoque pura dicitur, sint emendanda; secunda examinat pericula, quæ voluntati in concursu cum intellectu puro metuenda sint, & in quibus sit conservanda voluntas, ubi speciatim doctrina de Conscientia fusius
660. proponitur; in tertia exponuntur pericula, quæ voluntati ab in-
680. tellectu impuro, phantasia & sensibus imminent; quarta considerat ea, quæ in ipsa voluntate mixta deprehenduntur emendanda, ubi præsertim affectus sensuales fusius examinantur, &
750. medela genuina paratur; quinta constitutionem corporis
763. examinat, ea præsertim expendens, quæ pericula voluntati creare possunt. *Sextum* tandem caput de cognitione propensionum & affectuum agit. In omnibus capitibus præsertim id agit Autor, ut ostendat, quid ad veram emendationem & præparationem voluntatis conferre possit Philosophia, & ubinam desinat natura, gratiaque incipiat.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno M D C C XV.

MARTYROLOGIUM USUARDI MONACHI, hac nova Editione ad excusa Exemplaria XIV, ad Codices MSS. integros XVII atq; ad alios ferme L collatum, ab additamentis expurgatum, castigatum & quotidianis observationibus illustratum, opera & studio JOANNIS BAPTISTÆ SOLLERII Soc. Jesu Theologi.

Antverpiæ, ex Typographia Io. Pauli Robyns, 1714, fol. Alph. 4 plag. 12.

JOannes Baptista Sollerius, Societatis Jesu Theologus, inter Historiographos Sanctorum insignem famam adeptus, postquam de Patriarchis Alexandrinis Dissertationem Chronologicam, deque Raymundo Lullo Doctore Illuminato commentarium justum exhibuit, & utrumque opus T. V Junii inseruit, operam hand contemnendam Ecclesiæ præstitit, Usuardi Martyrologium edendo, illudque variis lectionibus & observationibus oppido eruditis illustrando. De quo opere antequam dicamus, monendum, id ipsum Serenissimo Principi ac Potentiss. Domino Joanni Wilhelmo Comiti Palat. Rheni, S. R. I. Archidapifero & Electori &c. dedicatum esse, cujus ut & Arcis Bensbergæ effigiem æri inscriptam in ipsa operis hujus fronte dedit. Nempe Vir eruditus in hac ipsa arce, regio splendore ad artes architectonicas mirifice extructa, benevole exceptus, & ad contemplationem rariorum librorum, picturarum, numorum, admissus, grati animi debitum persolvit, neque solum hanc benignitatem insigni eloquentia extulit, sed & reliqua Principis heroica facta ad pacis, belli, patriæque religionis decus

ſpectantia laudavit, inprimis vero illius in Raymundum Lullum impenſionem commemoravit, quem, divini & humani amoris ſpecimen, naturæ & gratiæ prodigium, miro, nec olim conceſſo elogio mactat. Ea ad Principem locutus, in Præfatione inſtituti ſui rationem pandit: nempe Uſuardum inter Martyrologos antiquos celebriorem jam a Bollando editioni deſtinatum fuiſſe. At dum nativæ ſimplicitati purgatum ab acceſſionibus eum reddere ſtudet, hancque operam difficillimam videt, ideo quod plerique Codices Hieronymi, Bedæ, & Adonis nomina præ ſe ferrent, multaque Uſuardo darent, quæ ad ipſum non pertinebant, fatetur Sollerius, Bollandum a propoſito ceſſiſſe, tracto ſecum Henſchenio, etſi alter ambove in verſandis Martyrologiis peritiſſimi eſſent. His itaque ex arena digreſſis ſeſe illud opus eſſe aggreſſum, idque jamjam agere, ut Uſuardi textum primæ integritati reſtituat, Codicum varietatem, characteres, ætatem, fidem, auctoritatem explicet, Martyrologiorum aliorum cum Uſuardo comparationem inſtituat, ut Lector quilibet non imperitus uno quaſi intuitu doceatur, ad quam Martyrologiorum ſeriem citato magno numero Codices ſint reducendi. Iſta in Præfationis fronte poſteaquam explicuit, ejusdem Cap. I monet, etſi multa a Baronio, Molano, Bollando, Henſchenio, Papebrochio, Florentinio aliisque præclare dicta ſint de Martyrologiorum origine, incrementis, diverſitate, in eo tamen omnes defeciſſe, quod ſingulorum Autorum ætatem, characteres deſcribendo, eo non penetrarint, ut eosdem inter ſe componendo explorarint, quæ primigenia Martyrologiorum capita, quæ qualisve ceterorum ex prioribus derivatio aut geneſis, quæque inter Martyrologos omnes connexio, conjunctio, propinquitas vel conſanguinitas exiſtat. Atque ita exiſtimat ad tria Capita omnes Martyrologos reduci poſſe, ſive ad autographa, quæ ex nullo alio fuerint tranſcripta. Ex his primum & vetuſtiſſimum eſſe Euſebii, vel potius Hieronymi, ſive illud verum ſit, ſive a poſteris falſo ipſis adſcriptum. Secundum habere locum celeberrimum illud a Venerabili Beda compoſitum, idque purum vel puro proximum, non quale Plantinus edidit, quod a Floro Eccleſiæ Lugdunenſis Sub-Diacono auctum fuit. Tertium quod Ado, Ra-

Ravennæ repertum in sui Martyrologii fronte collocandum putavit. Hos Martyrologiorum Patriarchas dicit, qui deinde Rhabanum, Adonem, Usuardum, Notkerum, Wandelbertum procrearint. Ejusdem Capitis Articulo primo probare satagit, Martyrologium Hieronymianum, licet ab Eusebio compositum non sit, nec Hieronymo satis tuto adscribatur, tamen Gavanti Bollandique judicio antiquissimum & Reipublicæ Christianæ utilissimum esse, ideoque temere a Valesio oppugnatum, melius a Florentinio in Editione illius A. R. S. MDCLXVIII defensum, quum certo constet Seculo VI illud esse antiquius, Gregorioque Magno notum, Eulogio Alexandrino Patriarchæ commendatum fuisse. Quantopere vero hac de re persuasus fuerit Sollerius, inde constat, quando ait: *Id quærimus, id volumus, id asserimus, Martyrologium istud omnium esse primum & vetustissimum.* Et mox: *omnino fatendum est, magnam confusionem, barbariem, inanes repetitiones diebus pene singulis occurrere, quibus quoque modo constituendis, explicandis, combinandis, distinguendis nimium quantum laborat Florentinius, tum nostri Majores, qui toti in eo sunt, ut ex dubiis certa, ex male compositis simplicia, ex luxatis integra, tum Palæstrarum, tum ipsorum Martyrum nomina efformentur.* Sectione secunda hujus articuli de Hieronymianis Minoribus MSS. ex scriptis codicibus agit, idque in gratiam Cl. Castellani Paris. ad D. Mariæ Canon. A. MDCCXI defuncti. Refert, Martyrologium Hieronymi Hybernicum Tamlactense a P. Colgano promissum, sibi a Livino de Meyer Collegii Lovaniens. Rectore transmissum, ultra meritum commendatum esse, cum præter sanctos Hybernos habeat additamenta nova, omnique ordine careat. Mox Rhinoviense, sed mutilum, Richenoviense nitidum, Augustanum mutilum, & Labbeanum, Corbejense brevi stylo paucis Sanctis ornatum, Castellano magni habitum: Casinensia duo, quorum prius non satis parum, alterum magis ad Hieronymi autographum accedat: Barberinianum parvum, quod singulares elogiorum formulas Sanctis addit: Barberinianum secundum: Vaticanum diffusum, & illustre Henschenio dictum, ridente Sollerio, nec meritum agnoscente: Suecanum

idque vetustissimum atque præclarum, a Castellano in Bimestri suo, sed non sine hallucinatione memoratum: Sancti Maximi Trevirense valde contractum: Vallicellanum, quod stylum Hieronymianum brevitate sequatur: Trevirense S. Martini immixtis rubricis e variis collectum: Coloniense S. Mariæ de Gratia characteristicis suis magis distinctum: Romano-Gallicum meris compilationibus constans: Aquisgranense ad Hieronymi stilum accedens: & aliud S. Petri Vaticanum, quæ omnia formulam Hieronymianam exprimant. Articulo II de Bedæ & Flori Martyrologiis conjecturas novas promit, ostenditque, Bedam ab A. 673 usque ad A. 735 adeoque 52 annos vixisse. Florum A. 830 scripsisse. Martyrologium, quod sub Bedæ nomine Plantinus 1564 edidit, ipsius non esse, sed ex Adone compilatum, verum illius fœtum ab Historiographo S. Henschenio ante T. 2 Martii publicatum esse. At quum magna lis eruditos intercedat, num illud ipsum Martyrologium Bedæ adscriptum, ita ad ipsum pertineat, qua ratione Henschenius & Papebrochius illud ediderunt, distinctis iis, quæ ad Bedam, iisque quæ ad Florum pertinere videbantur, Sollerius suam mentem exponit, non sibi videri, rem a Duumviris illis recte expeditam esse, sed multo accuratiorem secretionem denuo esse instituendam, ut agnoscatur, quod Bedæ, quod Floro proprium. Etiamsi vero agnoscat, totum illud negotium in tenebris jacere, hac tamen via sese putat indagasse, quid ad unumquemq; illorum pertineat. Nempe quum legisset, Bedam Martyrologium, quod libero sermone scripserat, carmine reddidisse, existimat, Sanctorum descriptiones, quorum nomina in Bedæ Martyrologio metrice continentur, pertinere ad Bedam, reliquas omnes quæ in illo Metrico non continentur ad Florum referendas esse. Cui invento si insistendum, certum utique istud adminiculum foret, ut, quod Beda, quodve Florus in ea re præstitit, rectius agnosceremus. Sed illa Lectoris judicio pro modestia sua committit, inque ipso Usuardo Bedam & Florum juxta illam editionem Papebrochianam citat. Articulo III de Wandelberto agit Monacho Prumiensi, qui in diœcesi Trevirensi scripsit. A. 842 Martyrologium edidit Metricum,

eum, quod sub titulo Ephemeridum falso Bedæ adscribitur, Tomoque I operum inseritur. Is admodum jactabundus ait, se Bedam & Florum & authenticos libros secutum Martyrologium conscripsisse, quem tamen Sollerius ait magis ornate, quam vere illud dixisse. Etiamsi enim quosdam Sanctorum suorum ex Hieronymianis schedis deprompserit, ceteros tamen aliunde accersitos sua ipsum autoritate adjecisse, ac libero nimis calamo versatum esse, nisi forte id ipsum interpolatoribus sit adscribendum. Wandelberto porro aliquam cum Usuardo familiaritatem intercessisse, vix asserere audet, tandemque magis ad dubitationem vergit, quum Usuardus fontes suos indicando Wandelberti nullam mentionem faciat. Mox B. Rhabanus Maurus sistitur, ex Monacho Fuldensi Archiepiscopus Mog. qui dimissa Abbatia Fuld. 845, dum privatus viveret, Hieronymi & Bedæ & Flori operibus sua addidit, congestis temere, quæ ad Fuldenses seorsim pertinerent. Laborat inæqualitate, ideo, quod aliqui Sanctorum jejune admodum describantur, alii longis elogiis vestiantur. Usus illius potissimum in Germania fuit, neque limites transgressum ullo judicio constat. Nemo ipsum, nisi solus Notkerus sequitur. Notkerus Rhabanum excepit, S. Galli monachus A. 870, mortuus anno 912. Vide Papebrochium d. 6 April. p. 576. Ejus martyrologium Canisius in Antiqu. LL. publicavit, idque ipsum Florentinius sæpe secutus, diu nescius, quod id pene ex Adone Viennensi descripsisset, quod si vero ille Hieronymianis, Rhabanianis & Adonianis spolietur, ad nihilum prope redibunt, quæ ex ejus Martyrologio sunt reliqua.

Cap. secundo de Martyrologio veteri Romano, quod Parvum Romanum dicitur, & a prima editione Rosweidianum, agit. Baronius putavit, illud Parvum Romanum Gregorio M. notum fuisse, eumque illud ipsum Eulogio Epistola supra citata indicasse. Cumque illius nanciscendi desiderio Baronius teneretur, Heribertus Rosweidus, putans, se id ipsum in Carthusia Coloniensi reperiisse, illud cum Adone vulgavit A. 1613 & Paulo V dedicavit, cui applausit Saussajus, atque ferme apotheosi donavit, mox animo lubrico, dum istud Martyrologium suis de

Dionyſio Areopag. opinionibus adverſum vidit, turpiter recantans, diris quodammodo devovit. Senſerat & Joh. Fronto, Kalendarii Romani editor, tum & Henr. Valeſius, & Bollandus, Rosweidum fuiſſe deceptum, neque characteres in celebri ad Eulogium Epiſtola exhibitos, in Martyrologium a Rosweido editum quadrare poſſe, cum Gregorii teſtimonio conſtet, in eo volumine non indicari, quid quilibet ſit paſſus, ſed tantummodo nomen & locus & dies paſſionis ponatur. Etſi vero neget Sollerius, Martyrologii Rosweidiani a Gregorio M. Pontif. mentionem eſſe factam, attamen adſtruit illud venerabile & perantiquum, idque ipſum eſſe, quod ab urbe Romana Aquilejam cuidam Sancto Epiſcopo miſſum & Adoni deinceps præſtitum, ab eo in capite ſui operis poſitum fuit. Jam quum Valeſius ſingulari diſſertatione & Hieronymianum & Rosvveidianum Martyrologium fuiſſet aggreſſus, depugnaſſetque, ante Sixtum V nullum in Eccleſia Romana fuiſſe proprium martyrologium, Sollerius Artic. 2 hujus capitis, etſi jamjam Florentinius ſuum Hieronymianum vindicaſſet, pro Rosweidiano, ſeu Parvo Romano in aciem deſcendit, oſtenditque, tale martyrologium annos abhinc mille extitiſſe, ideo, quod Concilium Cloveshovienſe, ſub Cuthberto Dorobernienſi habitum Anno 747, tum Abbates Franciæ in conventu Aquiſgranenſi, ad martyrologium Romanæ Eccleſiæ provocent, quod cum de Beda & recentioribus accipi nequeat, reſtare ait, Romæ aliquod martyrologium ante Sixti V tempora extitiſſe. Et ea quidem autoritas tanta Mabillonio viſa, ut in Præf. ad Sec. IV Bened. ſe ea propemodum conſtringi faſſus ſit; multo autem apertius Claudius Caſtellanus ſuum ſuffragium pro Rosweido tulit, agnoſcens, id ipſum pro vero Romano parvo agnoſcendum eſſe. Hinc articulo ſecundo ad Frontonem & Sauſſajum & Florentinium verſus, inter quos, cum Sauſſajus martyrologium Rosweidi merum Bedæ indicem aſſeruiſſet, Florentinius, ideo, quod illud in uno tantum codice repertum, dubitaret, Solerius illa tela imbellia dixit, majori impetu Bekium Rosweido inimicum ipſique chronologicis ra-

tioni-

tionibus insultantem refellit, eumque nec argumentum, de quo tractandum erat, nec libros, quos manu versabat, satis cognovisse, redarguit; cui solatio sit, Saussajum ad calcem articuli non melius exceptum, hocque de ipso judicium esse latum: Opera ejus Paris. in summo esse vilipendio, & Martyrologium Gallicanum ab eo editum plaustra mendaciorum continere, in quo Bailletum suffragatorem habet. Deinde §. 2 p. 30 adversus Florentinium agit, qui Parvum Romanum ex Adone depromptum opinatus fuerat, ideo, quod annum a Kal. Jan. ordiatur, & vocabulo Papæ frequentius utatur, quod ex mandato Gregorii VII factum putat, quem promiscua illorum temporum & martyrologiorum consuetudine refellit, quæ a Sec. VIII fastos suos a Kal. Jan. cœperit, tum ipsomet Martyrologio Hieronymiano, quod ipsum Papæ cognomento frequentius utatur. Quin imo tanto fortius colligit, Rosweidianum Romæ scriptum esse, ideo quod Papæ titulo frequentius inhæreat. Articulo tertio probare nititur, Adonem, Romanum Parvum suo martyrologio præfixisse, idque se ex diuturna & laboriosa collatione deprehendisse fatetur, inque ea re Adonem sibi præluxisse: porro ostendit, Adonem sua ex Hieronymiano non deprompsisse, 2. martyrologium, quo usus Romæ fuerit, Ravennam missum, atque in Capite Martyrologii positum esse. Articulo II id ipsum ex characteribus propriis, stylo, genere, ætate demonstrat. Nempe, quod raro Sanctitatis elogio utatur, vigiliasq; raras notet, quod vetustorum martyrologiorum sit insigne. Porro ait, si Romanum Parvum ex Adone fuerit excerptum, ipsum tot dies vacuos relicturum non fuisse, sed eos ex Adone impleturum.

Cap. III de Adonis & Usuardi propagine ex Romano Parvo disserit, quorum illud Aloysius Lipomanus edidit primus. Vitam ejus ex Mabillonio transcribit. Hinc de Usuardo Monacho Pratensi, sub Carolo Calvo anno 875, qui Adonem excepit, quique sua ex Adone sub Flori nomine latente pleraque deprompsit. Quod ex Usuardi

Præ-

Præfatione adstruit. Artic. III de Editionibus agit Usuardinis, Lubecana 1475, quæ sub titulo Rudimenti Novitiorum prodiit, Belgica sub tit. Jacobi de Voragine 1480, Coloniensi 1490, Parisina autore Johanne Munerato 1536, Veneta per M. Belinum de Padua, typographo Joanne Spira, 1498, Greveniana anno 1515, & 1521, Lovaniensi per Joh. Molanum procurata, 1568. Articulo IV. codices Usuardini MSS. recensentur. Pratensis, multis lituris, evasionibus, superinductionibus, adjectionibus, detractionibus, mutationibus respersus. Codex Herinienfis, quo usus Sollerius, qui ad Sec. XI spectat. Tornacensis ad Sec. XIII pertinens. Rosweidianus ad Sec. XII. Antwerpiensis, Marchianensis, Aquicinctinus, & Centulensis. Articulo V Extracta & Lectiones variantes, Articulo VI editionis fides, ratio, ordo demonstrantur.

In fronte uniuscujusque Mensis cruciatus Martyrum æneis incisi laminis apparent, non multum discrepantes ab his, qui apud Gallonium conspiciuntur, ut ita nihil plane omissum sit, quod illam editionem summopere gratam reddere queat. Tacemus de observationibus eruditis cuique diei subjectis, quas integras a Lectore cupido delibari volumus & suademus.

BIBLIOTHECA COISLINIANA OLIM Segueriana, sive Manuscriptorum omnium Græcorum, quæ in ea continentur, accurata descriptio, studio & opera D. BERNARDI de MONTFAUCON, Presbyteri & Monachi Benedictini e congregatione S. Mauri.

Parisiis, apud Ludov. Guerin & Car. Robustel, 1714 fol. Alph. 9 plag. 2 cum fig. æn. pl. 6.

Quam

QUam bibliothecam magnis quondam ſumtibus collegit Vir illuſtris Petrus Seguerius, Franciæ Cancellarius, eam hæreditatis jure jam poſſidet Vir Excellentiſſimus & Illuſtriſſimus Henricus Carolus du Cambont de Coislin, Dux & Par Franciæ, Epiſcopus Metenſis. Is Reipublicæ literariæ ſe gratiſſimum facturum ſperans, ſi Græcorum codicum, quos ea bibliotheca luculentiſſimos habet, Catalogum ſatis amplum conficiendum pariter & edendum curaret, rem cum Autore Celeberrimo communicavit, qui laborem iſtum ſuſcepit, præſentique volumine publico uſui conſecravit. Quamvis enim bibliotheca laudata non Latinis ſolum & vernacula lingua conſcriptis, ſed & Hebraicis, Syriacis, Arabicis, Copticis, & Slavicis quoque codicibus ſuperbiat, Græci tamen præcipue doctorum virorum attentione digni ſunt habiti. Numerus eorum ad quadringentos pertingit, quos inter multi ſunt ex monaſteriis montis Atho eruti, quales alias rariſſimos, ſibiq; nondu n viſos, in Palæographia Græca teſtatur noſter Montfauconius. Eſt autem iſte Catalogus ad eum modum confectus, quo Lambecius Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem recenſuit, ita ut ſingulorum codicum ætas indicetur, folia numerentur, & ubi ante latuerit, aut a quonam librario ſcriptus ſit, & quæ alia forte occurrunt, adnotentur. Partibus conſtat tribus, quarum *prima* codices primæ magnitudinis in folio, *ſecunda* in parvo folio & quarto, *tertia* in octavo continet. Singula pars in capita ſex vel ſeptem diſpeſcitur, ita ut 1 Codices Biblici & Catenæ, 2 Synodi, libri Canonum & Rituum, 3 Patres & Scriptores Eccleſiaſtici, 4 Hiſtorici ſacri & profani, 5 Juris Canonici & Civilis ſcriptores, 6. Philoſophi, Medici, Mathematici, Geographi, 7 Poetæ, Grammatici, Lexicographi, Rhetores & Oratores enarrentur.

Ex jam dictis facile conſtat, non nudam in hoc volumine titulorum exhiberi recenſionem, ſed ad morem Lambecii multa moneri, tum quædam hactenus inedita, collationes item quorundam codicum cum editis auctoribus occurrere. De ſingulis pauca quædam ſpeciminis loco addemus.

Primo ſtatim loco memoratur Codex antiquus Octateuchum p. 1.

chum & libros quatuor Regnorum continens, ex quo vetustissimam capitum divisionem, eamque in Pentateucho & libris Regum duplicem, descripsit Noster. Utraque vero singularem prorsus usum habet in evolvendis sacræ Scripturæ locis, prout quidem variis temporibus aliter atque aliter allegantur. Variantes vero lectiones, quas ex hoc & octavo Codice adduxit, tum Appendici Hexaplorum Origenis A. 1713 editorum, tum
Pag. 44. ipso etiam operi inseruit. In Codice octavo, quo quatuor Regum libri cum variis aliorum interpretum lectionibus, aliquot item Patrum Commentariis continentur, frequens est Severi Antiocheni Patriarchæ, Acephalorum principis, ejusque operum mentio, quorum titulos Montfauconius cum cura excer-
53. psit, tum quoque ex aliis Autoribus & Codicibus Catalogum omnium scriptorum Severiani, quantum potuit, locupletissimum confecit. Codex LXXIX complectitur Eclogas sive se-
134. lecta ex operibus S. Joannis Chrysostomi, in quo notatu dignæ sunt tres imagines Nicephori Botoniatæ Imperatoris CP. ob habitus, coronæ, & sceptrorum figuras ex istorum temporum more
136. depictas. Ultima ex istis Imperatorem sistit, quatuor ministris primariis stipatum, quorum hæc sunt nomina. 1. Πρωτοπρόεδρος πρωτοβεστιάριος, cujus munus erat curare vestes Imperatoris. 2. Πρωτοπρόεδρος ὁ ἐπὶ κανικλείου, Præfectus caniculi, qui caniculum seu vas liquoris phœnicei vel cinnabaris ministrabat. 3. Πρωτοπρόεδρος καὶ δεκανός, Decanus, quæ dignitas non Palatina est, sed Ecclesiastica. Miramur Codinum, qui de officiis aulæ CP. p. 9 Decanum inter Ecclesiasticos quidem, sed non primo loco, recenset. Nisi forte dignitas post Nicephori tempora, cujus usui Codex laudatus inserviebat, immutata, nomen vero servatum fuit, quod alias frequenter accidisse certissimum est. 4. ὁ πρωτοπρόεδρος καὶ μέγας πριμικήριος, cujus munus præcipuum erat sceptrum Imperatoris gestare.
144. 312. Porro ex duobus Codicibus enarrantur tituli & initia epistolarum Theodori Studitæ quingentarum, quarum vix dimidia pars a Sirmondo edita est, pleræque etiam laceræ, quæ ex his
155. codicibus suppleri possunt & emendari. Idem fit de operibus Georgii Palamæ Archiepiscopi Thessalonicensis, quorum hypotheses.

heses & argumenta prolixe recensentur. Codex CCII quinto vel sexto seculo scriptus epistolas Pauli complexus est, sed mutilus in nostram bibliothecam pervenit. Videtur in Palæstina vel Syria scriptus esse, nam Calligraphus testatur hoc exemplar se contulisse in Bibliotheca Cæsareæ cum Codice ipsius Pamphili manu exarato. Constat saltem foliis XIV; nam reliqua ab insulso quodam monacho ad compingendos alios libros sunt adhibita. Omnia tamen quæ in iis continentur, impressa edidit Cl. Montfauconius, quia Codex integer ἐν στίχοις conscriptus erat, quorum nos quoque specimen ex initio epistolæ ad Titum afferemus: Pag. 251.

Παῦλος δοῦλος θεοῦ,
ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ χριστοῦ
κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν
θεοῦ, καὶ ἐπίγνωσιν
ἀληθείας τῆς κατ᾽ εὐ-
σέβειαν,
ἐν ἐλπίδι ζωῆς αἰω-
νίου ἣν ἐπηγγείλατο
ὁ ἀψευδὴς θεὸς πρὸ
χρόνων αἰωνίων. &c.

Additum quoque est specimen characterum ejus, qui antiquitatem seculorum dictorum procul omni dubio redolent. 262.
Occasione codicis CCLXVII, qui magnam partem operum S. Maximi complectitur, inseruit Cl. Autor conspectum operum Maximi, qualem ediderat Combefisius. 307.

Anecdota vero opera vel fragmenta quamplurima in hac bibliotheca reperies, ex quibus quædam notabimus. Ex codice XXIII eduntur Severi Archiepiscopi Antiocheni, de quo supra, Concordantiæ Evangelistarum circa ea, quæ in sepulcro Domini, quo die resurrexit a mortuis, contigerunt; item de Sabbatis, & varietate exemplarium S. Marci Evangelistæ. Ex Codice XXXIV affertur Styliani, cognomento Mappæ, Neocæsareæ in Euphratesia Metropolitæ, opusculum de Trinitate, ubi minutatim omnia, quæ ad tantum mysterium spectant, explicantur. Ex Codice XXXIV epistola Nicænæ Synodi II ad Alexandri- 68. 88. 96.

Pag. 202. nam Ecclesiam circa sacras imagines. Ex Codice CXXXVI
prologus ad Historiam Byzantinam Joannis Scylitzæ, longe
prolixior eo, qui præmittitur historiæ Georgii Cedreni, & non
pauca de Scriptoribus historiæ Byzantinæ nova & notatu digna
continens. Ex Codice CCXXVIII nobile & insigne fragmen-
287. tum Stephani Byzantii de urbibus, non ex Epitome ejus, sed ex
ipso Stephani opere integro. Hoc fragmentum non semel ty-
pis excusum fuerat ad fidem hujus MS. sed ex apographo Sam.
Tennulii, mendis multis & gravissimis referto, nunc vero a
Montfauconio nostro ex hoc ipso codice emaculatum prodit. Ex
346. Codice CCLXX eduntur aliquot quæstiones Photii, item ejus-
dem historia Manichæorum ab ortu hujus hæreseos ad suum us-
457. que tempus. Ex Codice CCCXLV specimina multa & ampla
ex Lexicis numero 15, quorum titulos adscribemus. 1. Apollo-
nii Sophistæ Lexicon Iliadis & Odysseæ. 2. Phrynichi Arrabii
sive Arabis apparatus Sophisticus. 3. Collectio Vocum ex va-
riis Auctoribus. 4 Timæi Sophistæ voces Platonis. 5. Ano-
nymus. 6. Vocum Herodoti Lexicon. 7. Mœridis Atticistæ
Lexicon, quod nuper in Anglia excusum est. 8. Vocabula ju-
ris. 9. Collectio vocum Luciani. 10. Vocabula rhetorica.
11. Vocabula Octateuchi. 12. Vocabula Alexandræ Lycophro-
nis & argumentum operis. 13. Lexicon Grammatices. 14. Vo-
cabula quæ in Officio Græcorum occurrunt in festis per annum.
514. 15. Opusculum de syntaxi, ordine alphabetico. Ex Codice
CCCXLVI liber Tacticorum editur, ab Arriani, Æliani, & alio-
rum Tacticis multum diversus. Denique codices Cois-
linianos tres contulit Autor cum editis, Dionis Epitomen
421. a Joanne Xiphilino confectam, cum editione Henr. Stephani:
521. Annæ Comnenæ Alexiada cum editione Regia; & Cl. Ptole-
611. mæi Geographiam cum editione Lugduno-Batava a. 1618 in lu-
cem emissa. Accessit ultimo loco Operi splendidissimo Index
rerum admodum copiosus, ex quo de utilitate ipsius operis ju-
dicium fieri facile poterit.

IRENÆI

IRENÆI FRAGMENTA ANECDOTA, quæ ex Bibl. Taurin. eruit, Latina versione notisque donavit, duabus Dissertationibus de oblatione & consecratione Eucharistiæ illustravit, denique Liturgia Græca Jo. Ern. Grabii & Dissertatione de præjudiciis Theologicis auxit CHRISTOPH. MATTHÆUS PFAFFIUS.

Hagæ Com. sumt. Henr. Scheurlerii, 1715, 8. Alph. 1 pl. 18.

CL. Editor, qui non solum *Dissertatione critica de genuinis N. T. lectionibus*, Amstelodami A. 1709 edita, verum etiam publicatis *Lactantii* aliorumque reliquiis, in Taurinensi bibliotheca repertis, (Vid. *Acta* nostra A. 1713 p. 70) clarum consecutus nomen est, nunc ex eodem MSS. codicum præclaro thesauto producit *Irenæi*, cujus novissimam eandemque optimam editionem *A. 1712 p. 173* recensuimus, fragmenta quædam nondum publicæ luci exposita. Eruit autem hæc ex Græcis aliquot Catenis, quas vocant, ubi Irenæi nomine præscripta se offerebant. Neque vero verendum est, ne forte Irenæi nomen perperam hisce fragmentis sit adjunctum, cum, judice Editore, (1) gravis illa & majestatem quandam præ se ferens scribendi ratio, qua utitur Irenæus, hic quoque adhibita sit: (2) insignis tum styli, tum rerum convenientia cum iis, quæ Irenæus in *libris contra hæreses* dixerat, deprehendatur: (3) codices, ex quibus hæc desumta, fidem suam ad nauseam usque tentatam ita probarint Cl. Editori, ut omnia Patrum loca, ibi citata, in editionibus impressis invenerit, adeoque dubitari non posit, has quoque Irenæi citationes esse fideles fideque dignas. Equidem *Scipio Maffejus*, Marchio Veronensis doctissimus, in *Diario Eruditorum*, quod Venetiis Italica lingua publicatur, Irenæo hæc fragmenta abjudicavit: sed rationes ejus minus firmas esse, in Præfatione ostendit Cl. Pfaffius.

Quatuor autem sunt, quæ hic exhibentur, Irenæi fragmenta, eaque parum longa. In *primo* (cujus hiatum voce εὐμαϑῆ inserta explemus, repudiantes Cl. Editoris τὸ εὐμαϑὲς,) Ire-

næus docet, Christianismum veramque Theologiam non consistere in rerum difficilium scientia & doctis Disputationibus, sed in studio sanctæ vitæ & imitatione Christi. In *secundo* de oblatione eucharistica veraque ratione S. Cœnæ disserit. In *tertio* castigat eos, qui de ciborum delectu aliisque externis rebus disceptantes ea, quæ maxima sunt, fidem & caritatem, negligunt. In *quarto* denique finem & scopum incarnationis Christi paucis exponit. Singula multiplicem disserendi materiam præbuerunt doctissimo Editori, ex cujus notis ad fragmentum *secundum* hoc unum docemus Lectores, eum cum Massueto acriter disputare de vera verborum Irenæi sententia, illo in Romanensia castra rapiente Irenæum, Pfaffio contra Lutheranis eum associante. Credibile autem est, fore, ut uterque videatur Reformatis τῇ ὑποθέσει δουλεύων fuisse. Nam cum hi sibi persuadeant, Ecclesiam trium priorum seculorum verba illa Institutionis metaphorico cepisse sensu, longe facilius ipsis futurum est, Irenæi verba hujusce fragmenti sua cum sententia conciliare.

Pag. 161. Progredimur ad subjectam a Cl. Pfaffio Dissertationem *de oblatione eucharistiæ in primitiva Ecclesia usitata*, qua ostensum it, veteres in celebratione Eucharistiæ duntaxat panem & vinum, non corpus & sanguinem Christi, obtulisse, simulque *Hikesii*, *Zephyrini de Pace*, *Bossueti*, aliorumque, qui hanc panis vinique oblationem pro proprio & propitiatorio N. T. sacrificio habent, sententiam refellit. Quæcunque hic disputat, ad sex capita reduci possunt. Scilicet probandum suscepit *primo*, ritus celebrandi Eucharistiam a Christo transsumtos esse ex iis, qui illo tempore in usu apud Judæos erant, maxime ex ritibus Cœnæ paschalis: *deinde*, in Scriptura *novæ oblationis* terminum non reperiri, quam Christus novissima cœna instituerit, multo minus dici, quod in eadem corpus sanguinemque suum Deo Patri in propitiationem obtulerit: *tertio*, in tribus prioribus sæculis panem duntaxat vinumque, sed ante consecrationem maxime, oblata fuisse, & quidem precibus consecratoriis: *quarto*, secundum Liturgias tum Græcas tum Latinas nonnisi panem vinumque tum ante tum post consecrationem offerri: *quinto*, termi-

terminos *oblationis propriæ, veræ & propitiatoriæ* valde æquivocos esse, multisque logomachiis occasionem præbere: *sexto* denique, sacrificium corporis Christi repetitum, quod in Romana Ecclesia creditur, ab oblatione eucharistica veterum plurimum differre. Inter hæc alia quoque notatu digna se offerunt, ut § 4 de more prisco, vinum eucharisticum aqua miscendi: § 35 & 36 de precibus pro mortuis olim usitatis: & id genus plura.

Succedit Dissertatio *de consecratione eucharistiæ in primitiva Ecclesia usitata*, qua ostenditur, eam in precibus olim, maxime vero in ἐπικλήσει Spiritus S. constitisse, ab Ecclesia vero Romana postea mutatam fuisse, totam consecrationem ponente in solis verbis Institutionis. Ordinem hic sequitur Cl. Autor eum, ut doceat (1) Christum precibus & peculiari benedictione, cujus formula non sit litteris prodita, sacramentum eucharistiæ instituisse & consecrasse: ejusque exemplum secutos esse Apostolos: (2) Liturgias Græcas omnes per invocationem S. Spiritus consecrationem perficere: (3) Patres, etsi sanctificationem symbolorum virtuti Spiritus S. adscribant, tamen in eo discrepare ut modo verbis institutionis, modo precibus invocationis, adscribant consecrationem: (4) in Liturgiis priscis Latinis consecrationem precibus perfici: (5) Græcos in Concilio Florentino simulasse concordiam cum Latina Ecclesia in hoc argumento: (6) effectum consecrationis esse præsentiam realem, quæ nonnisi in usu se exerat: (7) ministros consecrationis esse Sacerdotes, qui recitando verba Institutionis & adjungendo preces Deum commoveant, ut unionem sacramentalem perficiat. Pag. 351.

Huic Dissertationi subjungit *Liturgiam Græcam* a *Jo. Ern. Grabio* ad normam veterum Liturgiarum compositam. Scilicet antiquæ Ecclesiæ reverentia tanta insederat Grabio, ut, cum in consecratione S. Cœnæ olim adhibitam fuisse sciret invocationem S. Spiritus, ipse quoque hodie eam crederet necessariam, eamque ob causam, quoties sacra communione utebatur, acciperet sacramentum a sacerdote, peculiarem adhibente liturgiam, liturgiis veteris Ecclesiæ magis conformem. Hoc supra jam narravit Cl. Pfaffius, nunc addens, Grabium, postquam a 479. 346. 500.

Spenero

Spenero publico ſcripto meliora edoctus animum in caſtra Pontificiorum transeundi mutaſſet, eodemque Spenero ſuaſore Angliam petiiſſet, ibique, quam in Romana Eccleſia quæſiturus antea erat, Epiſcopatus ſucceſſionem inveniſſet, ab eo tempore a Romanis partibus ſemper alienum fuiſſe, idque & viva voce & ſcripto ſatis declaraſſe, adeoque in communione Eccleſiæ Anglicanæ mortuum eſſe, etſi privatos intra parietes peculiarique forma adhibita ſacramentum Euchariſtiæ acceperit. Ceterum Grabianam illam Liturgiam Cl. Editor & verſione & notis inſtructam exhibet.

Pag. 529. Tandem ſiſtitur Diſſertatio *de præjudicatis opinionibus in religione dijudicanda fugiendis:* ubi de præjudiciorum Theologicorum cauſis, varietate, affectionibus, effectu, remediis tum veris tum falſis, Pyrrhoniſmo itidem atque ἐποχῇ Theologica, agitur, nuperusque etiam *de libertate cogitandi* libellus examinatur. Hunc libellum nos quoque anno ſuperiore,
229. menſe Majo, recenſuimus, itemque animadverſiones in eum eruditiſſimas Cl. Bentleji, in eo tamen errantes, quod rumorem ſecuti *Tolando* eum tribuimus, cujus verum autorem eſſe *Antonium Collinum*, Anglum, Tolandi amicum, (huic enim Tolandus *Livium* ſuum ἀδεισιδαίμονα dedicavit,) ex eo tem-
535. pore comperimus, idem confirmante hic Cl. Pfaffio, ex cujus Diſſertatione bonæ frugis pleniſſima non nihil repetendum du-
536. cimus. In limine ſtatim monet, doctos inter homines omnium minimam operam evellendis præjudiciis dare Theologos, ſed opinionibus receptis cœco aſſenſu ita adhæreſcere, ut, qui errores inveteratos refellere audeant, eos hæreſeos infamia protinus
537. adſpergant. Quid? eos negare, ſua in ſecta eſſe præjudicia Theologica. Quod quidem Noſtro facetum videtur: cum tales ſupponere neceſſe ſit, aut ſectam ſuam eſſe infallibilem, aut
573. nunquam erraſſe. Obſervat etiam, Reformatores Eccleſiæ, niſi depoſuiſſent præjudicia a doctoribus ſuis hauſta, nunquam
583. perventuros fuiſſe ad veritatem. Ceterum inter remedia contra præjudicia primo loco commendat ἐποχὴν theologicam (quam ſtolidum vulgus pro Diabolica tentatione venditat,) judi-
596. ciique ſuſpenſionem: hinc diligentem Scripturæ ſacræ lectionem

nem, cum studio linguarum, artis Criticæ, & Historiæ Ecclesiasticæ conjunctam: denique sincerum veritatis amorem, nulli parti addictum. Qua occasione perversam Studii Theologici methodum notat, qua vulgo theses publice receptas prius docemur, ac tunc demum dicta S. Scripturæ quæruntur, quibus dogmata pro veris jam supposita probentur: cum contra a studio exegetico initium sit faciendum, & hinc demum construendum Systema theologicum. Digna quoque memoratu est regula, quam veritatis theologicæ studiosis præscribit. *Ubi*, inquit, *convenire atque in unam descendere sententiam non possumus, qui veritatem quærimus, id unum superest, ut illibata caritate nos invicem toleremus; cogitantes, scientiam hujus sæculi esse imperfectam, debilemque fratrem, qui dissentiat, patienter ferendum esse.* Inter falsa præjudiciorum theologicorum remedia primum locum concedit Pyrrhonismo theologico, quo tota religio Christiana in dubium vocatur. An autem recte fecerit, cum simpliciter eum tribuit hodiernis philosophis, alii judicent. Nobis sane videtur solidissima philosophiæ cognitio adeo necessaria iis, qui præjudicia theologica exuere gestiunt, ut, Cl. Autorem minus recte omisisse hanc inter remedia a se prolata, judicare non vereamur, approbantes Scheckianum illud, ab *Hornio* in præfatione ad *Historiam philosophicam* laudatum: *Ego quidem sic judico, tum demum fore quietas ac beatas Ecclesias, si aut philosophi veri dent operam theologiæ, aut theologi philosophentur pie.* Ceterum dum Pyrrhonismum illum theologicum refutare conatur eique remedia quædam opponit, etiam nonnulla reponit *Collino* superius memorato, ejusque fundamenta paucis subvertit. Hisce recensionem nostram finientes merito recordamur monemusque, eodem hoc anno Argentorati quoque publicatam esse Argentoratensis Theologi celeberrimi, *D. Jo. Henr. Barthii, Diatriben Theologicam de Præjudiciis, quæ sunt veritatis impedimenta:* quæ & ipsa lectu dignissima est, veritatisque cognoscendæ viam reddit planiorem.

Pag. 561.

611.

621.

628, seqq.

JO. FR. BUDDEI HISTORIA ECCLESIAstica V. T. ab Orbe condito usque ad Christum natum, variis observationibus illustrata.

Halæ Magd. impensis Orphanotrophei, 1715, 4.
Alph. 6.

IN Prolegomenis Summe Reverendus Autor intuitu duplicis regni divini, & naturæ & gratiæ, historiam in civilem & ecclesiasticam dividit, posterioremque fata aut Veteris aut Novi Testamenti respicere docet. Ea, quæ Veteris Testamenti est, partim œconomiam fœderis divini sub Patriarchis ante legem, partim œconomiam post legem a Mose latam ad Christi usque adventum complectitur. Et has tradere duas V. T. periodos secum constituit. Fontes, unde derivabuntur, non unius sunt generis. Primum quidem præcipuumque locum tenet Scriptura Sacra, cui tamen Scriptores Judæi, aut etiam Græci & Latini, qui de rebus Judæorum commentati, itemque alii, qui Gentium, quibuscum olim Judæis varia negotia intercesserunt, historiam condiderunt, non sine insigni aliqua utilitate junguntur. Sunt etiam inter veteres ac medii ævi Scriptores nonnulli, qui commentariis & chronicis suis historias V. T. illuminarunt, quibus illos addidisse, qui ex recentioribus Annales sacros & Compendia composuerunt, aut de ritibus & antiquitatibus Reip. Judaicæ, de veri falsique cultus dogmatumque verorum & falsorum historia, de vitis illustrium in V. T. virorum, & de Chronologia scripserunt, dignum erit operæ pretium. Neque tamen illi etiam plane sunt negligendi, qui historiam civilem, litterariam & philosophicam commentationibus suis illustrarunt. Omnium vero horum Scriptorum accuratus variisque observationibus doctis ornatus in Prolegomenis catalogus texitur. Quo peracto sistitur Periodus I ab Adamo usque ad Mosen, cujus se Sectio I a condito mundo usque ad diluvium extendit. Originem enim ecclesiæ antecessit origo totius universi, quam licet non æque ut Epicuræi, Stoici & Aristotelici in æternitatem commutent Christiani, variis eam tamen atque diversis intuentur oculis, philologice alii, alii physiologice, hi theo-

theologice, illi mystice, & cabbalistice, isti denique historice. Rectissimum ille iter ingreditur qui diligenter secum perpendit, 1) scopum præcipuum Mosis esse ad verum Deum, rerum omnium conditorem agnoscendum homines perducere, 2) licet universi originem describat, magis tamen ad nostram respicere tellurem, 3) Mosen non tam structuram & compositionem corporum, quam eorum originem & causam efficientem, Deum, designare voluisse, 4) creationem esse mysterium juxta assertum Pauli Ebr. XI, 5) neque etiam in historia creationis temere a sensu litterali esse recedendum. His bene atque sapienter monitis, sex dierum opera divina explicantur, non prætermissis iis, quæ alias circa ea disputari solent. Quod vero tempus, quo condi cœpit mundus, concernit, anno 1656 ante diluvium, sive circiter quater millesimo ante Christum natum eum esse creatum, rejectis quæ de Dynastiis Ægyptiorum, de Chaldæorum observationibus cœlestibus & denique de antiquitatibus Chinensium opponi solent, asseritur. Ecclesia vero esse incipiebat, cum primos homines ad imaginem suam conderet divina benignitas. Religionis, qua Deum colebant, summa haud inconcinne per rationem fœderis inter Deum & primum hominem ejusque simul nomine omnes ejus posteros initi explicatur. Conditiones ex parte hominis erant dilectio sincera, fides & obsequium, quæ Deus per status felicissimi continuationem immunitatemque a morte compensaturum se pollicebatur. Sed exploranda simul erat hominis obedientia per arborem scientiæ boni & mali, quæ reliquarum naturalium arborum una erat, nomen inde sortita, quod indicare debebat, num etiam mandatis divinis homines morem essent gesturi. Arbor vero vitæ, in medio horti statuta, collabascentis corporis vires reficiebat. Nam immortalitas in statu integritatis homini a Deo non absolute concessa erat, sed cum usu mediorum ad propagandam vitam ordinatorum. Quæ de institutione Sabbathi & matrimonii huc pertinent, brevibus edisseruntur, cum jam sint fusius in Inst. Theol. Mor. exposita. Sedes Ecclesiæ ante lapsum in paradiso erat, de cujus situ variæ eruditorum sententiæ sub examen vocantur. Lapsus vero primorum parentum

Pag. 63. 82. 97. 104.

tum infelicissimus ita narratur, ut Deum ejus causam non esse appareat. Iis enim viribus dum hominem Deus instruxit, ut e-
Pag. 114. vitare peccatum potuisset, si modo voluisset, simul eum a peccato retraxit, modo naturæ humanæ convenienti. Primus autem ad lapsum gradus struebatur per inconsideratum Evæ cum serpente colloquium, tum sequebatur incredulitas, hinc voluntatis a Deo ad se ipsum conversio, tandem in actum externum per fructus vetiti considerationem comestionemque erumpens. Serpentem illum seductorem naturalem fuisse genio aliquo malo obsessum docetur, rejectis Aben-Esræ, Sebastiani Schmidii, Is. Abarbanelis & Io. Clerici, qui diversum statuunt, sententiis. Restaurata autem fuit ecclesia, quæ funditus jam videbatur deleta, per promissionem de semine mulieris,
122. quo operum fœdus in fœdus gratiæ commutavit. Sedes ecclesiæ post lapsum extra paradisum fuit procul dubio in Syria & Mesopotamia. Nam a paradiso arcebantur primi parentes per flammam gladii vibrantis, hoc est, per ignes e cœlo emissos, seu ex terra sulphurea & bituminosa excitatos prope Paradisum. Potuit autem flammæ istius, ab Angelis excitatæ, duplex effectus esse, tum ut homines a regressu in Paradisum arcerentur, tum ut ipse Paradisus per eam sensim consumeretur. In ecclesiæ ipsius propagatione mox regnum lucis & tenebrarum se ostendebat, hoc in Caino, Iabale, Thubalcaino & Lamecho, per quos tamen an doctrina etiam corrupta fuerit
155. & πολυθεότης atque idololatria introducta, incertum est; illud in Setho, Enocho, aliis. Enoschus restauravit verbum divinum impiosque a piis secrevit. Parum enim commode vox הוחל ab Antonio van Dalen & aliis per *profanatum est* exponitur, eo animo, ut idololatriam ab his temporibus repetere possint. Paraphrasis quoque Onckelosi quam afferunt, *tunc*
159. *in diebus ejus superſederunt filii hominis ab invocando nomen Domini*, neutiquam illis favet: intelligi namque rectius de Atheismi vitio potest. Henochus non tantum pietate, cujus intuitu vivus in beatorum sedes transferebatur, sed etiam literarum laude claruisse dicitur. Agmen tandem eorum, qui ante diluvium vixerunt, claudit Noachus, cum quo Periodi I Sectio II, quæ a dilu-

diluvio usque ad vocationem Abrahami porrigitur, incipit. Aquæ autem pœnam summa hominum antediluvianorum procovabat impietas, ad quam cum Cainitis denique etiam præcipites devolvebantur Setithæ. Hoc est, quod innuit Moses Gen. VI,3, ubi per filios DEI Setithæ intelliguntur, quemadmodum per filias hominum, filiæ Cainitarum, cum quibus illi inibant matrimonium, unde prognati אנשי שם hoc est, viri fortitudinis laudem consecuti. Imitabantur enim נפילים per quos Gen. VI, 9 Moses designat non gigantes aut apostatas, sed invasores violentos & magnos latrones. Erat autem hoc diluvium universale, etsi Isaacus Vossius, Eduardus Stillingfleetus & Jo. Clericus pro particulari habeant. Dubium enim, quod de aquæ copia non sufficienti movent, ejusmodi est, ut solvi possit. Diserte ait Moses, *magnæ abyssi fontes erupisse*, Genes. XXVII, 11. Dari autem abyssi fontes seu aquas subterraneas, haud obscure colligere licet ex Cohel. I,3. Velle vero negare, sufficisse aquarum subterranearum copiam, nemini sane mortalium satis cognitam, plane temerarium foret. Accedebat etiam, quod cataractæ cœli aperirentur, hoc est, nubes omnes in aquam vi divina condensatæ maximam pluviæ copiam effunderent. Quodsi vero nec sic omnes tollantur difficultates, nihil obstat, quo minus dicamus, miracula quædam divina hic intercessisse. Deinde urgent, si universale fuisset diluvium, statuendum etiam esse, animalia singulis orbis partibus propria in arca fuisse. Unde tanta multitudo exsurgit, quam capere arca non potuit. At vero animalia, quæ regionibus quibusdam videntur propria, ab aliis, a quibus differre videntur, re vera specie sæpe non differunt, sed discrimen illud ab indole regionum provenit. Restituto tandem orbe Deus dominium in res creatas renovavit, pœnam homicidii capitalem constituit, signoque peculiari iridis securitati hominum prospexit. Religio Noachi a religione Patriarcharum antediluvianorum non erat diversa & præcepta illa Noachidarum, quæ celebrantur, summam quandam juris divini continent. Dubia contra hanc sententiam, olim jam in introductione ad hist. philos. Ebræor. p. 14, 15 propositam, mota hac occasione solvuntur. Postquam

Pag. 169.

180.

194.

enim evictum, quod hæc præcepta revera summam juris divini complectantur, cogitandum esse monetur, quod Noachus non humani tantum generis restaurator, sed etiam religionis propagator fuerit. Hinc nullum est dubium, quin præter fidem in Messiam etiam summam legum divinarum posteris suis quam diligentissime inculcaverit. An vero eam numero præcise septenario incluserit, aut totidem verbis conceperit, hoc quidem non asseritur. Et his observatis, objectiones sua sponte corruunt. Præter religionem sine dubio variæ queque & floruerunt & inventæ sunt artes, inter quas ratio plantandi tractandique vites ad vinum ex uvis exprimendum, referenda. Qua ipsa vero & Noacho & Chamo peccandi suppeditabatur occasio. Chamum enim improbum fuisse & diversum ab eo, qui Melchisedechus in libris sacris audit, contra Petrum Juriæum asseritur. Neque etiam Summe Reverendo Auctori placet opinio Hermanni **von der Hardt.** Ille enim, dum se adulterii vitio polluisse Chamum asserit, rem affirmat, cujus nulla non solum in Scriptura apparent vestigia, sed unde novæ simul difficultates oriuntur. Quæ enim Canaanis in eo culpa, quod ex incestu natus esset? Rectius illi sentiunt, qui Canaanem delicti paterni participem fuisse contendant, forte quod cum puer petulans & protervus avum indecore jacentem vidisset, id Chamo patri extra tabernaculum nunciasset, atque adeo primus Noacho dormienti procaciter illusisset. A posteris Noachi gentium atque populorum, qui huncce orbem incolunt, primæ origines derivandæ sunt, de quorum itaque dispersione, cum turrim Babelis frustra molirentur, & ex ea orta linguarum confusione, aliarumque, quæ exinde successu tamen temporis orbem universum occuparunt, gentium prima origine, magno eruditionis apparatu disseritur. Occasione vero Nimrodi atque Assuris de Babylonici atque Assyriaci regni ortu disputatur. Ab Ebero denique Ebræos descendisse constat, in qua Semi posteritate purior Numinis cultus quam diutissime floruit; cum contra aliæ gentes idololatria turpi, cui dispersio illa occasionem dabat, abriperentur. Curiosa sunt & multa eruditione referta, quæ hac occasione de origine idololatriæ S. R. Autor in-

Pag. 203.

sper-

ſpergit. Poſtquam enim præcedenti Lectione, eorum ſibi displicere ſententiam monuiſſet, qui originem idololatriæ ad tempora antediluviana referunt, ipſe eam tandem opinionem ingreditur, ac ſi illa demum poſt diluvium introducta, antequam Abrahamus patrios lares deſerere a Deo juberetur: licet de autore primaque idololatriæ ſpecie nihil omnino certi affirmari poſſit. Plane enim nullum, certe lubricum fundamentum eſt, quo illa omnia nituntur, quæ de Serugo, filio Regu, primo idololatriæ inventore narrantur. Veri admodum ſimile eſt, Solis, ac Lunæ, planetarum cultum primam fuiſſe & antiquisſimam idololatriæ ſpeciem, ut patet ex Job. XXXI, 26, 27. Pag. 243.
Ut vero priſci mortales Solem & Lunam pro Diis colerent, ea facile ratione fieri potuit. Divinitatem quandam agnoſcendam ſtatuentes, inſigni pulchritudine & majeſtate eam præditam eſſe, haud ſine ratione credebant. Sed cum ad immaterialia & inviſibilia non aſſurgerent, inter res creatas nihil, cui rectius divinitatis notio conveniret, deprehenderunt, quam Solem ceteraque ſidera cœleſtia: quæ animas incorruptibiles & immortales aut eſſe, aut habere, non tantum homines plebeji, ſed & Philoſophi, Platonici cumprimis, crediderunt. Alter inter idololatriæ ſpecies locus conceditur rerum ſublunarium cultui, earum præcipue, ex quibus aut utilitatem capiebant, aut a quibus ſibi metuebant mortales. Nam aerem & ignem & aquam, oceanum & flumina & terram inter Deos relata a Gentilibus conſtat. An vero imaginum ac ſimulacrorum cultus vetuſtior ſit cultu religioſo hominum, dubium eſt atque incertum. Occaſio interim, qua colere pro DIIS homines cœperunt, hæc fuit. Progenitorum generis humani, eorumque qui ſe cœtibus integris duces atque anteſignanos præbuerant, magna apud poſteros celebritas erat atque veneratio. Ab his cum magna in homines profecta eſſent beneficia, facile alii ad ſuperſtitionem proni, in eam ingredi ſententiam potuerunt, eos aliquid divini habuiſſe: unde tandem omnino credere potuerunt, eos a cœlo deſcendiſſe ad egregia opera edenda, & his perfectis eo rediiſſe. 248.
Hominibus deinde jungebantur Angeli ſeu Dæmones, licet antiquior haud dubie fuerit ſimulacrorum & imaginum cultus, ideo inventus,

ventus,

ventus, ut Numina sua quodammodo sibi præsentia redderent, quanquam huic causæ aliæ adhuc accesserint, hoc loco diligenter memoratæ. Sectio III, quæ a vocatione Abrahami usque ad Mosen progreditur, primum fata Abrahami exponit. Is varia divino consilio suscepit itinera, quorum socium habebat Lothum, quem quidem ad evitandam servorum discordiam tandem dimittebat, sed salvo & intemerato amicitiæ vinculo, cujus novum dabat documentum, cum eundem captum libertati restitueret. A qua victoria redeunti panem illi & vinum offerebat Melchisedechus, de quo eruditorum variæ referuntur refu-
Pag. 263. tanturque sententiæ. Illis vero calculus adjicitur, qui ingenue, quis Melchisedechus fuerit, se nescire profitentur & curiosius investigare sibi religioni ducunt, quæ S. Scriptura nobis non revelavit. Quoniam etiam Deo pangere cum Abrahamo fœdus placebat, sigilli loco addidit circumcisionem, cujus originem ab Ægyptiis repetendam non esse, multis defenditur rationibus. Ut vero pietas Abrahami, per tentationem immolationis proprii filii satis probata, abunde elucebat, ita improbitatis eadem ætate exemplum singulare præbebant Sodomitæ & Gomorrhæi, quorum pœna atque per ignem destructio ita explicatur a Jo. Clerico, plane ut nullum agnoscat miraculum. Quando enim Deus *depluisse sulphur & ignem ab Jova* dicitur, fulminis hanc circumlocutionem esse putant, per quod venæ bituminis istius regionis accensæ fuerunt. Cui sententiæ variæ a Summe Reverendo Autore difficultates opponuntur. (1) Si ex causis mere naturalibus hæc ita evenerunt, utique non minus evenire potuissent aut etiam eventura fuissent, etiamsi urbium harum incolæ fuissent pii & sancti. At Deus Sodomitarum ceterorumque impietatem hac ratione punire voluit, & procul dubio ita punivisset, etiamsi nulla soli aut ad flammam concipiendam, aut ad terræ motum concitandum fuisset dispositio. Deinde præcipuum Jo. Clerici fundamentum non satis firmum videtur. Contendit, verba: *depluit Dominus sulphur & ignem ab Jova*, esse circumlocutionem fulminis, quod dictis quibusdam Scripturæ comprobare annititur. Sed in his ipsis Scripturæ dictis ad hancce Sodomitarum pœnam alluditur. Neque etiam opi-

niones

niones Jo. Clerici & Hermanni von der Hardt de genere mortis uxoris Lothi admittendæ censentur. Nam uterque verbis divini Scriptoris vim aperte infert. Diserte Moses dicit: *facta est statua salis*. Cur esset ita locutus, si nihil aliud dicere voluisset, quam eam flammis ignis subito extinctam esse? ut opinatur Dn. von der Hardt: aut quis hæc verba legens in eam devenire sententiam potest, monumentum aliquod a marito aut posteris ei erectum? ut sibi persuasum habet Jo. Clericus. Certe si hiece sensus esset, necesse est, Mosen data opera ita locutum, ut divinando saltem mentem ejus aliquis assequi posset. Vera tamen causa est, cur a plano & obvio verborum sensu recedant, ne miracula admittere cogantur. Sed ut ad Abrahamum revertamur, is mortua Sarah Kethuram duxit, & liberos suscepit, Isaaco tamen bonorum & promissionum divinarum manente hærede, perque posteros suos Jacobum & Josephum veram ecclesiam propagante. Horum igitur fata prolixe narrantur, ita, ut simul fax illustrioribus & vexatissimis Scripturæ locis præferatur. Exemplo esse potest difficillimus ille versus 10 cap. XLIX Gen. qui ita explicatur: per verba *non recedet* non qualiscunque concussio sed plena eversio & destructio intelligitur, in explicatione vero vocis שבט duplex extremum vitandum censetur, alterum Judæorum est, qui pro baculo sive virga castigationis eam accipiunt, alterum eorum qui *ἀξίωμα βασιλικὸν* intelligunt. Sceptri nomine hoc loco generatim summum imperium, *τὸ κύριον* in Republica, denotatur. Voce מחקק legislator seu Magistratus significatur, qui non tantum habet jus leges ferendi, sed & latas interpretandi & secundum eas jus dicendi. Sed quid sibi tandem illa verba volunt מבין רגליו *a pedibus ejus?* Rejectis & Jobi Ludolphi & Wagenseilii opinionibus, Sebastianum Schmidium Dn. Autor sequitur, qui *τὸ esse ab inter pedes alicujus* pro eleganti & modesta descriptione nativitatis habet. Adeoque sensus est: erunt judices & legumlatores interpretesque ex tribu Judæ orti, donec veniat Schilo, hoc est: quando veniet Christus, tunc Reip. instabit ruina atque pernicies. Evoluto itaque oraculi sensu, difficultates, quæ circa ejus applicationem occurrunt, ad VI capita

Pag. 298.

342.

reductæ, commode admodum atque perspicue solvuntur. Postquam ergo quæ Jacobo, Josepho, & Jobo, cujus ætas in hæc tempora incidisse creditur, obtigere fata, expositum, de Patriarcharum hujus ætatis religione, cultu Numinis externo, matrimoniorum regiminisque domestici ratione, eruditione & scriptis, quæ illis tribuuntur, differitur. Quo facto additur historia regni tenebrarum hujus periodi, ubi post Sabæos, de quorum idololatria Spenceri hypothesis pluribus sub examen vocatur, Teraphim Labanis, ut idololatrici cultus documentum exhibentur. Multa quidem & hic eruditi disputant, & tamen ex variis Scripturæ locis haud obscure colligendum, Theraphim fuisse idola, seu imagines vel statuas potius cultui idololatrico destinatas. Verum cum etiam Philosophi subinde erroribus suis sapientiæ nomen obtendant, atque ad augendam confirmandamque impietatem plurimum conferant, de iis quorum ætas in hæc incidisse tempora creditur, ut de Mercurio deque Zoroastre non obiter sed ex instituto agitur. Tum sequitur Synchronismus & quæ de Ægyptiis, Babyloniis, Assyriis, Phœnicibus, Ismaelitis, Idumæis, Argivis, Atheniensibus, Cretensibus atque Phrygibus, memoria atque æternitate digna invenimus, in medium proferuntur. Periodi II a Mose usque ad Christum duæ in hoc tomo sectiones exhibentur, quarum 1 ea complectitur, quæ a Mose usque ad Josuam contigerunt. Statim itaque post vitam Mosis fata Israelitici expenduntur populi, quem post multas variasque afflictiones, tandem ex Ægypto pertinax ille Pharao dimittebat: quanquam eum facti statim pœnituisse, persecutio illa satis docet, cujus occasione misere periit in rubro mari, per
Pag. 584. quod Israelitæ sicco pede transiverant. Nullum iterum hoc loco admittit miraculum Jo. Clericus, fluxui maris felicem hunc Israelitarum transitum adscribens. Quod vero quo minus admittatur, obstat, 1) quod Moses nullam hujus rei mentionem injiciat, & 2) hæc opinio neque cum verbis illis: *aquæ illis erant instar muri a dextra eorum & a sinistra eorum*, neque cum Chronologia & Astronomia conciliari possit. Dum autem iter suum Israelitæ prosequuntur, varia & inusitata Deus in eos conferebat beneficia, aquæ amaræ dulces fiebant, coturnices quoque & Manna

Manna illis dabantur. Quantum quidem ad coturnices, quid per שלו intelligendum, eruditi disputant. Jobus Ludolphus peculiarem fovet sententiam, ac locustas eo vocabulo designari putat. Sed probabilior Dn. Autori ea sententia censetur, quæ Pag. 592.
coturnices intelligit. Duriusculum namque multis videbitur, vocis שלו significationem genuinam tempore captivitatis Babylonicæ deperditam & neque Onkeloso neque aliis Interpretibus orientalibus intellectam. Deinde licet non inepte agat, qui in carnis hujus æque ac Mannæ suppeditatione miraculum intercessisse existimaverit, de coturnicibus si non omnia pleraque tamen ita explicari possunt & hoc loco explicantur, ut ad miracula ubique confugere necesse non sit. Et his observatis eorum historia sequitur, quæ usque ad mortem Aaronis evenerunt, cujus occasione difficultas quæ mirum in modum Interpretes vexat, facili ratione solvitur. Nam Deut. X, 6 Aaron in Moserah mortuus dicitur, cum tamen ex Num. XX, 22 constet, eum mortuum esse in monte Hor. Tantus ac tam insolubilis hic nodus videtur & H. Grotio & J. Clerico, ut aut in loco Deuteronomii aut Numerorum turbatum ordinem stationum judicaverint. Aliter S. R. Buddeus sentit, cui verisimile, inte- 641.
gro isti tractui in quo mons Hor fuit, nomen Moserah seu Moseroth fuisse. Hinc sine controversia dicitur Aaronem & in monte Hor & in Moserah, seu tractu illo in quo mons Hor situs erat, mortuum esse. Mortuo Aaroni in Sacerdotio succedebat filius Eleazar, sub quo secunda multa, multa etiam adversa fata Israelitæ usque ad Mosis mortem experti. Hoc loco omni, qua alias involvuntur, obscuritate difficultateque detracta, ea perspicuitatis ordinisque concinnitate omnia leguntur, ut, an in vastissimis ad V. T. commentariis major illis unquam lux affusa sit, merito dubites. His itaque expositis religio Israelitarum hujus periodi adumbratur, tum eorum cultus externus, matrimoniorum statusque domestici atque civilis ratio & denique litterarum cultura. Quemadmodum vero opposita juxta se posita magis semper elucescunt, ita statim veræ ecclesiæ hostes atque idololatræ piis sanctisque junguntur. Agmen ducunt 750.
Ægyptiorum Magi, quos inter Jannes & Jambres præcipue com-

commemorantur. De Bileamo multa disputantur. Dn. Autoris sententia hæc est: Bileamum, priusquam a Balako evocaretur ad maledicendum Israelitis, fuisse hominem probum, verique Dei cultorem sincerum, cui ideo Deus se patefacere singulari ratione consuevit: at per dona a Balako oblata ita captum, ut a pristina pietate deflecteret & insigne ac in omne ævum memorandum horrendæ ἀποστασίας exemplum præberet. Neque solum Ægyptiorum, sed & aliarum gentium idololatria se contaminarunt Israelitæ, Molochi & Baalis Peor cultum recipientes. De utroque cultu docta digressione prolixe agitur, in qua tamen potiora huc redeunt. Nimirum quantum ad Molochum, ejus cultum non in februatione sed in vivicomburio hominum constitisse. Si vero quæratur, quisnam sub hoc Molochi emblemate ex Gentilium Diis celebrioribus latuerit? eorum præfertur sententia, qui Saturnum Græcorum Latinorumque Molecho Syrorum & Ammonitarum respondere contendunt. Et cum Deorum Gentilium nomina partim ad cœlestia sidera partim ad homines virtutibus meritisque egregiis conspicuos, aut gentium quoque vel humani generis conditores referri soleant, quodnam sidus, qui ex antiquitate heros Molochi seu Saturni nomine exhibeatur, quæri solet. Responsio hæc est: inter Planetas Solem, inter heroas aut gentium vel humani generis conditores Noachum vel Abrahamum, aut etiam utrumque simul denotari. Molochi autem cultu Israelitas in deserto se polluisse, diserte docet Amos Propheta c. V, 25, 26. Quod vero ad Baal-Peor attinet, cum ex Num. XXIII, 28 constet, Peor nomen montis fuisse apud Moabitas, admodum probabile videtur, Baal-Peor nihil aliud significare quam Deum aliquem qui a Moabitis in monte Peor cultus est. Sed quæ hucusque de fatis & populi Judaici & Mosis dicta sunt, fide divini scriptoris nituntur, adeoque etiam exotericorum de Mose, ejus scriptis & rebus gestis testimonia afferuntur, additis simul iis quæ de aliis gentibus, quæ in hac periodo floruerunt, notatu digna leguntur. Sectio II hujus Periodi a Mose usque ad Samuelem progreditur. Post mortem Mosis Israelitæ duce Josua Jordanem trajiciebant, Hierichuntemque urbem cum incolis omnibus delebant, sola ser-

Pag. 766.
774.

servata cum suis Raab fœmina, quæ exploratores Iosuæ hospitio exceptos occultaverat. Raab illa vocatur זונה unde meretricem fuisse colligunt alii, alii vero hoc vocabulum idem designare ac cauponariam putant. Cl. Auctor ita existimat: quia haud infrequens olim fuit, ut mulieres cauponariæ corpore etiam quæstum facerent, fieri potuisse, ut cauponariæ etiam meretrices dictæ sint. Inde vero non sequi, quod omnes meretrices fuerint, adeoque & Raab fœminam honestam esse potuisse. Inter reliqua quæ fortiter atque præclare Josua fecit, illa victoria ad Gibeonem eminet, ad quam prosequendam sistere Solem ac Lunam jubebat. Sunt inter Judæos, qui tantum abest ut miraculum hic agnoscant, ut potius phrasin poeticam adhibitam existiment. A qua sententia parum remoti H. Grotius & Io. Clericus. Verum non temere sibi quis persuaserit, imperatorem in fervore pugnæ constitutum, & cupiditate hostis persequendi flagrantem, poetice fuisse locutum. Ipse enim Scriptor sacer addit: *Moratus vero est Sol & Luna substitit.* Quibus verbis eum poetice loqui voluisse, nullo indicio constat. Scrupulus iste, quem verba: *& non fuit talis dies antea vel post, ut obediret Dominus voci viri*, movent, si comparentur cum miraculo Hiskiæ 2 Reg. XX, 11 & Es. XXXVIII, 8, ita solvitur, ut moneatur, in textu Ebræo non dici, non fuisse tam longam diem, sed saltem talem diem, qua scilicet ejusmodi quid factum, ut voci viri Dominus obediret. Post mortem Josuæ nunquam defuerunt viri fortitudine & pietate insignes, qui Israelem a calamitatibus suis auxilio divino liberarent. Non minima autem inter illos fama est Jephtæ, cujus votum interpretes admodum fatigare constat. S. R. Auctor nec votum Jephtæ damnat, nec esse ejus filiam immolatam, credit. Sensum enim verborum hunc facit: quicquid egressum fuerit mihi obviam e foribus domus meæ, id erit Iehovæ, hoc est cultui divino consecrabitur, ut perpetuo serviat Domino, si scilicet homo sit, aut in holocaustum offeram, si sit animal quod ex lege immolari possit. Vi ergo hujus voti tabernaculi ministeriis certis addicta est Jephtæ filia. Verum ne longiores simus quam licet, id solum adjiciendum putamus, quod & in hac periodo methodus Autori consueta servetur.

tur, His enim omnibus enarratis ad statum ecclesiæ internum externumque accedit, ab hoc ad regimen civile & domesticum, quod litterarum artiumque bonarum per hæc tempora facies excipit. Tandem idololatriæ incrementa & in gente Ebræa exempla proferuntur. Tota denique tractatio cum Synchronismo aliarum gentium concluditur. Quo vero illustrior historiæ hujus usus faciliorque redderetur, quadruplex accessit Index, chronologicus, geographicus, locorum S. Scripturæ, quæ aut explicantur aut illustrantur, & denique rerum memorabilium.

מפתח התלמוד הגדול
Sive
CLAVIS TALMUDICA MAXIMA, EDENTE HENRICO JACOBO van BASHUYSEN, qui R. MOSCHE סוגיות התלמוד *sive usus Talmudicos & duas Dissertationes adjecit.*

Hanoviæ, in Typographia orientali sumtibus Autoris, 1714, 4. Alph. 3 plag. 22.

MErita, quæ Cl. Bashuysenius in literas gentium Orientalium & Rabbinorum adhuc contulit, non mediocria sunt, de quibus præclara ingenii monimenta satis abundeque testantur. Multum illa amplificat opere hoc, quod inscripsit *Clavem Talmudicam Maximam.* Constat illa variis libris, quorum primus est doctissimi quondam Judæi *R. Josua Levita* הליכות עולם *itinera mundi*, quem Cl. Constantinus L'Empereurius notis & versione illustraverat, nomine Clavis Talmudicæ 1634, 4; secundus auctorem habet Rabbinum *Eliakim Panzi Radingini* מפתח הגמרא *Clavis Gemarica*, qui vitam & lucem debet Cl. Christiano Henrico Ritmeiero; tertius *R. Mosche* סוגיות התלמוד cui adjecit versionem. Hæc opera ita collegit, ut omnia in paragraphos diviserit, errores operis emendaverit, & notis quæ erant obscuriora illustraverit. Princeps momentum, unde operi huic magna autoritas accedit, duæ dissertationes sunt, quas Autor noster præmisit. Altera disserit de constitutione operis Talmudici. De Talmude non solum

solum pagani, sed ipsi professionis christianæ homines sinistre judicarunt. Gregorius IX Pontif. R. A. MCCXXX omnia Talmudis volumina adjudicavit flammis, quod posthæc etiam conatus est Innocentius IV A. MCCLIV item Julius III A. MDLIII. Paulus IV, duodecim Talmudicorum voluminum millia flammis addixit; & multo etiam plura Pius V. Quæ tristiora fata dependent ab ignorantia illorum hostium, qui has litteras non cognitas habuerunt, ipsi autem Talmudis autoritati nihil detrahere possunt. Ut istam infringant, opponunt primum fabellas, quibus liber Talmudis sit refertus, sed monet Cl. Autor, ne Apologi & ipsæ allegoriæ ac parabolæ adnumerentur fabulis; illas habere Talmud, quum eis nec sacer Codex careat, sed fabularum non multum apparere vestigium. Deinde objiciunt, Talmud plenum esse nugarum: concedit quidem Autor noster, Talmud non plane a nugis posse absolvi; sed heic ad id esse attendendum, num plures nugæ, quam seria ibi extarent, quod negat. Porro affirmant, Talmud esse confuse conscriptum; complecti res risu dignas & demum esse blasphemum. Autor noster ipse fatetur, Talmud hinc inde confusum esse, sed ita, ut plura, quæ confusa videbantur, lectione clavis suæ sint clariora futura, quod enim non multi sint, qui intelligant Talmud, inde fieri, quod alio stilo Judæi olim ac hodie nos usi fuerint, atque alius sit sacrarum pandectarum, alius Talmudis. Talmud esse ridiculum, non potest negari; sed & Christiani, ait Autor noster, aliquando emiserunt libros ridiculos, in quibus sunt bona mixta malis. Talmud esse blasphemum, nec affirmare, nec negare Bashuysenius sustinet; quamquam id tamen confitetur, multa Christo & regno contumeliosa putari, quæ non ad Christianos, sed paganos spectent. Verum ne quid dissimulare velle videatur, suadet lectori harum literarum studioso lectionem Cod. Talm. עבודה זרה hoc est *de Idololatria*, in quo inveniet verporum calumnias erga Christum & odium contra Christianos, cum blasphemiis manifestis, qualis fit illa, tractatu ע״ז de Idololatria *fol.* 16 Col. 2, fine & initio fol. 17 Col. 1. Judæi quoque sputum emittunt, quoties verbum ריק pronunciant, recitantes illud עלינו. Pergit Autor noster ac contemtu Talmudis ad meritas, quæ ei debentur, laudes, & quo nomine

mine a Christianis legi mereatur, docet. Hoc fiat, ut dogmata Judæorum sciamus; nos facilius expediamus in vocibus *ἅπαξ λεγομένοις*, ubi קרקר Num. XXIV, 17. quod alii male vertunt *destruet*, cum rectius ex Talmude *congregabit* verti possit; ut explicentur phrases variæ difficiliores veteris Testamenti, ut discantur ritus cum in se, tum quatenus ad eos typi & propheticæ phrases alludunt. Quod autem phrasis N. T. petita sit ex Talmude, inde quoq; illustranda, id exemplis quibusdam demonstrat Bashuysenius, e. g. Matth. XV, 5 de voce Δῶρον; Ioh. XVI, 2. ubi quid Iudæi per Synagogam intellexerint, & quid eorum excommunicatio, ex Talmude utique sit discendum. Imo propter ipsos stricte dictos Hebraismos N. T. studium Talmudis debet commendari, prout locutio Matth. XXVIII, 1, Luc. VI, 1 sine beneficio illius non possit explicari: imo ipsissimum *regnum cœlorum* Matth. III, 2 est phrasis Talmudica. Nec minor ratio peti potest ab Adagiis N. T. quorum pars bene multa ex Talmude & libris Judaicis petita est, e. g. Matth. XXIII, 24. Quod si etiam nugæ, ridicula, fabulæ, blasphemiæ essent in Talmud, ideo tamen legendum est, ut inde Judæos redigamus ad ruborem. Talmud ipsum complectitur Misnam & Gemaram. Datur duplex, Hierosolymitanum & Babylonicum; illud A. C. 230, ope *R. Jochanan*, qui non est ille Rabban Jochanan Zaccaides, Hillelis discipulus & Simeonis, qui Servatorem ulnis excepit, conscriptum; hoc clarius & celebrius A. C. 500, quod originem debet *Raf* dicto, qui fuit discipulus R. Judæ & postea Raf Ase & tandem Maremar, ejusque collega Mar. Extremo hujus prioris dissertationis commendat adhuc media Talmud intelligendi. Consultum esse existimat, si discatur ordine; eligatur præceptor & magister peritus; incipiatur a Tr. versis in Latinam linguam, quales in Misnam plures; usu quoque heic venit cognitio doctorum Misn. & Gemaricorum, quæ cum ex hac clavi Talmudica, tum Ottonis historia D. Misnicorum peti possit. Altera dissertatio agit de conversione & reductione Judæorum, quam utramque multis argumentis corroborare operam dat. Quod ad conversionem Judæorum pertinet, provocat ad varia Scripturæ loca, quibus patet quod præcipua pœna

futura

futura fuerit conversio gentium Iudæis, post eorum demum conversionem revocandis in sinum ecclesiæ, e.g. Ezech. XVI, 60, 67, XXXVI, 24-27, Daniel. XII, 2, Hos. III, 5, Ioel. III, 20, 21, Mich. VII, 8, ut de aliis locis, quæ collegit, taceamus. Alteram quæstionem, num Judæi redituri sint in terram Canaan, an templum ædificandum & cultus ceremonialis sit revocandus? dicit problematicam, non necessariam, & miratur, extitisse, qui ob hanc sententiam & aliam ei ut plurimum annexam de millenario glorioso, quæ etsi falsæ, essent tamen tolerabiles, modestos & amicos fratres excommunicaverint, ut ipse loquitur. Profert varia testimonia ex sacro Codice, Psalm. XXXVI, Ies. caput ultimum, Ier. XXXI, Hos. III, 4, Amos IX, 11-15, Zachariæ XIV, 10, 11, & imprimis XII, 6 hujus Prophetæ; quo loco non solum reductio, & Hierosolymorum reædificatio arctissime, ut in plurimis locis aliis, conjungantur, sed etiam emphaseos causa addatur, eam urbem ædificandam esse *in loco suo*, quo hodie non sit ædificata, sed in alio loco, ut ex sepulcro Christi probari possit, ut adeo in hodierna structura hæc vaticinia nondum impleta sint atque adhuc impleri debeant. Sed si quæras, num ædificabitur Hierosolyma cum templo, an sine eo? Respondet Cl. Autor: nonne & Christiani ibi agentes exstruerent templum? Cur ergo non Judæi, (non corporale quidem, verum spirituale) Christiani facti, & sic simul naturales & spirituales Judæi? Addit adhuc Autor officium Christianorum ratione hujus veritatis, & modum conversionem ipsorum promovendi; item ordinem procedendi cum convertendo. Integro operi addidit tres Indices; primum vocabulorum & phrasium Hebraicarum clavis hujus Talmudicæ; secundum rerum & verborum Latinorum; tertium locorum S. Scripturæ.

E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JC. ad J. B. M.

QUum ante quinquennium Marburgensis JC. Jo. Fridericus Hombergius novam Novellæ Justinianeæ primæ translationem sisteret, varia circa historiam Novellarum mense Junio

1711 p. 264 ſunt allata. Nunc ubi in Enimundi Bonefidii Jus Orientale, & Jus Græco-Romanum Jo. Leunclavii incidimus, de hiſtoria Imperii Orientis, deque Interpretibus tum illorum temporum, tum recentioribus, iterum quædam dicenda. Seculo IX debemus πρόχειρον νομικὸν eorum JCtorum, qui vixerunt ſub Baſilio Macedone, ejusque filiis, Conſtantino & Leone, πεποίηται τοῖς περὶ τὸν Βασίλειον καὶ Κωνσταντῖνον καὶ Λέοντα, ait Harmenopulus. Erant Baſilio Imp. filii quatuor, Conſtantinus, Leo, Alexander, Stephanus. Conſtantinum & Leonem conſortes Imperii pater diu habuit, ac poſtea etiam Alexandrum. Stephanus, Patriarcha CPolitanus. Illud ergo πρόχειρον loquitur de Conſtantino, filio primogenito, qui ante patrem obiit DCCCLXXIX ætatis XIII. Baſilio deinde ſucceſſit Leo VI, Philoſophus, qui filium ſuum, Conſtantinum IIX, anno DCCCCX conſortem Imperii Orientis fecit, obiitque anno ſtatim ſequente. Hunc igitur Conſtantinum IIX, nepotem, a Conſtantino, filio Baſilii, non diſtinxere Dionyſius Gothofredus & Marquardus Freherus, ille in variis Lect. ad Harmenopulum, hic in Chronologia Juris. Deceptus etiam ab iis Joſephus Maria Suareſius, per tumultum dixit, πρόχειρον hoc prodiiſſe nomine Baſilii cum filiis ſuis, Leone & Conſtantino ſive Alexandro, modo ſub nominibus Leonis & Alexandri, ſive Conſtantini. Extat ſane etiam Ἐκλογὴ τῶν νόμων ἐν συντόμῳ, γενομένη παρὰ Λέοντος καὶ Κωνσταντίνου, ex univerſo ſcilicet Jure Juſtinianeo, καὶ ἐπιδιόρθωσις εἰς τὸ φιλανθρωπότερον, Tomo II Juris Græco-Romani. Sed hæc recentior paulo eſt, Leonis VI nimirum & Conſtantini IIX filii. Leo quum abſolviſſet magnum illud opus Βασιλικῶν, ſucceſſiſſetque ei Conſtantinus IIX, edidit præterea ἀνακάθαρσιν ejusdem Operis, ſub initium ſeculi X. Aliud autem fuit autoris incerti Νόμιμον τὸ κατὰ στοιχεῖον ἐκλογή, καὶ σύνοψις τῶν Βασιλικῶν ξ. βιβλίων, σὺν παραπομπαῖς κατὰ στοιχεῖον, quem titulum libri e Codicibus MSS. exhibet nobis Carolus Labbæus. Juvatque hic annotaſſe querelam Jo. Thomæ Freigii, JC. ad Jo. Martinum Oltingerum, in epiſtola Friburgi ſcripta 1576, & præmiſſa Profeſſioni Regiæ Rami, eodemque anno Baſileæ excuſa: *Epitomeis*

tomen Βασιλικῶν *a me e Græco in Latinum translatam, & maximis laboribus correctam, sub alio nomine exiisse video.* Forte editionem Leunclavii Basileensem 1575 pungere voluit. Nam & Leunclavius in appendice adnotationum suarum, eodem anno: *exhibuit mihi typographus interpretationem hujus eclogæ nostræ Basilicorum, tentatam a quodam, cujus ego nomen de industria non edendum existimavi.* Quisquis ille sit, censuram satis gravem ibidem passus est, etiam tecto nomine. Sed integram tamen præstaret adhuc extare interpretationem istam. Neque enim, quod Leunclavio non placeret per omnia, ideo plane fuit supprimenda. Freigius certe quum Basileæ 1582 paulo ante mortem ederet qualemcunque suam Synopsin Pandectarum, nihil amplius de versione illa sua, nihil etiam de censura Leunclavii. Seculo XI jam veluti declinante Michael Attaliates, ἀνθύπατος καὶ κριτής, scripsit πόιημα νομικὸν, ἤτοι πραγματικὴν, ad Imp. Michaelem VII Ducam, & jussu ejus, σύνοψιν, inquit, ὡσανεὶ συνόψεως μέλλων ποιήσασθαι. Huic Attaliatæ σύγχρονος fuit Michael Psellus, ejusque scholia quædam Græca in eundem adhuc extant. Quale illud ad Tit. XLIIX: διπλοῦν δὲ τετραπλάσιον ὁ ἀπὸ ναυαγίου ἁρπάσας πρᾶγμα, δέσποτα, εἰς πράττεται δικαίως, *Immo geminum quadruplum*, mi Domine, *jure ab illo exigitur, qui rem ex naufragio rapuit.* Non tamen recensentur hæc Scholia a Caveo inter scripta Pselli. Quod si is autor est etiam Dialogi περὶ ἐνεργείας δαιμόνων, & libri περὶ χρυσοποιΐας, (nam duo sunt Michaeles Pselli,) magnum jam illius studii etiam in priscæ Ecclesiæ aula habemus exemplum. Noster enim Psellus sub ipso etiam Imp. Michaele Seniore, Stratiota, fuerat unus ex supremis aulæ ministris, & Legatis ad Isaacium Comnenum. Zonaras Lib. III in Michaele Imp. isto, σέλλονται πρεσβεύσοντες ἄνδρες τῶν ἐκκρίττων τῆς συγκλήτου βουλῆς, οἱ δὲ ἦσαν - - Μιχαὴλ ὁ σοφώτατος ψελλὸς, τῶν φιλοσόφων ὢν ὕπατος. Circa medium seculi XII post Mich. Attaliatam sub Emanuele Comneno Imp. Constantinus Harmenopulus; de quo ante, nomophylax & judex Thessalonicensis, novum plane & luculentum scripsit πρόχειρον Juris Civilis, librorum sex, distinctum ab ejusdem Protheoria Sacrorum Canonum. Eodem

feculo inclinante Theodorus Balſamo, Patriarcha Antiochenus, ſub Iſaacio Angelo ſcripſit in Canones Apoſtolorum & Nomo-Canonem Photii, atque etiam συναγωγὴν, *Collectionem* rerum eccleſiaſticarum ex Codice, Digeſtis & Novellis Juſtiniani ſolius, cui Paratitlorum nomen imponere voluit Leunclavius. Hæc cum in Oriente, iſto quidem, quo ſuſpicor, ordine, quem alii turbant, agerentur, in partibus Occidentis Otho II & Lotharius II ſeculo decimo & duodecimo ſimiliter in jure Juſtinianeo poſt longam noctem cœperunt iterum elaborare quodammodo. Sed Libris iſtis per aliquot ſecula nihil de conſtitutionibus Imperatorum Orientis, quas tandem Enimundus Bonefidius, Valentiæ in Delphinatu Profeſſor Juris, & Collega Cujacii, Hebraice etiam & Græce doctiſſimus, anno ætatis ſuæ XXXVI Græce collectas, & a ſe Latine verſas, ab Henr. Stephano 1573 libro primo Juris Orientalis, vivente adhuc Cujacio, excudi tentavit, adjectum adhuc fuerat. Idem Bonefidius invitatus poſt tumultum Pariſienſem a Franc. Hotomanno Genevam conceſſerat, & majore opere eundem ibi librum illuſtrare aggreſſus, poſt biennium fere huic labori impenſum, 1574 obiit, atque a Thuano in opere Hiſtoriarum ad annum iſtum, æternum laudis ſuæ monumentum accepit, utpote Valentiæ olim diſcipulo & Cujacii & Bonefidii: quod Galliæ Orientali, ſeu Vitis Gallorum, qui Orientalium literarum gnari, Paulus Colomeſius deinceps inſeruit, quodque præter Franc. Hotomannum vix ulli JCtorum contigit. Vivo autem Collegæ adhuc Cujacius etiam præco maximus extitit, non quidem Libro V c. 20 vel 26, ut alii, ſed libro Obſervat. XI c. 20. Cum igitur Ludovicus Charondas A. 1575 Juris Romani Volumina Pariſiis ederet, Bonefidii librum primum iis poſt Novellas Leonis primus junxit, Græce & Latine. Joannem Leunclavium contra momordit inopinatus hic & felix conatus Bonefidii atque applauſus Lud. Charondæ, ſubitoque eodem A. 1575, quicquid Novellarum Græcarum ejus ætatis, vel a Jo. Sambuco, vel Franc. Pithœo acceperat, Baſileæ procudi curavit. *Ornare*, inquit in dedicatione ad Thomam Redingerum, *meum hoc opus potuiſſem non nullo jure titulo Juris Orientalis, quo Bonefidius uſus eſt. — Habet quasdam Novellas Bonefidius,*

fidius, quas nos de industria maluimus omittere. — Praeterea delectum habere volui, ne lector inveniret, quas editas esse pretium operae non magnum duceret. Sed & translationem Nostri strinxit Leunclavius: *Qui conferent nostram cum Bonefidiana, deprehendent, quanto majori studio melioreque fide nostra sit facta.* Julius Pacius tamen quum 1580 novam Juris Romani editionem moliretur, Bonefidii librum primum denuo Latine post Novellas Leonis annecti voluit, questusque simul, typographum ad Graecum textum adduci non potuisse. Inde secuta est 1589 Editio Dionysii Gothofredi in 8, ubi idem iterum factum videas. Leunclavii ergo editionem Novellarum Graecarum quum praeteriri toties cerneret Marquardus Freherus, opus adhuc longe majus Leunclavii, Jus Graeco-Romanum, duobus Tomis 1596 (quia fidei ejus commendatum a moribundo veluti fuerat,) Francofurti in lucem misit. Hic autem pene nihil omissum fuit e libro primo Bonefidii, ordo tamen iterum plane mutatus & transfusus, & loco argumentorum, textus passim integri recitantur, Juris tam Canonici quam Civilis. Sed & liber Bonefidii secundus sanctionum Pontificiarum, & liber tertius Responsorum, Epistolarum & sententiarum patriarchalium, aliorumque Patrum sacrorum, per Librum tertium & quintum Tomi I Leunclavii sparsus & non pauca ibi prorsus aliter exscripta sunt. Post decennium autem, A. 1606 Carolus Labbaeus, egregius vindex famae Gallicanae, totam Leunclavii Synopsin Βασιλικῶν sub examen Codicum MSS. acerrime revocavit, ac Decem praeterea Constitutiones novas Graecorum Impp. Leunclavii, quas ille & in Novellis suis, & Tomo II Juris Graeco-Romani omnium maxime emaculasse videbatur, foedissimis huc usque, in ipso textu Graeco scatuisse mendis & lacunis, demonstravit, & novam etiam passim Versionem non potuit non subjicere. Ex decem illis tres tantum extabant antea apud Bonefidium, prima, octava & decima: in sola autem decima Bonefidii Versionem juxta cum Leunclaviana taxat Labbaeus, ostenditque, novellam istam dimidia parte truncatam hactenus esse & mancam, prout scilicet eam Balsamo in Nomo-Canone Photii retulisset. Hic autem meminisse vicissim decebat Labbaeum notarum, quas ipse Bonefidius libris suis adjecit, ibique in mul-

tis locis dubiis & difficilibus rationem & lectionis & versionis suæ reddidit. De Notis adhuc recentioribus loquitur forte Antonius Teisserius Addit. aux Eloges de Thou prem. part. p. 415: *Edmond de Bonne-Foy étoit Medecin & Jurisconsulte.* Biblioth. du Dauphin. *Il y a de lui*, Notæ in tres libros Juris Orientalis, *& une lettre Latine dans le livre des Paradoxes de Laurent Joubert.* Post alterum decennium Jo. Meursius, cum in edendis Lugd. Batav. operibus Constantini IIX Porphyrogennetæ 1617 versaretur, easdem illas XIII Novellas, quas in appendice Synopseos vel Eclogæ, huic Imperatori tribuit Leunclavius, Græce & Latine addi jussit. Tomo enim II Juris Græco-Romani deest XII & XIII. Apud Meursium vero videas etiam emendationes Jo. Leunclavii ad textum Græcum harum Novellarum, demta X & XI. Sed Autor illarum emendationum ipse est Jo. Meursius, non omnino Leunclavius. Adeo respondent emendationibus iis, ejusdem Meursii aliæ ad Constantini Tactica, aliæ ad librum de administrando Imperio, per singula. Sequuntur ibidem quatuor adhuc Novellæ ejusdem Imperatoris Græce & Latine, sed illas cum Caroli Labbæi commentariis transcribere maluit Meursius, nihilque de suo, vel de Leunclavianis etiam curis, qua textum qua versionem, adjunxit. Hi jam eruditorum conflictus & quasi certamina circa Jus Græcum recens, quandoquidem soli debentur Bonefidio, mirum est, solam interpretationem libri primi illius Latinam, quam nunc aliam plane faciem, textu Græco passim suppleto ac restituto, necesse fuit accipere, in tot Editionibus Gothofredianis (excepta edit. Belgica 1665, quæ etiam textum Græcum a Charonda acceptum, dissimulato tamen nomine Bonefidii, exhibet,) adhuc hodie retineri, imo plane insuper haberi. Certe seorsim merebatur exscribi textus ubique Græcus cum utraque versione, cum notis etiam quasi variorum, Bonefidii ipsius, Leunclavii deinde, siquidem extant, quas promisit in dedicatione ad Redingerum 1575, Labbæi, & Meursii. *Dicet aliquis*, inquit Antonius Augustinus in præfat. Epitomes Novellarum Juliani, *quid mihi cum Juliano? Nam cum probationem res desideret, aliunde mihi quærenda autoritas & probationis genus est.* Similiter multi hodie, *quid mihi cum Græcis istis Impp.?* Re-

Respondet Augustinus: *hanc rationem cessatoris potius & otium amantis, quam studiosi alicujus Viri fuisse crediderim: qua sola posset maxima librorum atque hominum pars negligi.* Plura inde non repeto, vitandæ invidiæ. Esto etiam, Novellas Bonefidianas ab editionibus, si quæ futuræ sunt, plane resecari, quid fiet cum Ecloga & Synopsi Leunclaviana βασιλικῶν, quam ad singulos Titulos continuo crepat Dionysius? Utique qui Labbæi censuras non vidit nec legit, quantivis pretii judicabit esse istas remissiones Gothofredi. Nunc totum textum Græcum, totamque interpretationem, ad normam MSS. Labbæanorum aut refigi & concinnari atque suppleri etiam oportet, aut frustra habemus eruditissimas ejus lucubrationes, atque in luce cœcutimus. Et utinam reliquisset ille nobis similes ad universum opus Basilianum correctiones. Si enim & istud malles omnino abjicere, velut inutile foro, vereor ne incidamus in animadversionem Senis istius Atriensis in Ædibus Legum venerandæ majestatis apud Jo. Ludovicum Vivem Tomo I Opp. *O quam filic feritinnio copi cupedia*, & quæ ibi sequuntur verba plura castrensia. Tum vero concludit is denique, *nullus perscrutari domum hanc legum rite potest, qui plene veram tersamq; Latinitatem & antiquariam hanc*, quin & Græcam indolem, *modice saltem non imbiberit.* Hactenus de Libro primo potissimum Bonefidii. Secundus & Tertius uti ad Juris magis Canonici quam civilis studia spectant, ita Codicum MSS. limam neque a Labbæo, neque ullo forte alio hactenus, certe eadem cum accuratione, nondum persenserunt. Nam similem apparatum illorum, qualem is habuit, similemque acrimoniam discernendi suspecta a solidis, non deprehendimus alibi. Fuere certe in Bibliotheca Palatina non pauca MSS. Græca, quæ huc pertineant: *E βασιλικῶν LX libris electa secundum alphabeti ordinem, ab α scilicet usque ad ω. Novellæ Romani Senioris, Imp. Novellæ Constantini Porphyrogennetæ. Novellæ Nicephori. Leonis Novellæ LIV. Basilii Porphyrogennetæ Novellæ.* Annotavit hæc Fridericus Sylburgius num. VII & IIX. Deinde n. XIII & CCXLIX similes sequuntur Codices. Porro n. LV *Basilii, Leonis & Alexandri Impp. Promptuarium seu Epitome juris utriusque, illu-*

striori

ſtriori forma digeſti, titulisque XL comprehenſi. Legum ſeu Juris epitome a Leone & Conſtantio Impp. ſelecta ex jure Juſtinianeo, & titulis XLIII comprehenſa. Jam n. 369 *Conſtantini Harmenopuli Hexabiblos. Ejusdem ſacrorum Canonum, ſeu ſacri juris epitome, librorum quinque.* N. 371 *Alexii Comneni Novellæ duæ.* N. 384 *Theodori Balſamonis, nomophylacis & chartophylacis magnæ Eccleſiæ, in Canones Apoſtolorum, Conciliorum & Canonicas Patrum epiſtolas enarratio.* Sed hic erepta habemus pro amiſſis. Forte tamen Italiæ, forte Galliarum divitiæ Codicum horum recludentur iterum poſteritati. Illud addo, Labbæum ipſi etiam Cujacio tribuere in titulo cenſuram Decem illarum Novellarum, de quibus ſupra, perinde uti Bonefidio & Leunclavio. Atqui a Bonefidio quidquid editum eſt 1573, id tunc primum editum fuit. Hunc librum quum ad Joſephum Scaligerum mitteret, reſpondit is 18 Kal. Dec. 1606: *Heri veſperi tandem libellum tuum Juris Orientalis accepi. Præfationem* (quam certe non reperio) *ſtatim devoravi: quam mihi admodum placuiſſe ex eo arbitrari poteris, quod nunquam e manibus emiſi, priusquam ad calcem pervenerim. Sane optima eſt, & multi, qui nihil aliud quam ſcribere profitentur, non poſſent præſtare, quod tu in hac adoleſcentia ſumma cum laude præſtitiſti.* Natus erat Carolus 1582, adeoque habuit tunc annos forte XXIV. De eodem Scaligerana: *Labbæus eſcrit fort bien en Grec; c'eſt un honeſte jeune homme, docte & infatigable.* Pergit epiſtola Scaligeri 351: *Noli dubitare, quin Germani* τὰς ἐκλογὰς τῶν Βασιλικῶν *cum iſtis tuis ſupplementis edituri ſint. Nam diu eſt, quum exemplaria illius unicæ editionis non reperiuntur. Ego interea conſtitui cum tuis illa omnia conferre.* Loquitur de editione Leunclaviana 1575 Baſileenſi. Diximus autem, eam rem plane aliter cecidiſſe. Sed & veteres gloſſas verborum juris, quæ in Baſilicis reperiuntur, emendatiores jam & acceſſionibus non pœnitendis locupletatas Carolus paraverat. Easque iteratæ Editioni palam obtulit Philippus Labbeus, Pariſiis 1654. *Nov. Biblioth. MSS. p. 131.* Iterum fruſtra. Saltem vero iſtud doleo, Philippum hunc nobis non ſingulos Codices Regios, qui

ad

ad notitiam juris attinent, recitasse. *Infinitus sim*, ait p. 130, *si omnia minutatim percurrere velim. Certe hic obstrepit bibliopola, monetque, ut tandem manum de tabula tollam, & spicilegium aliquod secuturis, si Numen faverit, editionibus non invideam.* Forte non favens habuimus Numen. At quando Codices Theologicos percurrebat Labbeus singulos, tunc nemo obstrepebat. Sed illud male habet: *Codex 740 Glossæ juris, & alia ad Jus Græcum spectantia, per otium expendenda.* p. 281. Otium hoc adhuc hodie ferendum est. Et p. 383: *Sunt & quædam alia, ad Jus Græco-Romanum spectantia, in Codicibus Naudæanis 65 & 76, quæ alias non omittentur.* Ecquando? Erat autem Philippus noster Presbyter, non Juris amans neque peritus. Hinc qualescunque illæ excusationes p. 130, 271, 276, *jam editam esse maximam illorum MSS. partem a Joanne Leunclavio, Tomo I & II Juris Græco-Romani.* Et jactat sane Freherus, eum sua ex variis Europæ Asiæque bibliothecis eruisse. At vero Leunclavius codices Regios istos nunquam vidit, neque ex iis quidquam edere potuit, ceu toties evicit Carolus noster, ad vitæ finem adeo Patronus Parisiensis. Deoque sit laus, quod Glossaria ipsius Latino-Græca & Græco-Latina, quæ Ægidio Menagio moriens (1657) commendaverat, lucem tandem 1679 Lut. Paris. tecto nomine editoris adspexerunt, illisque adjectum est specimen emendandarum Veterum, de quibus diximus, Glossarum Græcarum. Quumque ibi extet etiam inscriptio Thuanæa, *5. Kal. Sept. 1606*, sola adhuc desideratur præfatio, Scaligero tantopere laudata, ejusdem anni.

JOHANNIS CONRADI BARCHUSEN Collecta Medicinæ Practicæ Generalis.

Amstelodami, apud R. & G. Wetstenios, 1715, 8.

Alph. 1 plag. 9.

CUm Medicina observatione rerum homini aut nocentium, aut opem ferentium, ad culmen fere summum pervenerit, per immoderatam vero recentiorum philosophandi, novasque hypotheses fabricandi cupiditatem, & quæstum faciendi studium moram impedimentumque passa fuerit, quo minus ampliorem adepta dignitatem, majoremve perfectionem consecuta hactenus fuerit, e re tyronum Medicinæ futurum credidit Clariss. Barchusen, si ea, quæ ad Praxin Medicam generalem attinent, ex va-

variis in Medicina celebribus Autoribus collegerit. Hunc igitur Tractatum in IX dispescit capita, in quorum I de muniis Medici & de signis tam diagnosticis, quam prognosticis agit; in II temperamentorum & partium læsarum notas explicat; in III morborum differentias, tempora, crisin, metastases & recidivas tradit; in IV methodi medendi leges generales suppeditat; in V signa ex universi corporis habitu, motu & decubitu, ut & de functionibus voluntariis desumpta explanat; in VI in signa, quæ actiones tam animales, quam vitales & naturales suppeditant, inquirit; in VII de corporis excrementis disserit; in VIII quæ in corporis superficie fuerint annotata, communicat; & in IX ex partibus corporis exterioribus prædictiones format. Sub calce libri Dialogus de optima Medicorum secta legitur, ex quo in gratiam Lectoris pauca excerpemus. In hoc scilicet, postquam in Medicinæ originem, ejusque in sectas divisionem inquisiverat, Empiricam Sectam omnium optimam esse evincit, viamque demonstrat Autor, qua ad eam cum ratione conjungendam pervenire liceat. Veteres siquidem Empirici αὐτοψίαν, historiam & μετάβασιν magni fecerunt. Autopsiam appellabant, quod aliquis proprio motu sæpe numero observavit; Historiam dixerunt esse rerum circa idem objectum probatarum narrationem; Metabasin comparationem affectus cum alio affectu, remedii cum remedio, loci cum alio loco esse voluerunt. Convenit itaque inter Medicos, finem primarium Medicinæ esse mederi, quem qui assequi cupit, non opinari, nec disputare, sed scire & experiri debet, quid natura aut facere aut tolerare queat. Nec tamen opus est, perfectam corporis humani cognitionem a priori ante sibi comparasse, quam Medicinam facere quis aggrediatur; cum magna sit differentia inter machinam seu automatum atque corpus humanum, a summo artifice, DEO, conditum, quoniam in illius cognitionem arte, in hujus vero nullo modo pervenire licet. Præstat igitur loco hujus scrupulosæ & operosæ investigationis in morborum naturam & curationem inquirere. Morborum quippe genus & differentias ex signis cognoscimus, quæ in sensus incurrunt, quorum ope deinde judicamus de iis, quæ in obscuro posita sunt. Observatione namque morborum & remediorum continuo instituta Medicina inventa est, & actorum observatio crebra peperit experien-

tiam

tiam; quin imo eadem si diligenter fuerit continuata, sola facit ad artis incrementum & perfectionem. Absit tamen, ut ratio exulat omnis, quæ potissimum versatur in juvantium & nocentium natura investiganda. Nec Indicatio, quam quidem Empirici negligebant, sine usu est, ea præsertim, quam nobis causæ evidentes subministrant. De cetero monendum adhuc restat, amplissimum Indicem rerum memorabilium huic operi accessisse.

MEMOIRES DE LITTERATURE.
i. e.
COMMENTARII REI LITTERARIÆ.
Tomus I.
Hagæ Comitum, apud Henr. du Sauzet, 1715, 8.
Plag. 14.

CUm de libris novis, quæ magno hodie numero prostant, Diaria satis avide evolvantur, non minorem se apud eruditos gratiam initurum credidit Commentariorum horum Autor, si de veteribus libris dicere instituerit, qui vel a raritate, vel a præstantia commendari mereantur, aut omnium quondam oculos in se converterint. Longe enim plura & notabiliora de his referri posse, quandoquidem & fata tum prospera, tum adversa, quæ auctores quidam ob libros a se editos subierunt, & de libris ipsis judicia eruditorum, censuræ, refutationes, apologiæ, variæ item editiones, auctæ, emendatæ, truncatæ, corruptæ, nec non alia sexcenta veniant commemoranda. Hæc sedulo observata ab Autore in præsenti opere, etsi materiam ipsi præbeant uberrimam, ulterius tamen progredi, integraque subinde opuscula inserere, quæ ad historiam, rem literariam, librorumque editiones spectant, tum etiam quorum præstantia simul & raritas desiderium sui dudum apud eruditos excitarunt, ipsi visum est.

De binis itaque Guil. Postelli libris rarioribus primo hoc Tomo dicturus præstantissimus Autor, Vitam ipsius præmittit, quam multi delinearunt, Crucimanius vero amplissimo Commentario exponere in se recepit, quanquam nihil ejus adhuc comparuerit. Diligenter hic inter se comparavit Autor Scriptores de vita Postelli, quos inter præ ceteris usui ipsi fuit paucis alias cognita Historia Monasterii S. Martini de Campis, edita Parisiis 1637, 4. Autore Martino Marrier, ejusdem in hoc monasterio conclavis incola, quod ante ipsum Postellus inhabitaverat.

Pag. 3. Hinc enim nostro innotuit tempus mortis, & Epitaphium Postelli, aliaque de eo singularia, pars item vitæ ipsius ex fragmento Codicis Thuanei: hinc imaginem quoque Postelli ad vivum expressam cum versiculis quibusdam ei adjectis desumsit. Miramur autem, non innotuisse Viro diligentissimo B. Ittigii nostri cum cura elaboratam de Guil. Postello dissertationem. His itaq; instructus adminiculis Cl. Autor non tantum vitam Postelli accurate recenset, sed varios quoque errores ab aliis circa idem
10. argumentum commissos emendat. Sic Theod. Beza in Historia Eccles. ad A. 1553 tradit, Postellum Jesuitarum sacris jam fuisse initiatum, cum Viennam perveniret, cui Ordini tamen paulo post demum est adscriptus. Idem sibi ipsi contradicit, cum refert, Postellum A. 1552 Roma Parisios rediisse, quem paulo ante sub tempus mortis Caraffæ i. e. Pauli IV Pontificis (quem anno 1559 obiisse constat) Romæ e carcere liberatum esse affirmaverat. Jesui-
11. tis etiam accenset Postellum Stephanus Pasquier in Oratione contra Jesuitas, quem tamen non nisi Novitium Ordinis sui fuisse Renatus de la Fon in Defensione Jesuitarum contendit. Videri
13. vult Autor Conatuum literariorum (*Essais de Litterature*) legisse librum Postelli, quem *Virginem Venetam* inscripsit; fucum vero eum facere lectoribus, ex eo demonstrat Noster, quod Latina lingua exaratum eundem esse dicat, quem lingua Italica con-
17. scriptum esse constet. Dubitat etiam Noster, utrum recte dicatur Postellus ob portentosa, quæ publicavit, dogmata, inclusus esse Monasterio S. Martini de Campis; sed cum nec ipse dubiis suis multum tribuere videatur, nos iis non immorabimur, præ-
20. cipue quod ad singula facile responderi queat. Variant quoque circa tempus mortis Autores, quos plerosque redarguit supra laudatus Martinus Marrier, hoc ejus Epitaphium, mendose in Observationibus Halensibus T. III (quæ a variis Viris elaboratæ uni Cel. Thomasio minus bene hic tribuuntur) & ab Ant. Teisserio relatum, afferens:

POSTELLUS POSTQUAM PERAGRAVIT PLURIMA PASSUS
PRO PIETATE POLOS PARISIIS PETIIT.
OBIIT SEXTO SEPTEMBRIS 1581.
MOERENS PONEBAT ADRIANUS TARTRIER MEDICUS.

Maxi-

Maxime autem omnium occupatum tenet Nostrum ætas Postelli, cui alii 130 aut 110, alii 95 aut 96, plurimi vero 100 circiter annos tribuunt. Mart. Marrier in Historia Monasterii de Campis ait, eum annos 76, menses 3, dies 9, vivendo absolvisse; cum quo consentit etiam Thevetus in Vitis Virorum illustrium; edocuit vero Nostrum Vir magnus & fide dignus Parisiis degens, habere se in manibus Testamentum Postelli ipsius manu die 2 Decembris anni 1567 exaratum, quo fateatur is, se die 25 mensis Martii proxime præterlapsi annum ætatis 57 esse ingressum; unde colligere licet, eum anno 1510 natum post annum æt. 71, nonnisi menses 5 dies 12 supervixisse. Nihil tamen hic audet definire Autor noster, qui inter varia in laudem aut vituperium Postelli dicta id etiam commemorat, Epistolas ejus omnes Parisiis custodiri a Viro docto, qui editionem earum moliatur, pluraque scripta ejus anecdota Cel. Baluzium possidere. Pag. 22. 28.

2. Alterum locum occupat rarissimum juxta atq; eruditissimum opus Postelli *de Orbis Terræ Concordia*, Basileæ ap. Jo. Oporinum 1544, f. impressum, cujus liber I antea minore forma excusus fuerat, cujusq; ope hæreticos, gentiles & Mahometanos facile confundi posse Spondanus existimavit. Hujus libri analysin cum instituisset Autor noster, duo potissimum in eo reprehendenda esse monet; tum quod dogmatibus Philosophiæ Scholasticæ innutritus Postellus obscurius fere animi sensa explicet; tum quod numero potius, quam pondere argumentorum certare videatur. 3 Eodem quoque obscuritatis vitio laborat, quod tertio loco sequitur, *de Nativitate Mediatoris ultima & toti Orbi terrarum in singulis ratione præditis manifestanda* Opus; *Autore Spiritu Christi*, *Exscriptore* Guilielmo Postello, *Apostolica professione Sacerdote*, impressum Basil. 1547 in 4. 30. 33.

4 Notatu digna sunt, quæ ex libro Henrici Stephani, *L' Introduction au Traité de la conformité des Merveilles anciennes avec les modernes, ou Traité preparatif à l' Apologie pour Herodote*, inscripto referuntur, cujus duodecim omnino editiones, omnes, unam si excipias, a se visas, recenset Noster. Excuderat maximis sumtibus Herodotum Stephanus, cui ut nocerent monachi, Historicum ubique ut fabularum minime verisimilium architectum traducebant. Horum calumniis obviam iturus Stephanus, ostendere libro hoc instituit, iis gemina, si non deteriora, patrum memoria accidisse, totq; detestanda undecunq; collegit & stulta hominum pessimorum facinora, quæ humanum nus universum in ruborem dare possent. Præcipue in hoc thea- 41.

tro scelerum execrandorum non postremæ partes sunt monachorum, quos hoc facto mirum quantum irritaverat Stephanus; quamvis vivicomburium eum fuga evitasse, crematumque esse ea
Pag. 40. de causa in effigie, cum Alpes transcenderet, gratis a Corn. Tollio, Robertum patrem cum Henrico filio confundente, asseratur. Ce-
44. terum licet multa liber hic contineat otiosa & nihili æstimanda, etsi stilo etiam conscriptus sit nimis diffuso, auctorque nonnulla iterum iterumque repetat, fatendum tamen est multa ibi legi singularia & alibi haud temere reperiunda.

5. Sequitur vita Franc. Seraphini Regnierii Desmarets, (qui A.
60. 1713 octogenario major decessit) ab ipso in gratiam Academiæ Florentinæ *della Crusca*, cujus ille, sicut & Academiæ Gallicæ, fuerat membrum, conscripta; digna illa quidem lectu, sed quam
76. repetere hic spatii, quo circumscribimur, vetat angustia. 6. Subjungit Autor recensionem Arithmeticorum Diophanti Alexandrini s. potius Præfationis iisdem a Claud. Casp. Bacheto Meziriaco editioni Parisiensi anni 1620 præmissæ, quod eandem multis licet rebus memoratu dignis refertam, in sua editione To-
90 losana anni 1670 recudi non curaverit Fermatus. 7. Hanc excipit Vita Æsopi ab eodem Meziriaco conscripta, adeo rara, ut, licet ter minimum impressa, a Cel. Bælio tamen diu frustra sit quæsita.
104. 8. Hinc de Arrestis Amorum agit Autor noster; quo opusculo Martialis Arvernus sæculo XV varias quæstiones ludicras & amatorias ad imitationem societatis cujusdam in Gallia *la Cour d' Amour* dictæ decidit, in quas serio & arduo conatu Commentarium scribere aggressus est Benedictus Curtius Symphorianus, eruditum illum quidem & magno juris apparatu instructum, sed qui inter nugas difficiles suo quodam jure sit referendus. 9. Belli deinde Jobelinorum & Uraninorum Historiam
116. qunadam texere conatur Autor, cujus hæc fuit origo. Benseradius, celebris Poeta Gallus, cum illustri cuidam fœminæ Paraphrasin in Jobum mitteret, addebat versiculos nonnullos ad eandem, qui magno cum applausu ab omnibus fere legebantur; erant tamen, qui Vetturii carmen in fœminam quandam, cui Uraniæ nomen dederat, præferre auderent. Qua super re non modo omnis eruditorum ordo, aulæq; ingenia elegantiora in partes discessere, sed carminibus etiam ab utraq; parte divulgatis decertatum est, unde postea illi quidem *Jobelins*, hi vero *Uranins* a Gallis dicti sunt. Sub nume-
135. ro 10, 11, 12, recensentur Opera Marci Hieron. Vidæ ex editione rarissima Cremonensi 1550, 8, in quibus varia notantur; Macaronica Merlini Coccaji, sub quo nomine Theophilus Folengus
139. Mantuanus, monachus Benedictinus, latet, & P. Ant. Vieiræ Je-
142. suitæ Orationes Sacræ ex Hispanico in Italicum sermonem translatæ,

latæ, quæ versio emphasin autoris aliquando non satis assequi, Nostri judicio, videtur.

13 Affertur deinde vetus Inscriptio, non ita pridem Lugduni Gallorum eruta; quæ cum florentissima Galliæ ingenia adhuc exercuerit, (cujus rei fidem faciunt variæ nuper Diario Trevoltiensi Mense Majo & Junio insertæ Dissertationes,) visum est eam integram hic oculis Lectorum subjicere. 145.

D ET MEMORIÆ M
AETERNAE HYLATS
DYMACHERO SIVE
ASSIDARIO P VII RV I
ERMAIS CONIVX
CONIVGI KARISSIMO
P C ET S AS D

Hujus

Hujus Inscriptionis binas Autor noster exhibet interpretationes, alteram summi cujusdam Viri, alteram vero Domini Moreau de Mautour. Nos priorem, quia brevior est & Latino sermone constat, hic repetendam duximus, quæ ita se habet: *Quid petis, V. Cl. multa a me scribi ad hanc inscriptionem, quæ se ipsa satis aperit, quum primus versus habeat lusum sæpe a Lapicidis positum transferendo vocabulum, quum intelligi debeat DIIS MANIBUS ET MEMORIÆ ÆTERNÆ. Nota autem † quum varie possit explanari, simpliciter nunc videtur poni pro genitivo HILATIS, ut ab tertio versu demum incipiat vera inscriptionis ratio & formula, quæ exigebat dativum, quem ab ejus arte inchoat, DIMACHERO SIVE ASSIDARIO, ut fuerit gladiator, sed duplicis generis. Nam postremum sumo pro Essedario, prout jam in ipso Lipsio (in lib. Saturn.) ista varietas ostentatur. Prior autem se ipse explanat. Hic igitur sive Dymacherus sive Essedarius habuit PRAEMIA SEPTEM, RUDEM UNUM, ut constet inter præmia & rudem fuisse; nisi quod possis etiam velle* Rudes duos, *quoniam ista vocalis, quæ sequitur, pro gemina* ii *solet poni, ut constet præter* Rudem *fuisse alia præmia pecuniaria, &c. Infimus versus explanari debet, PONI CURAVIT, ET SUB ASCIA DEDICAVIT, ex more. Vale.*

Pag. 151, 14.15. Post varia ingeniose dicta ex Balsaci Dialogis excerpta,
157. tres Epistolas adhuc ineditas exhibet Autor noster, de abdicatione Christinæ Suecorum & Vandalorum Reginæ; binas scilicet Canuti Suecici ad Regem Christianissimum Legati, cum responsione Reginæ ad priorem. 16. Collectio deinde Scriptorum de Memorabilibus & claris mulieribus, quam Jo. Ravisius Textor Paris. 1521, f. in lucem edidit, tanquam opus rarum, recensetur,
165. variaque fabulosa & ridicula ex Jac. Philippi Bergomensis, qui præcipuus fere istorum Scriptorum est, commemorantur. Communicat denique 17. Autor Epistolam ad se scriptam, qua editio
172. Quintiliani cura Sim. Colinæi Paris. 1541, 4. excusa valde extollitur, Raynaldi, Maridati & Solerii de Pileo scripta, quæ laudantur, unum eundemq; Theoph. Raynaudi Jesuitæ librum esse docetur, in editione tamen quæ Solerii nomen præfert, valde mutilatum & figuris æneis admodum ridiculis oneratum; varii præterea Chevræi errores notantur, verusque Longolii, Casauboni & Meursii
180. locus natalis ex ipsorum scriptis indicatur. 18. Agmen claudunt variæ observationes litterariæ jucundæ pariter atque utiles, quæ sane palatum lectorum movebunt, desideriumque subsequentium, quorum spem facit Autor, Tomorum operis elegantissimi, cui etiam chartæ typorumque nitor perbelle respondet, apud peritos ejusmodi delitiarum æstimatores excitabunt.

* *
*

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno M DCC XV.

Das Teutsche Reichs-Archiv.

i. e.

ARCHIVUM IMPERII ROM. GERMANICI, collectore JOANNE CHRISTIANO LUNIGIO.

Tomi XIII.

Lipsiæ, apud hæredes Frid. Lanckisii, 1710-1714, fol. Alph. 181 plag. 19.

ALiquoties in Actis nostris Cl. Lunigii laudata est industria, qua Germaniæ res illustrare adhuc studuit, inprimis vero magnum opus, quod Archivum Imperii inscripsit, elucet, de cujus Tomis, separatim hoc quinquennio editis, etsi prolixius subinde agi potuisset, integri tamen operis, quod nunc demum prostat, conspectum exhibere maluimus. Dividitur illud in partem generalem & specialem, quarum illa tribus, hæc decem voluminibus absolvitur. Parte generali S. Rom. Imperii leges fundamentales, Aurea Caroli IV Bulla, Pax religiosa & profana, Capitulationes, Comitiorum & Deputatorum Recessus, Osnabrugensis, Monasteriensis, Neomagensis, Rysvicensis Pacis instrumenta, aliaque a tempore Aureæ Bullæ Caroli IV usque ad Invictissimum CAROLUM VI Imperatorem hodie regnantem promulgata, continentur. Has variæ Imperii, Judicii Cameralis, & Aulici, Criminales, Monetariæ & Politicæ Ordinationes sequuntur, quas Matricula Imperii, acta etiam præsentium ab anno 1663 duranti-

um Comitiorum Ratisbonensium, quatenus publicum Imperii statum concernunt, cum Imperatoriis edictis excipiunt, in quibus inprimis dedit operam Cl. Lunigius, ut accurate omnia & a mendis purgata excuderentur. In Aurea Caroli IV Bulla edenda Thulemarium secutus est, qui cum originali collatum, reliquisque editionibus accuratius exemplum dedit; cui etiam Capitulationem Maximiliani II Regis, quam & Goldastus & Limnæus & Carpzovius non nisi corrupte dederunt, debemus. Communicavit præterea cum Cl. Editore Cancellarius quidam permultos errores, ab editoribus Recessuum Imperii commissos, quos Noster emendavit, sublatis etiam sphalmatibus, quæ Ericus Mauritius aliique observarunt. Ordinationem Judicii Cameralis, quam quarto §. mutilatam dedit Editio Hanoviensis vetus, integritati suæ restituit. Eminet præterea Extractus ex Libro Archivi Ulmensis, anno 1562 studio Melchioris Schererii Liberarum Imperii Civitatum Registratoris & Spirensis Urbis scribæ, ex authenticis actis confecti, quo gesta in comitiis Imperii ab anno 1356 usque ad annum 1500 continentur, cujus copiam sibi factam grata mente prædicat Editor. Denique Juris publici Germanici Examen, quod A. 1710 Latina lingua, forma, quam vocant, octava, editum Jac. Brunemanno, JCto, Assessori Scabinatus Regii in Pomerania Borussica & Syndico Provinciali, debetur, & brevitate rerumque selectu commendatur, Descriptio Electionis Imperatoriæ, Comitiorum, Judiciorum Imperii eorumque concurrentis Jurisdictionis accesserunt.

Pars Specialis Fœdera, Manifesta, Armistitia, Instrumenta pacis, recessus, concordata, uniones, & conventiones in rebus tam religiosis quam civilibus, pacta familiæ, statuta primogenituræ, litteras investituræ, exspectativas, pacta dotalia, reversales literas, venditiones, obligationes, cessiones, renunciationes, testamenta, codicillos, statuta ordinum tam ecclesiasticorum, quam politicorum, capitulationes, ganerbinatus, tractatus commerciorum, & stapularum, privilegia, diplomata, aliaque I Imperialem regiamque domum Austriacam, II Jura Electorum & omnium Statuum Imperii, III Electores & Principes ecclesiasticos, & IV seculares, V Prælatas & Abbatissas, VI Comites & Barones

rones

rones S. Rom. Imperii, VII civitates immediatas, IIX nobilitatem immediate Imperio subjectam, tandemque IX civitates Hanseaticas & majores municipales concernentia complectitur, e quibus vel rarissima monumenta enumerare prolixum foret nimis & ab instituto nostro alienum, tantum abest, ut specimina afferre ex opere tam vasto liceat. Et propositum quidem fuerat Cl. Autori hac ratione colophonem operi imponere; enimvero quum deprehenderet, se diplomata, quæ ad Status Germaniæ Ecclesiasticos eorumque jura spectant, uno opere complecti, non posse obtinere, nec prompte adeo, quæ de Episcopis & Abbatibus immediatis desiderabat, consequeretur, novum inde *Spicilegium Ecclesiasticum Archivi Imperii*, *sive Germaniam sacram diplomaticam* magna cura magnisque sumtibus colligere cœpit, quod proxime absolvendum, Pontificum, Cæsarum aliorumque diplomata, fundationes, donationes, statuta, privilegia aliaque documenta complectetur, quibus christianæ religionis in Germania fata & Archiepiscoporum, Episcoporum, Teutonici & Joannitici ordinis, Abbatissarum & Abbatum jura & historia illustrabuntur. Hoc *Spicilegium* aliud *Seculare* sequetur, in quo documenta varia rarissima, maximam partem inedita, quæ amplissimo commercio literario collegit, invenientur. Quo labore finito Indicem generalem accuratissimum totius vasti operis concinnabit, separato Tomo edendum, quo efficiet, ut ad usum accommodatius reddatur tot Voluminum opus eximium. Ceterum non uni labori intentus est: nam dum *Spicilegia* illa, quæ diximus, sub prelo sudant, prodiit hoc ipso anno opus non minus elegans sub titulo; Europäische Staats-*Consilia*, duobus haud modicis in fol. Voluminibus, de quibus dicemus alio tempore; & jam Nobilissimus Autor totidem Voluminibus (quorum primum jam prelo absolutum est) Deductiones jurium summorum Imperii Statuum, maximam partem rarissimas, ac publica autoritate conscriptas sub titulo: **Grundfeste Europäischer *Potenzen* Gerechtsame,** magno haud dubie Eruditorum fructu, edere parat, nec alia posthac cimelia invidebit Germanis nostris, quæ ut feliciter absolvat, serio precamur.

PHILIPPI A LIMBORCH, SS. THEOL. INTER Remonstrantes Professoris, Theologia Christiana. Editio quarta ab Auctore recognita & aucta. Accedit Relatio historica de origine & progressu controversiarum in Fœderato Belgio de Prædestinatione.

Amstel. apud Rod. & Gerh. Wetstenios, 1715, fol. Alph. 10 plag. 8.

QUamvis operis hujus contenta jam pridem in Actis A. 1686 p. 515 enarraverimus, atque in iisdem A. 1713 p. 41 ex Cl. Clerici Oratione funebri, quam novæ huic editioni præmissam fuisse animadvertimus, Limborchii vitam & scripta communicaverimus, e posthumo tamen tractatu de origine & progressu controversiarum in Fœderato Belgio de prædestinatione, qui huic Editioni accessit, nonnulla addere non abs re duximus. Ante vero quam id fiat, monendum erit, quod ipse Autor secundam A. 1695 & tertiam editionem A. 1700 adornaverit, easdemque partim emendaverit, partim in multis locis, quibus dogmata quædam aut pluribus illustranda ac dilucidius explicanda, aut aliis iisque novis argumentis, vel doctorum virorum testimoniis confirmanda putaverat, auctiores reddiderit, curam vero præsentis editionis, quæ quarta est, Gisbertus Ostens, qui sacro prædicandi Evangelii munere fungitur, in se susceperit. Præterea significandum esse arbitramur, quod Theologia hæc Christiana apud Belgas Britonesque in tanto pretio fuerit, ut illam in vernaculam traduxerint. Jam quod ad opus posthumum attinet, originem controversiarum in eo primum indagat Limborchius, & Augustinum fervore disputandi cum Pelagio abreptum sententiam de absoluta prædestinatione, quam doctores primitivæ Ecclesiæ hactenus ignoraverant, proposuisse ac eandem animose defendisse docet. Postea de illo argumento hinc inde in Ecclesia disputatum fuisse asserit, donec post tempus Reformationis Lutherani ad exemplum primorum Doctorum Christianorum prædestinationem conditionatam tueri, Calvinus vero, Genevenses, & nonnulli in Germania, Helvetia alibique non tantum Augustinum sequi, sed & illius

illius sententiæ novum articulum, quod scilicet vera fides non possit penitus amitti, superaddere cœperint. In Ecclesiis Belgicis licet semper prædestinationis conditionatæ patroni fuerint, variasque propterea molestias æquo animo tulerint, neminem tamen eorum ex instituto hanc materiam exposuisse, pluresque adeo adversarios præter ipsum Jacobum Arminium discipulos ejus habuisse prolixe commemorat. Quum enim is ad Ecclesiam Amstelodamensem vocatus, aliquando in explicanda Pauli epistola ad Romanos versaretur, ac in capite nono de absoluta prædestinatione nihil omnino deprehendi pro concione affirmaret, Petrus Plancius eum coram synedrio accusavit, sed Arminius litem statim composuit, & ad Plancii objectiones respondit. Quum porro Theologiæ Doctor & Professor in Academia Lugdunensi constitutus in publica quadam disputatione doceret, divinam prædestinationem esse decretum, quo Deus fideles in Christum & in fide perseverantes justificare & salvare, infideles vero damnare statuisset, paucis post mensibus disputationem illi extra ordinem opposuit Franciscus Gomarus, in qua sententiam suam de prædestinatione hominum, ante lapsum consideratorum, assertum ivit, & pro objecto prædestinationis creaturas rationabiles, damnabiles, creabiles, reparabilesque venditavit. Ob hasce contentiones convocanda fuisset Synodus Nationalis, si modo de tribus potissimum capitibus, videlicet de controversiarum in doctrinæ negotio judice, de norma, secundum quam judicandum foret, de revidenda tum Confessione Belgica tum Catechesi Palatina, inter Gomarum & Arminium convenisset. Haud equidem multo post ab Ordinibus Hollandiæ vocati in Consessu inter se invicem contulerunt, sed irrito successu, tum quod Gomarus controversiam multum exaggeraret, tum quod Arminius vix finito colloquio in gravem morbum incideret, atque ex hac vita emigraret. Post obitum Arminii Uitenbogardus & Simon Episcopius de auctoritate Magistratus Christiani circa sacra adversus Gomarum & Antonium Walæum disputarunt, ac penes summum Magistratum supremam circa externum Ecclesiæ regimen potestatem esse contenderunt. Interea dum Ecclesiastici omnes cum Arminio idem de prædestinatione sentientes Eccle-

ſiis expellere auſi fuerant, nonnulli ex Arminianis libellum ſupplicem, titulo Remonſtrantiæ, a qua poſtea Remonſtrantes appellati ſunt, Ordinibus Hollandiæ obtulerunt, ſuamque ſententiam quinque articulis comprehenderunt. Aſt huic Remonſtrantiæ Contraremonſtrantiam oppoſuerunt adverſarii, unde & Contraremonſtrantes dicti, qui nihil magis quam ſchiſma moliebantur, & de idonea ratione univerſalem unanimemque ſeceſſionem formandi deliberabant. E contrario Remonſtrantes mutuam diſſentientium in articulo prædeſtinationis tolerantiam urgebant, prout Ordines in Collatione Hagienſi antea decreverant. Agitata fuit hæc controverſia inter Jacobum Taurinum & Triglandium, donec in Synodo Nationali, cum Hugo Grotius multis rationibus Magiſtratui Amſtelodamenſi, ut conſilia pacis & tolerantiæ amplecteretur, perſuadere fruſtra conatus fuiſſet, edicto Ordinum Generalium Remonſtrantibus publici conventus religioſi ſerio interdicerentur. Nihilominus, cum illis privatum religionis exercitium concederetur, novæ controverſiæ de ſeparatis Remonſtrantium cœtibus, de libertate conſcientiarum, ac de hæreticidio ortæ ſunt. Cumque confesſionem fidei ſuæ ederent Remonſtrantes, controverſia de auctoritate confeſſionum renovata fuit. Tandem concludit Limborchius, Remonſtrantes cum Contraremonſtrantibus, niſi ſua, quam veram credunt, abnegata ſententia, nullam habere poſſe unionem, neque eos ſchiſmatis olim facti & ad hodiernum diem continuati ullo modo reos eſſe, etiamſi poſt ſuam a Contraremonſtrantibus in ſynodo Dordracena factam condemnationem ſeparatos cœtus religioſos celebraverint.

ANNOTATIONES PHILOLOGICÆ IN NOvum Teſtamentum, ex Polybio & Arriano collectæ a M. GEORGIO RAPHELIO.

Hamburgi, apud Chriſt. Liebezeit, 1715, 8.
Alph. 2 plag. 4.

DIfficiliora vocabula Græca in N. T. dilucidius juxta genuinas eorum ſignificationes ex Auctoribus Græcis enarrare pergit Maxime Rever. Raphelius, Eccleſiæ Luneburgenſis ad D. Nic'i

Nicolai hodie Paſtor, & quemadmodum antehac Xenophontis dictionem, uti in Actis A. 1709 p. 109 diximus, ad ſacros uſus transferre conatus eſt, ita cum Iſaaco Caſaubono voces nonnullas, quæ in divinis literis rariores ſunt, in Polybio frequentes eſſe docet, ſuasque annotationes hortatu celeberrimi viri, Jo. Alberti Fabricii, publicæ luci nunc exponit. Polybio adjungit Arrianum; quandoquidem exantlatis laboribus Xenophonteis Arrianum ſtatim legerit, & quædam notatu non indigna in eo deprehenderit, conſiliumque olim ceperit de adornanda librorum ejus de expeditione Alexandri M. nova editione, quæ ſtudiis juventutis potiſſimum inſerviret, ac ita comparata eſſet, ut ex Bœcleri conſilio Arrianus & Curtius inter ſe comparari, & hac ratione una opera utraque lingua excoli poſſet. In Præfatione conatum ſuum adverſus diſſentientes prolixe defendit, moremque ſacras paginas ex profanis Autoribus illuſtrandi non novum ſed antiquum eſſe exemplis probat, ac in evolvendis conferendisve divinorum oraculorum cum Polybii & Arriani locis eo inprimis reſpicere ſe voluiſſe monet, ut modo verborum locutionumque natura explicaretur, modo conſtructio dubia teſtimoniis comprobaretur, modo Græciſmi ac Hebraiſmi vindicarentur, modo elegantia ſermonis Biblici oſtenderetur, modo ſententia ſacræ ſimilis afferretur, interdum etiam aliquid ex veteri hiſtoria depromeretur. Dabimus ejusmodi obſervationum aliquot ſpecimina; ſic τὸ κάρφος, Matth. VII, 3, Polybio eſt minutulum quoddam lignum, quo nota quadam inſignito pro teſſera militari utebantur Romani. Ad cap. IX, 35 Stephanum refellit, qui κώμας munitas dari negat. Ἀσέλγεια, Marc. VII, 22, quam Interpretes de laſcivia ſive impudicitia accipiunt, ei eſt injuria, quæ famæ & fortunis alterius vel corpori animo malitioſo infertur. Hebraiſmum cap. X, 26 occurrere perperam arbitratus eſt Grotius, quandoquidem Noſter Arrianum particulam καὶ ita uſurpare obſervat. Hammondus Act. III, 13 *κατὰ πρόσωπον Πιλάτου contra voluntatem Pilati* interpretatur, ſed *coram Pilato* exponendum eſſe, ex Polybio demonſtrat Raphelius, atque ex eodem ad cap. VII. 43 Deorum ſimulachra τύπους vocari animadvertit. Ποιεῖν χρόνον, cap. XV, 33 phraſin pure Græ-

Græcam esse, & ἀκροατὰς, Rom. II, 13 non tantum auditores, sed etiam lectores appellari, itemque κατὰ καιρὸν, cap. V, 6 suo tempore, quando Deo commodum visum fuerit, denotare monet. Συγκλείειν εἰς πίστιν, Gal. III, 23, significare ad fidem adigere, eo necessitatis quem redigere, ut ad fidem tanquam sacram anchoram confugere cogatur, ait. Ad Phil. II, 6 animadvertit, ἁρπαγμὸν ἡγεῖσθαι esse rei vehementer desideratæ & amatæ potiundæ occasionem oblatam avidissime arripere, neque pati, ut ullo modo ea elabatur, nullam moram interponere, sed statim rem optatam persequi, & eam studiosissime cum summa lætitia occupare, eaque perfrui. Singulas hasce annotationes luculentis Polybii & Arriani testimoniis confirmat, ac interdum loca N. T. quæ in Opere Xenophonteo exposuit, ulterius ex his Scriptoribus illustrare conatur. Ceterum in votis habemus, ut labores, quos in LXX Interpretes, quorum orationem cum Novi Fœderis sermone comparabit, conferre cœpit, continuare atque cum Eruditis communicare velit.

M. JO. CHRISTIANI BLUMII, S. T. B. Animadversionum Sacrarum, ad commata quædam Fœderis Antiqui selecta, Pentas secunda.

Lipsiæ, impensis hæredum Lanckis. 1715, 8.
Plag. 9.

De prioribus quinque ad antiquum Fœdus Animadversionibus in Actis A. 1711 p. 331 dicere cœpimus; jam sequitur Animadv. VI, in qua Cl. Auctor, Collega noster honoratissimus, edictum divinum, Exod. XIX, 24, de non facienda in montem Sinai promiscua irruptione expositurus, memorabile discrimen in V. & N. T. obvium ostendit, causasque prærogativæ, qua fideles post Christum natum gaudere possunt, studiosius considerat. Βιασμὸν optime per fervens desiderium ad promissum Messiam accedendi, ac incredibilem conatum cum vehementia quadam, vi & audacia conjunctum, explicari posse arbitratur. Per כהנים Levitas, quos Deus loco primogenitorum inter filios Israelis sibi conciliavit, intelligit, & licet illi pecula-

culiaribus ceremoniis tanquam ordinarii ſacrorum adminiſtri eo tempore introducti nondum fuerint, προληπτικῶς tamen eosdem in commate memorari putat. Animadv. VII ad Joſ. II, 1, de ablegatione Ebræorum ad explorandam terram hoſtium verba facturus, in legatorum nomina, numerum, dignitatem officiumque inquirit, & רחב, apud quam legati in præcipua civitate Jericho diverſari debebant, revera meretricem in ſtatu ante converſionem fuiſſe cenſet, aliorumque argumenta, qui pro hoſpita eam venditant, ſub examen vocat. Quod inhoneſto πόρνης titulo ea, etiamſi credentium numero jam adſcripta fuerit, ab Apoſtolis adhuc inſigniatur, eum in finem factum eſſe credit, ut ſacri Scriptores partim ad priſtinum vitæ genus reſpicerent, partim novum pœnitentiæ exemplum ſuppeditarent. Animadv. VIII locum Ezech. XXIII, 15, non tantum de idolo Babylonico interpretatur, ſed etiam illud נסרך, cujus in libro Regum & apud Jeſaiam mentio fit, appellari conjicit. Hinc de forma ejus humana, colore, quem purpureum fuiſſe opinatur, & ornatu reliquo tum capitis tum corporis multa diſſerit, & ubi ad Chaldæos progreditur, Marshamum confutare conatur, qui originem Babylonis ad recentiora tempora, ad ætatem nimirum Nabonaſſari, referre haud erubuit. Animadv. IX occaſione loci Dan. X, 13 ſtatum Judæorum ſub imperio Perſarum enarraturus, & dura eorundem fata expoſiturus, de commoda tituli שר מלכות פרס interpretatione ſollicitus eſt, nec alium, quam Ahaſverum, Xerxis etiam nomine apud profanos Autores celebrem, indigitari poſſe evincit. Quorſum inter alia unum & viginti dies ſpectare ait, ubi Angelus loquens annorum regni Ahasveri procul dubio rationem habuiſſe exiſtimandus ſit. Per Michaelem vero intelligit Chriſtum, qui templi ædificationem ad finem perducendam curaverit, & relictos in Oriente Judæos ab omni malo liberaverit. Animadv. X vaticinium Zach. XIV, 4 illuſtrare aggreditur, & Prophetam ad ultimos duos exaltationis gradus, videlicet aſcenſionem Salvatoris in cœlos ejusdemque ad dextram Dei Patris ſesſionem, reſpexiſſe, ac montem olivarum, unde Chriſtus aſcendit, omnium primum unicumque indicaſſe obſervat. Sen-

tentiam Whistoni, primam ascensionem ex Bethania ultimamque ex monte Oliveti factam esse autumantis, examinat, ac de incrementis Ecclesiæ Christi nonnulla in genere subjungit, specialiora autem in peculiari tractatu de propagatione Evangelii per omnes provincias inde ab ascensione Domini usque ad nostra tempora pollicetur.

BERNHARDI RAUPACHII COMMENTAtio de officio Ministri Ecclesiæ ex mente & exemplo Patrum Apostolicorum.

Kilonii, literis Barth. Reutheri, 1714, 8.

Plag. 15.

EXemplis clarissimorum Theologorum, qui doctrinam de sacro ministerio dilucidarunt, excitatus doctissimus Autor, eandem materiam ex instituto pertractare, suasque meditationes verbis Patrum Apostolicorum, quibus vel sparsim ac breviter nonnulla hanc in rem monent, vel suo, quid agendum sit, exemplo monstrant, comprobare allaborat. Sigillatim ergo de divina ministerii origine, vocatione Ministrorum Ecclesiæ, ordinatione Ecclesiastica, Clericorum ordine a reliquis Ecclesiæ membris distincto, Episcopis & Presbyteris, virtutibus & nominibus præconum Evangelii, prædicatione verbi & usu sacramentorum, cura docendæ veritatis Evangelicæ, prudentia in censendis hæreticis, ratione in tradendis vitæ Christianæ præceptis corrigendisque hominum moribus, publicis Christianorum cœtibus, Catechismo, domestica visitatione aliisque copiose disserit, & varia testimonia ex Clementis Romani, Ignatii, & Polycarpi scriptis adducit. In fine Jo. Rivii librum de officio Pastorali Ministrorum Ecclesiæ in pagis subjungit, eumque Misenæ A. 1548 primum, & Coburgi A. 1697 denuo excusum esse monet.

INSTITUTIONUM IMPERIALIUM EXAmen Theoretico-Practicum. Autore ALB. FRID. BERNEGGERO, Consiliar. Aulic. Hohenl. Barttensteinensi.

Fran-

Francofurti, sumtibus Johannis Adolphi & Joh. Guiliel. Rœnnagelii, 1714, 8.
Alph. 3 plag. 15.

CUm in studio Juridico Definitionum atque Divisionum non ultima habenda sit ratio, in quibus addiscendis illud imprimis crucem figit novis Justinianeis, ut eorum, quæ primo semestri magno studio ægre memoriæ impresserunt, postea ubi ad altiora, ipsaque adeo Pandectarum Volumina processerint, nulla sit recordatio, novosque rerum conceptus aliis penitus verbis involutos non sine dispendio temporis sibi formandos habeant; inde a multis hactenus tale compendium in Institutiones Juris desideratum est, quod in ipsa etiam Pandectarum tractatione suum præberet usum. Horum igitur desideriis Consultissimus Dominus Autor præsenti libello satisfacit, dum in explicatione Institutionum secundum ductum causarum per quæstiones succinctas instituta, Compendium Juris Schüzio-Lauterbachianum, in omnibus Germaniæ Academiis magno applausu receptum, ejusque Editionem, quæ anno MDCCI prodiit, exacte sequitur, omnesque ejus *Descriptiones & Divisiones*, quæ ad Institutiones pertinent, retinet, loca parallela ex ipso compendio notat, loca obscuriora ex Collegio majori aliisque Lauterbachii Voluminibus supplet & illustrat, multa denique ex prælectionibus Illustris Harprechti aliorumque addit. Adeo ut illi, qui ductu Compendii Lauterbachiani Digesta aliquando sunt pertractaturi, isto labore non solum salutariter uti, verum etiam eodem carere commode non posse videantur.

Tradit vero in Prooemio Præcognita Juris Civ. atque Canonici, ubi qu. 22 de Novellis earumque Versione triplici agit, inter quas versionem vulgarem usu & praxi adeo receptam existimat, ut licet textus Græcus alium ostendat sensum, ab eo tamen in foro recedere haud liceat. In Tit. de Aut. Tutor. meminit effati Maximiliani II Imperatoris, quo Tutores Gerhaber Austriaco idiomate, nostro Gernhaber, appellare solitus fuit. Porro quoad Dona Patrinorum, vulgo das Pathen-Geld/ distinguit, an ea fuerint modica & ad peculium adventitium, an vero opima & inconsueta, maxime si Pater excellentioris est

pag. 7

185.

440.

 digni-

dignitatis, & ad peculium profectitium referenda autumat.
pag. 1043. An ultimo supplicio affici possint, qui res furtivas ab altero ablatas receptant, occultant, deque illis participant, disquiritur tit. de Obl. ex Del. qu. 43. & variis ex rationibus affirmatur. Cur
1054. vero durior vindicta placuerit in furtis manifestis quam nec manifestis, sequens adfertur ratio, scilicet quia in illis major esset impudentia atque violentiæ inferendæ suspicio, quam quidem in
1342. his. Pœnam adulterii capitalem consuetudine tolli posse persuasum sibi habet in qu. 43 tit. *d. Publ. Judic.* Et licet letha-
1357. liter vulneratus demum post decimum, vicesimum vel tricesimum diem, imo plane post tot septimanas decedat, hoc tamen
1384. pœnam ordinariam non impedire, qu. 82. Denique æditurum, den Kirchner/ sacrilegii criminis reum esse, si ipse arcam sacrarum eleemosynarum effringat, vel aperiat. Quodsi tamen ipse ex Eleemosynis a se collectis & nondum in ejusmodi arcam illatis, sed v. g. ex sacculo, dem Klingelbeutel, aliquid retinuerit, esse sacrilegium, quoniam tum quodammodo adhuc in ejus fuerit custodia.

A. A. PAGENSTECHERI, JCTI, ADMONITOria ad Pandectas. Ed. quarta auctior.

Groningæ, apud Joh. a Velsen, 1715, 8.
Alph. 2 plag. 15.

EA est Celeberrimi Autoris eruditio, quam luculentis dudum speciminibus comprobavit, illudque ex merito positum a doctis huic libro pretium (quippe qui post triplicem Groningensem, Marpurgensem, & Coloniensem Editionem exemplis magno numero divulgatis, quartum recudi debuerit) ut ejus commendatione ultro supersedeamus. Cum tamen hac nupera editione plurimis eruditis accessionibus, quæ non modo Juris sed & politiorum literarum studiosum oblectabunt, prodierit locupletatus, pauculis quibusdam ex additarum solum rerum larga segete speciminibus id monere consultum duximus. Principio quidem accessit Epistola nuncupatoria, qua Illustriss. L. B. de Prinzen gratias agit eapropter, quod Augusto Borussiæ Regi autor extitit, quo Celeb. Autor luculentis conditionibus ad obeundam

dam in Academia Viadrina Antecessoris provinciam & Consiliarii Regii dignitatem vocaretur. Liber ipse vero cum ad *septenam* Digestorum divisionem compositus sit, ejus quoque in recensione hac seriem sequimur. Parte igitur 1 §. 1 vocem Pandectarum illustraturus, observat C. Apicii L. IV de re Culin. inscript. fuisse πανδέκτης. §. 67 docet distinctionis bonorum in *acquisita* & *hereditaria* ingentem in Provincia Groningensi usum. §. 206 *dolum bonum* illustrat exemplis ex Horatio aliisque depromtis. Cum Partem II perlustramus, § 44 docet, non modo Ventri *tres* partes servari, si quis uxore gravida decesserit, adeoque ventris coheredem *quartam* tantum petere posse, sed & legibus obstantibus ei sententiæ novis solutionibus satisfacit. §. 92 Servitutem *altius tollendi* ea in re constituit, ut ædes vicini nostris sumtibus, non vero vicini, ut alii censent, a nobis tollantur. In §. 137 monet, contra communem JCtorum sententiam, *actionem funerariam* non esse ipsam actionem *Negot. gestorum*, aut ejus speciem, quia actio funer. oritur ex quasi contractu cum defuncto inito. Sepelire vero defunctum non esse Neg. gestionem a defuncto gerendam, quia cum quis mortuus, quo sepulchro inferatur, ipse curare non potest. Accedimus ad P. III, ubi §. 6 quæst. 3 vocem *remittere*, & quid sit *jusjurandum remittere*, ex Senec. II de Ben. c. 32, cum *de vicibus mittendi & remittendi pilam* loquitur, illustrari videmus. §. 25 ridicula Bartoli sententia, quod *actio Triticiaria* a Monacho *Franc. Triticio* nomen acceperit, refertur & exploditur. §. 68 p. 304-316 totus insertus est, agens accurate de SC. Vellejano, & præter cetera, l. 2 ff. de Reg. J. illustrans. Ita & §. 79 lux affunditur l. 5 §. 4 ff. de Præsc. Verb. tum & §. 121 ad *relocationis* negotium illustrandum nonnulla addita sunt. In P. IV plurima materiæ *sponsaliorum* titulisque de *matrimonio* agentibus accessere, uti ex collatione §. 93, 95, 105, 107 108 &c. apparebit. Observanda inprimis Cl. Autoris sententia, qui §. 109 statuit, si vidua, quæ statim mortuo marito alteri nupsit, intra menses novem partum enixa est, partum utriusque mariti debere censeri: conf. idem de Jure Ventr. p. VI §. 44. In P. V inserti sunt plurimi longiores §§. veluti §. 10, agens de quæstione, an *cæcus* testamento facien-

 do

do possit testis adhiberi, ubi l. 9 C. de Testam. illustratur. Item §. 35. ubi negatur per exheredationem jus suitatis abscindi. Pariter §. 86 ad argumenta nuper suggesta contra sententiam, quod fœminæ testes sint habiles in codicillis, respondetur. Ita & §. 156, agens de autore regulæ Catonianæ, totus insertus est. Parti quoque VI varia accessere, uti §. 94, ubi observat, falsum esse fratrum filios, cum Thiis carent, hodie semper in capita succedere. Sic & §. 122. agente de donatione conjugum reciproca, asseritur, posse donatarium advocationem præstare tertio contra donantem. Denuo etiam §§. 123 & 144 inserti sunt, quorum ultimus, ad sex paginarum numerum excurrens, egregia de tabulæ cessione picturæ animadvertit, & l. 45 ff. de Usur. l. 38 de A. R. D. l. 5 § 1. Eod. ei sententiæ obstantibus novis conjecturis satisfacit. Denique in §. 232 ostenditur usus practicus tituli ff. de *Ripa munienda* contra Cl. V. P. *Cressium*. *Septima* atque ultima parte §. 9 in materia fidejussionis quinque notabilibus additionibus auctus est. §. 34 attexuit quæstionem de fure rupto laqueo superstite etiamnum vita decidente, negatque eum de integro suspendendum esse. Apparet quoque novus §. 57, agens de gentilium rebus pretiosis quas sepulchris indiderunt. Pariter & §. 70, 74, 103 & 131 inserti, quorum primus de DEO termino, alter de Delictis culposis gravique pœna eorum qui Bacchum, ut ajebat ille, cum Najadibus nequam adulterio miscuere; tertius exhibet 5 corollaria ad materiam de adulteriis. Quartus autem continet arduam quæstionem, an homo, quem ex gravissimis indiciis reum criminis esse appareat, cum ipse tamen facinus confiteri nolit, possit mortis affici supplicio? cujus affirmativam tuetur Celeb. Autor, eamque non solum multis consentientium Dd. suffragationibus confirmat, sed & monet, se ipsum A. 1712 de hoc jure consultum, impertiisse responsum suum, juxta quod homo confiteri culpam renuens, nihilosecius capite plexus est.

REGULA NOVA EAQUE UNIVERSALIS INveniendi differentiam Potentiarum duarum quarumcunque, sed ejusdem gradus, quarum radices sive unitate, sive quocunque numero alio differunt, reperta a CHRISTIANO WOLFIO.

Casu,

CAsu, ut arbitror, a veteribus primum animadversum est, cum scilicet per summationem terminorum in progressionibus Arithmeticis numeros figuratos venarentur, numerorum quadratorum, quorum radices unitate differunt, differentias esse numeros impares summæ radicum æquales. Sed nemo hactenus docuit, quomodo generaliter inveniri possit differentia duarum potentiarum quarumcunque ejusdem gradus. Quare cum in theorema istiusmodi universale inciderim; e re esse duxi, ut supplementum Arithmeticæ hactenus desideratum publici juris facerem. Dico itaque, si n fuerit numerus, $n+d$ alius quicunque, m exponens dignitatis, ad quam uterque numerus evehendus, & A, B, C, D, E significent terminos seriei respective antecedentes, differentiam dignitatum numerorum istorum fore $(n+d)^{m-1} d + \frac{m-1}{n} n^m d + \frac{m-2}{2n} Ad + \frac{m-3}{3n} Bd + \frac{m-4}{4n} Cd + \frac{m-5}{5n} Dd + \frac{m-6}{6n} Ed$, & sic porro in infinitum. Quodsi radices unitate differant, hoc est, si fuerit $d=1$, erit differentia $(n+1)^{m-1} + \frac{m-1}{n} n^m + \frac{m-2}{2n} A + \frac{m-3}{3n} B + \frac{m-4}{4n} C + \frac{m-5}{5n} D + \frac{m-6}{6n} E$, & sic porro in infinitum. Me non monente apparet, seriem in casibus specialibus abrumpi, quamprimum numerus ex m subducendus ipsi m fit æqualis, ita ut pro quadratorum differentia sufficiant termini duo $(n+1)^{m-1} + \frac{m-1}{n} n^m$; pro differentia cuborum tres $(n+1)^{m-1} + \frac{m-1}{n} n^m + \frac{m-2}{2n} A$, & ita porro.

Demonstratio. Potentiæ superiores procreantur, ducta qualibet proxime inferiore in radicem. Quare si radix fuerit $n+d$, potentia superior componitur ex proxime inferiore in differentiam radicum d ducta & ex eadem per numerum minorem n multiplicata. Unde si dignitas maxima ipsius n seu numeri minoris subducitur, differentia præter potentiam proxime

me inferiorem ipſius $n+d$ per d multiplicatam, hoc eſt, præter $(n+d)^{m-1}d$, conſtat ex natura potentiarum ex ſerie $\frac{m-1}{1}n^{m-1}d$

$$+\frac{m-1.m-2}{1.2}n^{m-2}d^2+\frac{m-1.m-2.m-3}{1.2.3}n^{m-3}d^3+\frac{m-1.m-2.m-3.m-4}{1.2.3.4}n^{m-4}d^4+\frac{m-1.m-2.m-3.m-4.m-5}{1.2.3.4.5}n^{m-5}d^5$$

$$+\frac{m-1.m-2.m-3.m-4.m-5.m-6}{1.2.3.4.5.6}n^{m-6}d^6$$ &c. in infinitum.

Æquipollet vero hæc ſeries alteri $\frac{m-1}{n}n^m d+\frac{m-1.m-2}{1.2n^2}n^m d^2$

$$+\frac{m-1.m-2.m-3}{1.2.3n^2}n^m d^3+\frac{m-1.m-2.m-3.m-4}{1.2.3.4n}n^m d^4+\frac{m-1.m-2.m-3.m-4.m-5}{1.2.3.4.5n}n^m d^5+\frac{m-1.m-2.m-3.m-4.m-5.m-6}{1.2.3.4.5.6n}n^m d^6$$

&c. in infinitum. Quare ſi ſeriei hujus terminus primus dicatur A, ſecundus B, tertius C, quartus D &c. erit differentia potentiarum $(n+d)^{m-1}d+\frac{m-1}{n}n^m d$

$$+\frac{m-2}{2n}Ad+\frac{m-3}{3n}Bd+\frac{m-4}{4n}Cd+\frac{m-5}{5n}Dd+\frac{m-6}{6n}Ed$$

&c. in infinitum, Q. e. d.

Regula hæc, uſum haberet inſignem, ſi cui Canones numerorum quadratorum & cubicorum ulterius extendere conſultum videretur. Nec minorem habet utilitatem in Canonibus jam conditis examinandis: immo utilis quoque eſt, ſi quis ope Canonis numerorum quadratorum & cubicorum potentias radicum alteriores inveſtigare voluerit.

G. G. L. DE ORIGINE FRANCORUM Diſquiſitio.

Hanoveræ, apud Nicol. Fœrſter, 1715, 8.

Plag. 3.

Facile

FAcile agnovimus Ill. Leibnitium ex illa ingenii felicitate, ac lectionis apparatu, quæ in quantumvis brevi dissertatione elucent. Explodit primum ridiculam illorum opinionem, qui Trojanas origines Francis assignant: errore forte ex fastis Prosperi Tironis nato, qui ad A. IV Gratiani: *Priamus quidam*, inquit, *regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.* Quem Priamum ex Pharamundo, in Pharamum contracto, corruptum suspicatur. Nec verisimilior est Fredegarii, Otfridi monachi, Aimonii & plurimorum qui hunc sequuntur ambitio, partem Francorum Troja egressos in Macedoniam ivisse fingentium, quibus Alexander postea partem victoriarum debuerit. Tum Gregorii Turonensis sententia sistitur, qui Francos primum cum Sicambris confundit, & deinde novo errore primas illorum sedes in Pannonia quærit. Denique & Ægidii Lacartii (*Lacbari*) conjecturæ examinantur, qui in libro de coloniis Gallieæ gentis, Francos suos ex coloniis Gallorum, quas trans Rhenum miserant, deducit, aliosque e civibus suis Viros doctos, nimio patriæ amore captos, assentientes habuit.

Illustri Autori nostro veram gentis patriam primus indicavit locus Geographi Ravennatis, scriptoris, ut apparet, ex Gothis orti. Est ille L. I c. XI: *quarta ut hora noctis Normannorum est patria, quæ est Dania, ab antiquis, cujus ad frontem Albes, vel patria Albis, Manrungania certissime antiquis dicebatur, in qua patria Albis, per multos annos Francorum linea remorata est.* Maurunganiam, vel Mauringaviam, sive Mauringiam ad mare Balthicum fuisse, ex Paulo Diacono constat: & nomini satis convenit. In ea itaque regione, quæ Eidora forte & Pani fluviis terminanda, aut ad Viadrum usque proferenda est, *Francorum* linea sive gens olim habitavit, ac inde in citeriores regiones, & tandem provincias Romanorum sensim successit. Autoritatem Anonymi Ravennatis auget Ermoldus Nigellus, Autor Francus, in carmine inedito ad Ludovicum Pium. Ubi enim de Haraldo Dano agit, qui in aula Augusti Christiana sacra amplexus fuerat, cognatas Danorum Francorumque gentes facit. Pertinent huc inprimis versus, ubi de populo Danico:

Pulcher adest facie, cultuque statuque decorus,
Unde genus Francis adfore fama refert.
Victus amore Dei, *generisque* misertus *aviti*
Temptat & hos Cæsar lucrificare Deo.

Tertium præterea testimonium desumitur ex illorum narratione, qui Francos primum ad paludes Mæoticas quærunt. Illas enim veteres nonnunquam cum mari Balthico confundunt: ejusque rei exemplum manifestum præbet Procopius, qui lib. I belli Vandalici, Vandalos primum circa Mæotidem consedisse refert, quos a mari Balthico venisse, ex Tacito aliisque constat.

Postquam vero patria egressi fuerunt Franci, novas illorum sedes inter Albim & Visurgim Ill. Leibnitius collocat, idque præcipue probat ex præfatione legis Salicæ, cujus novam editionem adornat omnis rei historicæ & patriæ inprimis peritissimus Eckardus. Illam vero Legem non tum demum, cum jam in Belgica consedissent Franci, ut Chifletius & Godefridus Wendelinus voluerunt, sed longe ante conditam, ejusque Versionem tantum Latinam, eamque sæpius interpolatam hodie nobis superesse ostendit. Memorantur in præfatione præcipui Francorum pagi, secundum editionem Heroldi, *Wisogeve, Bodogeve, Windogeve, & Salageve*, quorum deputati ad sanciendas leges convenerint. Pagum vero illum Salicum ex donationum, quæ cœnobio Fuldensi factæ sunt, monumentis Carolo M. anterioribus, aut æqualibus, ostendit fuisse circa Salam, Franconicum fluvium, qui in dextrum Mœni latus prope Gemindam influit. *Bodogeva & Wisogeva* ad fluvios *Boda*, qui ad radicem montium Harzicorum fluit, ac *Wiseram*, Latinis Visurgin, fuerunt. *Windogevæ* modo situm non æque facile est definire, nisi forte probari possit *Unstrutam* olim *Windristam*, omissa terminatione *Windam* quoque dictam fuisse. Itaque tum a Boda fluvio ad Salam usque in Franconia habitaverint Franci, successerintque Longobardis, Cheruscis, & Cattis, sed maxime Hermunduris, vel potius cum iis, qui per anteriores migrationes nondum excesserant, in unum corpus coiverint. Novam autem profectionem seculo tertio post Christum, circa Valeriani tempora instituerunt, atque in regionem Cattorum, Sigambrorum,

Bructe-

Bructerorum, Chamavorum, Amsibariorum, aliorumque vicinorum populorum penetraverunt, succedentibus a tergo Thuringis, qui reliquias gentis in Hermunduris vicinisque locis oppresserunt. Ita illis in Gallias patefacta est via, sed stabile primum in illis imperium Clodoveum condidisse Ill. Autor R. P. Danieli assentitur.

GODOFREDI, LUDOVICI S. THEOL. DOctoris, Coburgi Illustr. CASIMIRIANI Directoris & Theol. Prof. P. Historia Gymnasiorum Scholarumque celebriorum.

Pars IV.

Lipsiæ, sumptibus hær. Lanckis. 1714, 8.
Plag. 21.

QUod augurati sumus, cum Partem III Historiæ hujus scholasticæ in horum Actorum Suppl. T. V Sect. III p. 117 sqq. referremus, fore, ut Cl. ejus Autor impleto nominis LUDOVICI omine laborem hunc literariæ rei perutilem novo specimine continuaret; id nunc edita hac *quarta Scholarum Historiæ parte* evenit. Exhibet illa historiam Athenæorum, I Trarbaco-Sponheimensis, II Idsteinensis, III Turkheimensis, IV Weilburgensis, V Magdeburgensis, VI Altenburgensis, VII Darmstadini, VIII Weissenburgensis; cum prolixiori recensione vitæ scriptorumq; I *Christ. Funccii*, II *Georgii Rollenhagii*, III *Josephi Clauderi*, unde quædam delibabimus. Natus fuit Funccius Dietmansdorffii prope Fribergam A. 1626, inde primo Collegæ tertii Fribergæ A. 1652, deinde Con-Rectoris in eodem Gymnasio A. 1657, porro Rectoris Altenburgensis Gymnasii A. 1660 & denique ab A. 1666 in Gorlicensium Gymnasio eidem muneri præpositus, A. 1695 d. 19 Jul. decessit ac plurimos reliquit ingenii fœcundissimi fœtus, qui hic accurate recensentur. Inter alia & illud notatur, quod A. 1677 d. 10 Jul. ab Augusto Saxoniæ Duce in illustrem *Carpophororum Societatem SCINTILLANTIS* nomine adoptatus fuerit. Funccii vitæ historia scholastica *Trarbaco-Sponheimensis ad Mosellam* dein subjungitur, in eaque tum conditio & fata

fata illius Scholæ inde a primordio ad nostram usq; ætatem referuntur, tum Rectores ordine, succincta singulorum vitæ enarratione addita, enumerantur. Brevior huic annectitur *Scholæ Idsteinensis* Nassovicæ in Wetteravia historia: ad cujus Scholæ florem post *M. Hechlerum*, A. 1658 clarum, Dn. *M. Gaertnerus*, ultra 40 annos ibidem Rector, plurimum contulisse perhibetur. *Turckheimensis Scholæ*, in Palatinatu inferiore A. 17c5 institutæ, uberior inposterum descriptio promittitur. Succedit *Weilburgensis Lycei*, quod in Wetteravia est, Historia ad nostram usque ætatem continuata, in qua Chytræi, Sluteri, Weinrichii, Mulleri, & Schlosseri cumprimis merita prædicantur. Secundus, cujus vita in hoc Fasciculo fusius tradita fuit, Rector est *Georgius Rollenhagen*, Vir sua ætate usquequaque celeberrimus, qui in Marchia media *Bernaviæ* A. 1542 d. 22 Aprilis natus, cum Wittebergæ inprimis Melanchthoni & Ebero ac Lipsiæ Pfeffingero adhæsisset, Halberstadii primum, deinde Magdeburgi scholæ præfectus fuit, simulque sermones subinde ad populum habuit e suggestu: quippe historiæ de morte Mosis e Pentateucho explicandæ immortuus fuit, commemorabili ante obitum & concionem illam suam ultimam sermone cum conjuge sua habito: **Moses ist nun todt: Ich weiß nicht, wo ich ihn noch laßen und hinbegraben werde.** Obiit nimirum A. 1609 d. 13 Maji, cum identidem *Melanchthonis* Symbolum ex Phil. I, 23, *cupio dissolvi & cum Christo esse*, in ore habuisset. Etenim non probatus tantum *Theologus* sed *Juris* etiam ita *peritus* fuit, ut multis turbato isto tempore salutare in angustiis consilium suppeditare consueverit: *Philosophiæ* ac *rei* etiam *Medicæ* non inexpertus habebatur, qui & discipulos suos *in re herbaria* institueret, eisque in campos ac sylvas eductis simplicia monstraret, & præsentissima remedia adversus pestem aliosque tum grassantes morbos præstaret. *Oratorem* eum & *Poetam comicum* Orationes ejus, Carmina & Comœdiæ typis expressæ probant: e quibus inprimis ejus festivitas ingenii, cujus & alia plura monumenta prostant, luculenter apparet. Ob tam variam eruditionem tantamque ingenii præstantiam Servestam, Lipsiam, Wittebergam, Helmstadium & Francofurtum ad Viadrum ad obeun-

obeundas Professiones, ad Ecclesiastæ munus Brandenburgicum in Neapoli, quin & in aulas, sæpius & lautis propositis conditionibus, fuit invitatus. Sed ut illa munera modeste deprecatus, ita aulicæ vitæ ac fortunæ lubricitatem, inconstantiam atque pericula toto animo aversabatur, malle se, inquiens, sub *serto virgineo* res sibi suas Magdeburgi habere, quam in aulis inter *apros ursosque* degere: illam mansuetiorem quippe Virginem si qua forte aliquando re offenderet, posse se precibus blande adhibitis delinire; his vel verbulo semel offensis actum de sua fortuna conclamatumque fore. Quum ipse alio discedere Magdeburgo noluerit, multos tamen ad se videndum nominis celebritate venustateque ingenii, inter alios & *Taubmannum*, venustatis illum promum condum suumque in aliis admiratorem censoremque prudentissimum, Magdeburgum allexit. Vulpio quippe in Chronico Magdeburgico narrante, *Taubmannus*, ut Rollenhagii eruditionem facetamque docendi rationem propius ipse degustaret, derasa sibi Dresdæ virili barba, Magdeburgum abit, & Rectori Rollenhagio desiderium suum Scholam freqüentandi aperit, ac rudem se admodum & plumbeum in examine exhibet: quare indignatus Rollenhagius; *quid de Te igitur, inficete caudex,* inquit, *faciam? quintæ classi inserendus eris.* Tum vero etiam atque etiam precari Taubmannus, ut primariis se adderet, & de hospitio quodam liberali sibi pauperi quippe ac indigentissimo prospiceret. Favet precibus Rollenhagius; at Taubmannus stipiti se similem aliquamdiu gerere, donec jam satis præceptoris delitiis innutritus de discessu cogitaret. Itaque suppeditata forte a Rollenhagio carminis elaborandi materia, illam per omnia genera singulari arte variatam, subscripto nomine suo, tradit hospiti domumque redit. Quibus lectis fugientem insequitur Rollenhagius eumq; demum assecutus ac suavissime amplexus ad reditum hortatur. Verum renuit Taubmannus &, *satis est*, inquiens, *me audivisse Rollenhagium, te vidisse Taubmannum*, valere eum jubet ac Dresdam revolat. Inter scripta *Rollenhagii Batrachomyomachia*, in Germanicos rhythmos transfusa & ad temporis illius mores accommodata, imprimis magno erudito-

rum plausu excepta fuit. Vitæ Rollenhagii *Gymnasii* Magdeb. cui is Rector præfuit, Historia subjungitur, in qua Rectorum vitæ ordine recensentur. In quibus ut multa occurrunt cognitu jucunda atque utilissima, ita hic vel unicum excerpemus, *quod Majore Rectore completa sint in Monasterio Magdeburgensi, quæ Jo. Hilten Isenacensis vir pius & Franciscanus Monachus ad Guardianum illius Monasterii Magdeburgensis longo ante tempore vaticinatus scripserit: Claustrum Minorum Vinariense fiet armamentarium, Wittenbergense granarium & Magdeburgense Schola juventutis.* Restat tertii etiam Rectoris fusius hic enarrata vitæ historia, *M. Josephi Clauderi*, Poetæ celeberrimi, qui A. C. 1586 Patre *Jacobo Claudero*, ad ipsos usque LIV annos Mosbachiensium Pastore, natus & cognato *Georgio Claudero* civi & mercatori primario creditus est, ut mercatorum negotiis deinceps assuesceret. Sed cum semper in animo hæreret nostro optimæ matris consilium, literis se totum dedit, atque ita paulatim profecit, ut *Neostadii* primum *Con-Rector*, deinde *Altenburgensis Gymnasii Rector*, ac deinceps etiam in Ecclesia Altenburgensi Ecclesiastes constitueretur. Singulari vero in conjugio liberorum εὐγενείᾳ usus, filios *D. Josephum Clauderum*, Archiatrum Saxo-Altenb. D. *Jacobum Clauderum*, Magni Hülsemanni generum, Superint. Delitianum *M. Israelem Clauderum* in Gymnasio Coburg. Eloquentiæ Histor. & Poeseos. Prof. & *D. Gabrielem Clauderum*, Archiatrum Saxo-Altenburg. & Colleg. Naturæ curios. collegam, reliquit. Rectoris hujus olim Altenburgensis vitæ *Gymnasii Altenburgici* subnectitur historia, eaque a primordiis inde ab A. 1529 ad nostram usque ætatem fuse deducitur, *Rectoresque* hujus Gymnasii omnes eorumque scripta & conamina literaria, *Con-Rectores* item, imo & *Præsules Ecclesiæ Altenburgensis*, non sine jucunditate lectoribus exhibentur. Pari ratione *illustris Pædagogii Darmstadini*, nec non *Scholæ Weissenburgensis Nordgoiæ* historia & fata enarrantur, e quibus plura referre non licet. Ceterum Autori Summe Rev. vitam viresque ad continuandam hanc Scholarum Historiam apprecamur.

JOH.

JOH. HENR. BOECLERI BIBLIOGRAPHIA Critica, nunc demum integra & emendatius edita, quam ex reliquis scriptis Bœclerianis auxit, Præfationem item, Animadversiones & Indices adjecit JOH. GOTTL. KRAUSE.

Lipſ. ſumtibus heredum Jo. Groſſii, 1715, 8.
Alph.2 pl.20.

QUam fruſtra hactenus nobis ſpem de emendatiori operis hujus Bœcleriani poſthumi, quod ſub titulo *Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philologicæ curioſæ* mendoſe ſatis editum proſtat, editione procuranda fecerant, Jo. Henr. Felzius, Pand. & Jur. Can Argentorati Prof. Jo. Frid. Pfeffingerus, Equeſtr. Acad. Luneb. Inſpector & P.P. & Hier. Aug. Groſchupfius, quondam noſtras, eam nuper demum implevit Vir eruditus, & qui jam dudum, tum duplici Germanicarum Ephemeridum opere (altero ausführlicher Bericht, altero Bücher-Saal dicto) tum ſplendida Scriptorum Polonorum collectione (de qua vid. Acta noſtra Suppl. T. V p. 424) tum diverſis præterea aliis limatiſſimis lucubrationibus præclare ſatis de re literaria meritus eſt, Jo. Gottl. Krauſe, qui illius revidendi, emendandi & ſupplendi curam in ſe recepit, dque eo majore cum ſucceſſu præſtitit, quod præter omnem exſpectationem in exemplum Prælectionum harum Mſtum, etſi non emendatiſſimum, expreſſo tamen exemplari longe auctius, opportuno fato incidiſſet. Hoc igitur ſubſidio adjutus nihil prius habuit, quam textum quam emendatiſſime edere, quem huc usque, præter centum alia, corruptorum imprimis nominum propriorum monſtra deformabant, ita quidem, ut niſi interdum de mente Bœcleri aliunde conſtitiſſet, eluſa ſæpenumero fuiſſet omnis eruditi Editoris induſtria in inquirenda vera lectione. Non minor cura fuit digerendi librum in meliorem ordinem, dum multa in eo adeſſent non ſolum alieno loco dicta, ſed etiam in methodi, ab ipſo Autore in tractationis initio delineatæ, leges graviter delinquentia. Accedebat, quod in prioribus Editionibus Tituli argumentorum ſingulorum vel omiſſi vel inepte concinnati parum commodi

Lecto-

Lectoribus promitterent; maxime, cum libellus non nisi paragraphorum numeris distinctus, evolventium patientiam non raro ad indignationem usque exerceret. Utrique malo ab Editore nostro medicina facta est, paginis enim numeri additi sunt, libellus in capita, capita in paragraphos divisa, titulique ad oram cujusvis paginæ adjecti, ut nihil desiderari queat, quod ad editionem hanc commodiorem & utiliorem reddendam requirebatur. Restant alia eaque majora forte momenta, ob quæ nova hæc editio antecedentibus multis modis præferri meretur: colligere enim facile poterunt ex locis haud paucis illi, quibus priores ἐκδόσεις ad manus sunt, Bœclerum plura Auditoribus vel tradidisse, vel certe tradere voluisse, quæ ad integrum Systema Bibliographicum absolvendum pertinent, quorum tamen in expressis huc usque exemplaribus nec vola apparuit nec vestigium ullum. Præclara igitur fuit Cl. Krausii felicitas, qui, ut supra monuimus, apographum Mstum nactus est, cujus ope non solum multa a prioribus Editoribus omissa suppleri, sed addi etiam aliquot integra capita poterant: ut adeo, si cum antecedentibus conferatur recens hæc editio, novus plane & nunc denique vere ingenuus tanti parentis fœtus videri queat. Jure igitur & merito Titulus quoque mutati in tam multis libri mutari potuit, quoniam antiquum rubrum nequaquam cum nigro quadrare videbatur. Ceterum non negamus, in multis adhuc augeri potuisse opus utilissimum; quin certi sumus, hoc ipsum quoque Cl. Editorem, rei huic perficiendæ ex paucis aptissimum, in se suscepturum fuisse, nisi præmeditato ille consilio abstinere maluisset a conatu, qui facile apud malevolos ambitionis speciem præ se ferre poterat: a qua vero modestissimus Vir tum ipse multum alienus est, tum omnes etiam alios alieni laboris superciliosos interpolatores odisse solet. Nihilominus ille nos, si valetudo atque otium voto responderit, perfectius ejusmodi opus bibliographicum a sua manu in præfatione exspectare jubet, quod eo majus apud solidos rei literariæ cultores desiderium excitabit, quo plures sunt, qui de similis laboris defectu conqueruntur, quoque notior est Cl. Editoris in hoc studio dexteritas. Neque tamen interim vitio vertendæ sunt

B. Boe-

B. Bœclero, quæ hic restant, lacunæ, cum ille apud se (ut ex Msto exemplari satis luculenter cognovit Editor) non tam constituerit plenam autorum omnium notitiam suppeditare, quam viam præire Auditoribus, quomodo Collectanea de bonis omnis generis libris commodissime conficienda sint. Alias peculiare hoc præ multis habent scripta Bœcleriana, uti se ipsa optime explicent, lucemque sibi invicem fœnerentur clarissimam & certissimam; laudabili igitur instituto judicia in hoc volumine de Autoribus lata ubique cum aliis Bœcleri sententiis ex reliquis ejus scriptis petitis collata sunt & confirmata. Imo & istos Autores quos hic forte præterierat Autor, ex aliis ejusdem operibus excerptos, passim Editoris industria adjecit, sicque & majus libro suo decus conciliavit, & lectorum commoda liberalissime promovit. Unum restare videbatur: ἁμαρτήματα nempe illa, quæ non tam Amanuensibus aut Typographo, quam ipsi Bœclero tribuenda videbantur; dum, quod in extemporaneis lucubrationibus fieri amat, multa passim offenderent eruditas aures, quæ accuratius omnino sollicitiusque erant pensitanda. Verum his quoque mederi sibi proposuerat Editor, nisi, quo minus perficeret, nundinæ ingruentes prohibuissent. Quare non nisi pauca reliquorum specimina ad calcem libri adjecta legimus, quæ, ne tædium Lectori nudus mendorum perpetua serie sublatarum aut correctarum Catalogus crearet, eadem, immixtis subinde e re Literaria monitis, lectu jucundiora facere conatus est.

Nos ex illis, cum Bœcleri textus ipse jam in omnium manibus sit, pauca delibabimus, quæ palatum movere queant Lectori ad reliqua curatius perlustranda, in quibus plures egregias de Autoribus Latinis, Græcis aliisve observationes deprehendet. Sic p. 846 disputatur contra Bœclerum, C. IV §. 7 asserentem, Eustathii scholia in Homerum IV Tomis in fol. cum indice, integrum volumen adimplente, Venetiis prodiisse; cum tamen Eruditis vix alia, præter Romanam & Basileensem, innotuerit Editio. Indicantur eadem cura illi, qui versionem Latinam Eustathii publicare huc usque sustinuerunt, inter quos Vinc. Marinerus a Nic. Antonio in Bibl. Hisp. suam absolvisse

perhibetur; Octav. vero Ferrarius aliam inchoatam, V. C. Fabricio teste, reliquit. Quid Caperonierius, Theol. Lic. ab Acad. Parisiensi stipendio ad hoc conductus, in sua Commentariorum horum ad Codd. Mstos Bibl. Regiæ emendatorum novaque versione Latina & notis criticis instructorum, editione præstiturus sit, dies docebit. Sunt certe adhuc multa reliqua, quibus bene de Homero suo mereri possent Hellenophili: exstant enim aliquot in eum scholia inedita, quæ eruditas manes obstetricantes exspectant. Inter hæc cum primum fere locum occupet egregius ille Commentarius, cujus specimen a Conr. Hornejo ex P. Victorii Codice publicatum exosculantur harum literarum Cultores, multis procul dubio pergrata erit addita hic observatio, de Codice integerrimo in Bibl. nostra Paulina, cujus custodia Cl. Editori jam per aliquot annos a Bibliothecario demandata est, asservato. P. 851. quædam in medium afferuntur de Editionibus Ovidii ab Excell. Fabricio in Bibl. Lat. omissis, iisque omnium antiquissimis, quæ salivam movent, ut publice Virum doctum compellandum esse censeamus, ne diutius ea, quæ de reliquis etiam Autoribus Latinis sibi annotata esse ipse h. l. fatetur, intra privatos parietes premat, sed quam primum cum orbe erudito communicet. P. 871 mentio fit Commentarii ἀνεκδότȣ de rebus Turcicis a celeb. J. H. Bœclero olim conscripti, cujus Editionem ut Cl. Vir ab Editore nostro laudatus maturet, nos quoque cum aliis multis optamus, Syllabum denique contentorum additur, quo plenius, quid sibi ex opere hoc promittere queant Lectores, constet.

Post Præfationem igitur ampliorem, de instituto & præstitis, sequuntur Eruditorum de Bibliographia hac censuræ atque judicia, quorum plurimis priorum Editorum incuria notatur, Bœclerianus contra labor non parum commendatur. His Index scriptorum Bœclerianorum ab Editore adhibitorum succedit, multa industria confectus. Tabulæ porro synopticæ, eæque affabre concinnatæ, Lectoribus omnem libri ambitum in compendio ob oculos sistunt, & has denique, quem integrum transscribimus, Capitum index excipit. Unde discimus agi Capite I de Artibus vulgaribus & popularibus, Grammatice nempe,

nempe, Gymnastice, Musice & Graphice; II de Grammaticis, Scholasticis, Lexicographis & Criticis; III de Rhetoribus, Oratoribus & Epistolographis; IV. de Poetis artisque Poeticæ scriptoribus; V de Scriptoribus Chronologicis, Geographicis & Genealogicis; VI de Historicæ artis, Historiæque universalis scriptoribus; VII de Scriptoribus Historiæ Ecclesiasticæ; Capite VIII ad undecimum de Scriptoribus Historiæ antiquæ, Judaicæ scilicet, Græcæ, Romanæ & Byzantinæ. Mox transitu ad historiam recentiorem facto a Cap. XII ad XXIV recensentur Scriptores Historiæ Germanicæ, Belgicæ, Britannicæ, Danicæ & Suecicæ, Moscoviticæ, Russicæ, Tartaricæ itemque Polonicæ & Lithuanicæ, Hungaricæ & Transsylvanicæ, Turcicæ & Saracenicæ, Hispanicæ, Francicæ & Gallicæ, Helveticæ, Italicæ, Asiaticæ tandemque Africanæ & Americanæ. Cap. XXV Scriptores Historiæ literariæ; XXVI Vitæ; XXVII Historia varia; XXVIII varia Philologorum opera exhibentur. Hinc ad Mathesin progreditur Autor, ordineque Chronologico Capite XXIX recenset Scriptores Arithmeticos; XXX Geometricos; XXXI Musicos; XXXII Opticos; XXXIII Geodæticos; XXXIV Astronomicos; & XXXV Scriptores Astrologiæ Apotelesmaticæ. Sequuntur Cap. XXXVI Scriptores Chronologiæ & XXXVII Geographiæ Mathematicæ, qui similiter atque Capite sequenti Mechanici, maximam partem ab Editore sunt adjecti. Recensitis postmodum Cap. XXXIX Scriptoribus Logicis subjunguntur Cap. XL opera Philosophorum tam antiquorum quam recentium, speciatimque Cap. XLI Scriptores Physici; XLII Metaphysici; XLIII Ethici; XLIV Politici; XLV Oeconomici. Tandem adjecta quoque legitur Cap. XLVI de Theologia, XLVII de Jurisprudentia, & XLVIII de Medicina breviuscula tractatio, quorum priori mantissam observationum Bœclerianarum de Scriptoribus Sacris & Ecclesiasticis, alteri vero Bœcleri consignationem de Scriptoribus Juris publici præcipuis Editor noster subjunxit. Sub calcem libri, præter Animadversiones Editoris superius laudatas, Index quoque Autorum locupletior accedit.

D. JACOBI WELLERI GRAMMATICA, Syntaxi & Accentuum ratione aucta a LAMB. BOS, Ling. Græc. in Acad. Franeq. Profess.

Amstelodami, apud R. & G. Wetstenios, 1715, 8.
Alph. 1 plag. 6.

DE Welleri opere non opus est, ut aliquid dicamus, præterquam quod superioris editionis exemplar recensuerunt Viri Clarissimi & Græce doctissimi L. Bos & H. Pollius, quorum alter in Academia Franequerana summa cum laude Græcam linguam profitetur, alter in schola Daventriensi Rector jam multis annis optime de juventute meretur. Sub finem vero Cl. Bos adjecit doctrinam Accentuum regulis quibusdam concinne comprehensam, de qua plura referre nostri non est instituti. Succedit ejusdem Syntaxis Græca, perbrevis illa quidem, sed talis, qualem hactenus desiderarunt nonnulli, qui linguæ Græcæ indolem paullo penitius introspexerunt. Nimirum, postquam Vir Cl. in Ellipsibus Græcis ostenderat, plerasque ejusdem linguæ constructiones ex ellipsi ortum trahere, idem quoque in Syntaxi docet, difficiles antiquiorum quorundam tricas multis parasangis deserens. Tandem quoque Cl. Greven, Rector Scholæ Grœninganæ, temporum Græcorum formationes in tironum gratiam multo clarius, quam fieri solet, exhibuit.

pag. 379.
383.
392.

Der Griechischen Sprache teutsche Grammatica.

h. e.

GRAMMATICA LINGUÆ GRÆCÆ GERmanica lingua in usum Scholarum conscripta.

Guelferbyti, apud Godofr. Freytag, 1715, 8.
Plag. $22\frac{1}{2}$.

AUtorem hujus opusculi novimus esse Virum Summe Reverendum Jo. Fabricium, Theologum Helmstadiensem & Abba-

Abbatem Regiæ Literæ, qui de juventute quoque & aliis Græcarum literarum amantibus bene mereri studuit. Conscriptum est lingua vernacula, quippe quam familiarius norunt tirones, quam quidem Latinam nondum satis recte perceptam. Partibus absolvitur duabus, quarum prior docet modum Græca legendi, ubi Capitibus tribus de literis, tono & notis diacriticis, quorsum spiritus & puncta referuntur, agitur. Pars posterior capitibus totidem de nomine, verbo & particulis, rationem Græca intelligendi tradit, & plerumque paradigmatibus absolvitur.

Hic vero necesse est, ut qui Græcas literas juventutem docent, Autorem Summe Rev. audiant, ejusque monita sedulo sequantur. Non consultum est, ut præcepta quæcunque, illo ordine, quo se invicem excipiunt, memoriæ mandentur, sed principia potius memoriæ imprimenda sunt, ex quibus reliqua sua sponte profluunt. Priorem ergo partem pro docentibus potius quam discentibus scriptam esse ait, cujus præcepta suo loco in paradigmatibus a magistro applicari debent. Sufficiet ergo, si literas primum norint discentes, & tum statim paradigmata ab ipsis sunt relegenda. Qua quidem re duplex ad eos usus redundat, ut legendo se exerceant, & paradigmata memoriæ firmius imprimant. In parte posteriore idem observari vult, ne singula, prout sese offerunt, ediscantur, sed quæ singularia sunt, aut alterius cujusdam dialecti, primo omittantur, occasione vero data demum moneantur.

Ceterum nec illud omittere debemus, placuisse Autori nostro methodum, qua usus est Vir Cl. Herm. **von der Hardt**, in Studioso Græco: & præcepta singula captui juventutis esse accommodatissima.

ERRATA.

Pag. 398 lin. 11. pro *Wikins* lege *Wilkins*, pag. 433 lin. 6 pro *Marc.* lege *Macc.* pag. 447 lin. 14 pro *labris* leg. *labiis*, pag. 502 lin. 26, 27 pro *Radingini* lege *Rhodigini*, & ibidem lin. 28 pro *Christiano* lege *Christophoro*.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

Henry

II Libri Juridici.

III Libri Medici & Physici.

Barre-

IV Libri Mathematici.

V Libri Historici, Geographici &c.

Beckleri

VI Libri Miscellanei.

La-

INDEX RERUM
NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

Ana-

Ar-

Ba-

Car-

Den-

Fer-

de-

De

Lingua

Lyco-

Notio-

Græci

Qua-

De

De

A Ve-



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google